

R-4939

Am m

Lab-3

~~R-4939~~

E L E M E N T A  
J U R I S C I V I L I S

secundum ordinem


P A N D E C T A R U M,

Commoda Auditoribus Methodo

A D O R N A T A

A J O . G O T T L . H E I N E C C I O  
J C . C o n s u l i a r i o A u l æ R e g i æ P r u s s i c æ ,  
antehac in Academiis Halensi & Frisica  
Antecessore , jam in illustri Viadrina  
Pand. & Philos. Mor. & Rat. Prof. Ord.

T O M U S S E C U N D U S .



V E N E T I I S ,

EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.  
M D C C X X V I I .

---

*Superiorum Permissu, ac Privilegiis.*

R - 100 128

11. 11. 1950

11. 11. 1950

11. 11. 1950

11. 11. 1950

11. 11. 1950

11. 11. 1950

11. 11. 1950

11. 11. 1950

11. 11. 1950

11. 11. 1950

11. 11. 1950


11. 11. 1950

11. 11. 1950

11. 11. 1950

11. 11. 1950

11. 11. 1950



# PANDECTARUM

## PARS QUINTA

### QUÆ

DE ULTIMIS POTISSIMUM  
voluntatibus agit.

## LIBER XXVIII.

### TITULUS PRIMUS.

*Qui testamenta facere possunt, & quem-  
admodum testamenta fiant.*

#### §. I.



Quinta Pandectarum pars de ultimis voluntatibus, id est, de testamentis, codicillis, legatis & fidei commissis agit. *Const. Tanta. §. 6. de confirm. Digest.* Nimirum iudices nullæ fere quæstiones magis exercent fatigantque, quam de hereditatibus. Et hinc de illis paulo copiosius agere visum est.

Conne-  
xiō.

#### §. II.

HEREDITAS est *jus succedendi in univer-*  
A 2 *sum*

Heredi-  
tas quid,



& quo-  
duplex.

*sum jus quod defunctus (tempore mortis) habuit*  
*L. 24. ff. de verb. signif. L. 62. ff. de reg. jur. ea-*  
 que vel **EX TESTAMENTO** defertur, vel,  
 si testamentum non exstet, **AB INTESTA-**  
**TO**, *S. ult. Inst. per quas pers. nob. acquiritur,*  
*L. 39. ff. de acqu. her. L. 89. ff. de reg. jur. non*  
 utroque modo. Unde est, 1) quod nemo  
 pro parte testatus, pro parte intestatus dece-  
 dere possit: 1) quod pactis successoris,  
 quæ contra bonos mores & plana turpissimi  
 eventus censebantur, hereditas futura nec  
 adquiri nec repudiari posset jure Romano.  
 \* *L. 19. C. de pact. L. ult. C. eod.*

\* Hereditas enim lege XII. tabularum, (im-  
 mo & antiquioribus,) deferebatur proximis  
 agnatis. Quemadmodum vero nihil est tam  
 naturale, quam eodem genere quodque dis-  
 solvi, quo colligatum est: *L. 35. ff. de reg.*  
*jur. L. 100. L. 153. ff. eod.* ita & leges, ro-  
 gatione populi perlatæ, non poterant nisi  
 nova lege abrogari. Hinc & testamenta olim  
 per modum legis condebantur in comitiis  
 calatis. Et quamvis postea cavissent De-  
 cemviri: **PATERFAMILIAS UTI LE-**  
**GASSIT SUPER FAMILIÆ, PECU-**  
**NIÆ TUTEJEVÆ SUÆ REI, ITA**  
**JUS ESTO:** non tamen præ se ferre po-  
 terat testator, seu de futura hereditate dispo-  
 nere, sed bona sua alienare inter vivos per  
 æs & libram. Vid. Bynkersh. *Obs. II, 2. p.*  
*113.* Quum itaque leges de hereditate futu-  
 ra non nisi nova lege tolli possent: conse-  
 quens erat, ut jus publicum privatorum  
 pactis mutari non posset. *L. 38 ff. de pact. ad-*  
 coque nec pacta successoria valerent. Plu-  
 ra in rem dicta reperias in Dissertatione, sub  
 præ-

*Quiteft. fac. poff. & quemad. Pars V. 5*  
præfidio nostro defenfa, de origine testamen-  
tifactionis & ritu testandi antiquo. §. XVI.

### §. III.

Est vero TESTAMENTUM voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. *L. 1. ff. h. t.* Ea condebantur vel in pace & otio, qualia erant testamenta, in comitiis calatis facta, (§. II. \*) vel in acie, qualia erant testamenta IN PROCINCTU, de qua utraque testandi ratione copiosius actum in Dissertatione paulo ante citata §. XIII. seqq. Utrumque genus ab usu recessit, & illud quidem per XII. tabulas, quibus infigne privilegium, vel latissima facultas testandi data civibus, *L. 120. ff. de verb. signif.* novaque testandi ratio introducta est per æs & libram. (*Inst. §. CDLXXXVIII.*) *Gell. Noct. Att. XV, 26.* *Ulpian. Fragm. tit. XX. §. 9.* Accessit postea testamentum Prætorium, siquidem Prætor dabat bonorum possessionem, dummodo tabulæ, non minus quam septem signis firmatæ, proferrentur. §. 2. *Inst. h. t. Cic. Verr. I, 45.*

Quid testam-  
entum? &  
ejus quot  
species  
fuerint?

### §. IV.

Ex testamento, per æs & libram facto, Prætoriana constitutionibus Principum nova a Theodosii temporibus (Vid. *Jac. Gothofred. ad L. 1. C. Th. de test. & codicillo Tomo I. p. 334. seq.*) conflata est testandi forma, quæ tamen fere veteribus nititur principiis & ritibus, antiquam testamentifactionem adumbrantibus. §. 3. *Inst. h. t.*

Nova tes-  
tandi ra-  
tio unde?

## §. V.

Varia axiomatica de testamenti.

Ceterum ex his, quæ præmissimus, facile derivantur axiomata: I. Testamenta sunt voluntatis nostræ iuxta sententia. II. Iis paterfamilias legem dicit \* rebus suis adeoque de universa hereditate sua disponit. III. Ritus plerique antiquæ testamenti factionis, tum in comitiis calatis, tum per æs & libram factæ, tum prætorix, in hodierna adumbrantur.

\* Ita enim intelligendum vocabulum LEGASIT in legibus XII. Tab. (§. II. \*) Legare enim est legis modo aliquid præcipere. Ulpian. *Fragm. Tit. XXIV, §. 1. νομοθεσιῶν, Nov. XXII, c. 2.* Unde & RELEGARE est lege lata aliquem civitate exesse jubere. Vid. *Diss. de orig. testamenti fact. & ritu testandi ant. §. XI.*

## §. VI.

Testamentum quadruplex.

Quum itaque testamentum sit iuxta voluntatis nostræ sententia; (§. V, 1.) consequens est, 1) ut vel fide publica subsistat, vel privata. Illud PUBLICUM dicitur, & coram Principe, vel apud acta conditur, nulla alia sollemnitate adhibita; *L. 19. C. de test.* Hoc PRIVATUM adpellatum, privatorum auribus committitur. *L. 19. C. eod. 2)* Ut in testamentis observanda sit forma a legibus præscripta, *L. 4. ff. h. t.* nisi hæc quasdam sollemnitates remiserint, unde divisio altera testamentorum, in SOLLEMNIA & MINUS SOLLEMNIA, seu PRIVILEGIATA. 3) Ut perinde sit, sive in scriptis quis testetur, sive verbis ore prolatis. Unde tertia divisio, qua aliud SCRIPTUM; aliud NUNCUPATIVUM esse dicitur.

## §. VII.

§. VII.

Ex eodem fluit, 4) testamentum nec in alienam voluntatem conferri, *L. 23. ff. de her. inst. nec 4) vi atque metu a testatore extorqueri posse. L. 32. ff. de hered. inst. L. 20. §. ult. h. t. L. 1. ff. si quis aliqu. testari prob. quamvis vulgo blanditias non importunas testamentis obesse negent, ob L. ult. ff. & C. si quis aliqu. test. prohib. L. 70. ff. de her. inst. Sed vid. V. C. Henr. Bern. Rainold. Var. cap. VIII. p. 53. sequ. 6) Testamentum imperfectum non valere. L. 25. ff. h. t.*

Ab eo obesse. ber aliter arbitrium & vis, & imperpetuo.

§. VIII.

Nec minus inde recte inferas, 7) testatorem debere esse habilem, & habere testamenti factionem. *L. 4. ff. h. t. 8) Neminem posse condere testamentum, qui ob corporis animive infirmitatem voluntatem declarare nequit, adeoque nec 9) furiosum, vel mente captum, nisi dilucidum fuerit furioris vel dementiæ intervallum, §. 1. Inst. quib. non est perm. fac. test. L. 17. h. t. nec, 10) qui his æquiparatur, prodigum, nisi ante interdictionem bonorum testatus sit: L. 12. §. 2. ff. de tut. dat. L. 6. ff. de verb. obl. §. 2. Inst. quib. non est perm. nec 11) impuberem, L. 5. ff. h. t. nec 12) surdum & mutum, nisi olim testandi facultatem a Principe impetrasset: L. 6. §. 1. L. 7. ff. h. t. quam necessitatem iis remitti videmus, qui in scriptis testari possunt. L. 10. C. hoc tit. §. 3. Inst. eod. 13) Contra cæcos testari posse, nuncupato herede, adhibitoque, præter septem testes, tabellione, vel teste octavo,*

Qui ob corporis animique vitium testari nequeat?



8 Pand. Lib. XXVIII. Tit. I.  
omnibusque subscribentibus & signantibus.  
L. 8. C. h. t. §. 4. Inst. eod.

§. IX.

Qui inter-  
stabile  
ob servi-  
tu. ca. 7.

Quumque testamento paterfam. legem re-  
bus suis dicat, (§. V, 2.) consequens est, 1)  
ut testari tantum liceat hominibus liberis,  
non 2) captivis apud hostes, L. 8. pr. ff. h. t.  
nisi hi ante captivitatem testamentum fece-  
rint, & vel postliminio reversi, vel ibi mor-  
tuis sint, L. 12. ff. h. t. L. 6. L. 18. ff. de capt.  
& postl. quo posteriore casu & codicilli, apud  
hostes facti, convalescunt: L. 12. §. 5. ff.  
de captiv. & postl. nec 3) servis, in justam  
servitutum depressis, pro quibus non haben-  
tur a latronibus capti. L. 13. pr. ff. h. t.

§. X.

Qui ob  
peregri-  
nitatem  
& patriam  
presta-  
tem, cui  
subjecti?

Deinde ex eo patet, 4) cives tantum te-  
stari posse, non 5) exsules: L. 8. §. 2. ff. h. t.  
nec 6) obsides, nisi id iis speciatim indul-  
geatur, L. 11. h. t. nec 7) de statu suo civili  
dubitantes, L. 14. L. 15. h. t. nec 8) filii fa-  
milias, si vel maxime pater id iis permittat,  
L. 6. pr. ff. h. t. vel sui juris decedant, L. 19.  
ff. h. t. præterquam in peculio castrensi.  
(P. III. §. CLXXXII, 2.) pr. Inst. quib. non est  
perm. fac. test.

§. XI.

Qui ob  
delictum?

Et quia insigne hoc est civium Rom. privi-  
legium; (§. III.) non mirum, 1) quosdam  
ob delictum indignos illa indulgentia visos,  
veluti 2) læsæ majestatis reos, L. 5. C. ad  
E. Jul. maj. 3) apostatas, L. 3. C. de apostat.  
4) hereticos, L. 4. C. de heret. 5) incestis nuptiis

pot

*Qui test. fac. poss. & quemad. Pars V. 9*  
pollutos, si extraneos instituere velint. *L. 6. C. de inc. nupt. 6)* ob carmen famosum damnatos. *L. 18. §. 1. L. 26. ff. h. r.*

### §. XII.

Quumque ritus plerique veterem testamenti factionem adumbrent, (§. V, 3.) in comitiis autem calatis interruptis nihil actum censeretur: veteres inde colligebant, 1) testamenta fieri debere **I. UNO CONTEXTU**, *L. 21. §. ult. h. r. & UNO TEMPORE*, *L. 21. C. de testam. §. 3. Inst. eod.* adeoque 2) non actum alienum vel inter vivos immiscendum, veluti contractum, *L. 5. C. de obl. & act. L. 4. ff. de adim. leg.* quamvis 3) actus, quem naturæ exigit necessitas, haud noceat. *L. 28. pr. C. de testam.*

Testamentum fieri debet **I. UNO CONTEXTU.**

### §. XIII.

Deinde quia in comitiis omnino desiderabatur rogatio: 4) ob idem axioma tertium necessaria videbatur **II. ROGATIO TESTIUM** *L. 21. §. pen. ff. h. r.* adeoque 5) omnino nihil agi credebatur, testibus, quid agatur, ignaris, vel contra animi sententiam præsentibus, *L. 8. C. de test. L. 20. §. ult. ff. h. r.* vel testatorem non videntibus. *L. 9. C. h. r.*

2. Præmissa rogatione.

### §. XIV.

Quumque porro testamenta per æs & libram fierent adhibitis quinque testibus, libripende & antestato: 6) hunc numerum adumbrabant **III. SEPTEM TESTES**, §. 3. *Inst. de test. ord.* & quidem **IV. quibuscum esset TESTAMENTI FACTIO**, §. 6.

3. Adhibitis septem testibus & quidem 4. idoneis.

*Inst. eod.* id est, quibus comitiis interesse licebat. (*Inst. §. CDXCV. \*\**) Unde 7) nec mulieres, *d. §. 6. Inst. eod. L. 20. §. 6. h. t.* nec 8) furiosi, 9) muti, 10) surdi, *L. 20. §. pen. h. t.* 11) cæci, *L. 9. C. de testam.* 12) prodigi & intestabiles, *d. §. 6. Inst. h. t.* testes esse possunt, nec 13) pater filiusve familias testatoris, vel heredis, nec hujus frater, in eadem potestate constitutus, *§. 9. 10. Inst. eod.* (quamvis testium inter se conjunctio non noceat: *§. 8. Inst. eod.*) nec 14) ipse heres, quamvis legatarius & fideicommissarius admittantur. *L. 20. pr. ff. h. t.*

## §. XV.

5. Additis  
1. gnis &  
6. subcri-  
pi ne  
testum,  
7. subac-  
tione  
testato-  
ris.

Ut porro prætorium quoque testamentum (§. IV.) adumbretur, 15) non omittenda judicabant V. TESTIUM SIGNA, siue suo siue alieno annulo impressa. *L. 22. §. 2. §. 7. ff. h. t. L. 12. C. de test.* Quibus sollemnitatibus constitutiones addiderunt, VI. eorundem SUBSCRIPTIONEM, *L. 30. ff. h. t. §. 3. Inst. de test. ord.* & VII. SUBNOTATIONEM ipsius TESTATORIS, vel, si scribendi imperitus sit, testis octavi, eum in finem adhibendi. Aliud si testamentum *ὀλογράφον*. *L. 28. §. 1. C. h. t.*

## §. XVI.

Plures  
sollem-  
nitates  
exteri ne  
non testi-  
derantur.

Quamque hæc sola requirantur, per se patet, 1) nihil interesse, in chartis an membranis, ceris, tabulis scribatur, *§. 12. Inst. de test. ord.* 2) Latina an alia lingua adhibeatur, *L. 21. §. ult. L. 15. C. de test.* 3) in uno codice, an in pluribus codicibus, vel exemplis, testamentum adpareat. *L. 24. ff. h. t.*  
modo

*De lib. & post. her. int. Pars V.* II  
modo omnia secundum hanc observationem  
scripta sint. §. 13. *Inst. de test. ordin.*

\* Secus ac olim, uti docebimus infra ( §.  
XLIII. \* )

### §. XVII.

Quum denique perinde sit, in scriptis quis  
testetur, an per nuncupationem heredis; Testa-  
mentum  
nuncu-  
pativum  
quomodo  
fiat?  
(§. VI, 3.) consequens est, 1) ut hic heres  
palam & exaudientibus testibus nuncupan-  
dus sit. *L. 21. pr. ff. h. t.* 2) Ut hic omnes  
adhibendæ sint sollemnitates, præter tres po-  
stremas. §. 14. *Inst. de test. ord. L. 21. pr. §. pen.  
seq. h. t. L. 21. §. 2. C. de testam.*

## T I T. II.

*De liberis & postumis heredibus instituendis  
vel exheredandis.*

### §. XVIII.

**H**Æc de externa sollemnitate testamen-  
torum. Interna consistit in heredis in-  
stitutione, quæ est caput & fundamentum te-  
stamenti §. 39. *Inst. de legat.* Heredes, secus  
ac olim, necessario instituendi sunt liberi.  
Quum enim lege XII. tabularum cautum es-  
set, ut posset pater familias legare de familia  
pecunia tutelave suæ rei; (§. II. \*) non abs re  
inde colligebant prudentes, latissimam ei-  
dem datam esse facultatem, & heredes in-  
stituendi & exheredandi. *L. 120. ff. de verb.  
signif.* Itaque pater olim pro lubitu filium  
vel instituere, vel exheredare, aut præterire  
poterat. *L. 11. fin. ff. de suis & legit. her.*

Ex here-  
da io o-  
lim li-  
beriana.

## §. XIX.

Post ea  
restituatur

Postea quum sæpe maligne de sanguine suo  
judicarent parentes, & novercalibus deliniti  
blanditiis, liberos etiam infantes, & nihil  
tale meritos, exheredarent, ceu exemplo  
C. Tertii constat: Val. Max. VII, 7. non mo-  
do querela inofficiosi testamenti data est inju-  
ste exheredatis, (P. II. §. XLVI.) verum et-  
iam lege cautum, ut, qui filium in potesta-  
te habet, curare debeat, ut eum aut here-  
dem instituat, aut exheredem nominatim fa-  
ciat. \* *pr. Inst. h. t. L. 4. §. Scimus C. de lib.  
prat. & exher.*

\* Qui aliquid accipiebant, dicebantur HO-  
NORARI. L. 3. ff. §. 2. de legat. prest. L. 15. ff.  
ad L. Corn. de fals. L. 52. §. 2. de judic. L. 1.  
C. comm. de leg. Cic. pro Quint. cap. IV. pro  
Cæc. cap. IV. quia eorum probitas ultimo  
amicorum judicio probata videbatur. Un-  
de & honori sibi ducebant, qui primo loco,  
vel cum elogio, heredes scripti. Quintil.  
Declam. CCCXXXIII. & CCCLXXXIII.  
Ergo ignominiosissima contra erat præteri-  
tio, maxime quum & proprium alicujus no-  
men suppressere contumelia non careret.  
Donat. ad Ter. Eun. II, 2. v. 6.

## §. XX.

Serva-  
to liber-  
orum  
& scrimi-  
ne.

Ex qua juris regula sequebatur, 1) ut,  
filiis neque institutis neque exheredatis, te-  
stamentum ipso jure nullum esset. L. 30. *pr.*  
*Inst. h. t.* 2) Ut id jus tantum pertineret ad  
suos, non emancipatos; legitimos, non il-  
legitimos; primi, non ulteriorum graduum;  
filios,

filios, non filias; naturales, non adoptivos; natos, non nascituros; adeoque 3) illorum, quam horum, majorem rationem haberent leges.

§. XXI.

Itaque 1) filii naturales, legitimi, & sui, & adoptivi, in potestate constituti, aut instituendi aut nominatim exheredandi erant, *pr. S. 4. Inst. h. t.* 2) filia & nepotes neptesve ex filiis, vel instituendi vel inter ceteros exheredandi, nec tamen præteriti testamentorum rumpebant, sed accrescebant suis heredibus ad portionem virilem, extraneis ad dimidiam. *pr. Inst. h. t. Ulp. Fragm. XX, 14. Paull. Rec. Sent. III. 4.* 3) Emancipatos parentes nec instituere nec exheredare tenebantur, §. 3. *Inst. h. t.* quamvis Prætor emancipatis naturalibus, (non adoptivis,) minus exheredatis, promittat bonorum possessionem contra tabulas. *L. 6. §. 1. ff. de bon. L. 4. ff. si tab. test. null. L. 1. §. 6. L. 3. §. 2. ff. de bon. poss. coner. tab.*

Jus antiquum de suis filiis filiabus, nepotibus, emancipatis.

§. XXII.

Denique 4) postumi olim institui non poterant, quippe personæ incertæ *L. 10. ff. §. 1. Inst. h. t. L. 3. pr. ff. de ini. rupt. irr. testam.* Attamen quia postumus pro superstitite est: (P. I. §. CXXIV.) collegerunt, postulum postea natum præteritum non quidem nullum facere, sed tamen rumpere testamentum, §. 1. *Inst. h. tit.* & hinc eum quoque vel instituendum vel exheredandum esse, & masculum quidem nominatim, feminam & nepotem inter ceteros, modo

De postumis.



modo illi aliquid legatum sit, ne per oblivionem videatur præterita. §. 1. *Inst. h. t.* Nec intererat, veri essent, an quasi postumi, id est fictione variarum legum excogitati. \*  
*L. 29. ff. h. t.*

\* Hierant vel I. AQUILLIANI, id est, nepotes, præmortuo filio post mortem avi nati, instituendi vel exheredandi ex formula C. Aquilii Galli: *L. 29. pr. §. sequ. ff. h. t.* vel II. VELLEIANI, ex lege Junia Velleia (P. III. §. CXCVI. \*) id est, sui nascituri patre mortuo, & post testamentum, sed vivo testatore avo, & nepotes, qui, ante testamentum avi nati, succedentes in locum patris sui demortui, quasi sui heredes agnoscuntur, instituendi vel exheredandi ex lege Junia Velleia. *L. 29. §. 12. 13. 14. ff. h. t.* III. JULIANI, id est, nepotes, qui post testamentum avi, vivo patre suo, nati, mox, patre decedente, in ejus locum succedunt, *L. 29. §. 15. ff. h. t.* IV. CORNELIANI; id est, ante captivitatem patris concepti, & capto ab hostibus patre, in civitate nati, instituendi exheredandive ex lege Cornelia. *L. 15. ff. de injust. rupt. irr. test.*

## §. XXIII.

Axioma  
 jur. s. no-  
 vi.

Tantæ erant juris antiqui ambages. At Justinianus omne discrimen non quidem suorum & emancipatorum, sed tamen natorumque & postumorum, sexusque & graduum sustulit, adeoque jam juris est, 1) ut liberi omnes a patre (nam mater avusque maternus eos tacite præterire possunt. §. 7. *Inst. h. t. L. 4. §. 2. ff. de bon. poss. cont. tab. L. 13. ff. de*

*de suis & legit. her. non obstante Nov. CXV. cap. 3.)* vel heredes instituuntur, vel exheredentur nominatim, *L. 4. C. delib. præt. §. 5. Inst. de exher. lib. & quidem 2) pure, nisi in casum quoque deficientis conditionis facta sit exheredatio, L. 3. §. 1. ff. h. t. L. 4. C. de inst. & subst. 3) a cuncta hereditate, & 4) ab omni gradu, L. 19. L. 3. §. 2. seq. ff. h. t. 5) ex justa causa exheredationis, testamento nominatim inferenda. Nov. CXV. cap. 3. pr.*

### §. XXIV.

Quum itaque ex justa causa fieri debeat exheredatio; (§. XXIII, 5.) Justinianus earum quatuordecim definivit, adeoque tales hodie sunt I. injuria verbalis gravior, II. injuria realis, III. insidiæ vitæ structæ, IV. delatio, ex eaque damnum sequutum, V. consuetudo cum maleficis, (*μετὰ φαρμακῶν*), VI. impedimentum, patri, testamentum condituro, objectum, VII. cura patris furiosi non habita, VIII. *λύτρον* pro captivo patre non solutum, IX. hæresis, X. accusatio patris, XI. incestus, cum noverca vel patris concubina admittus, XII. mimorum invito patre sectatio, XIII. fidejussio pro patre, carceri mancipato, non præstita, \* XIV. filia minorennis, quam pater oblata dote elocare voluit, vita meretricia. *Nov. CXV. cap. 4.*

Causæ  
exheredationis  
liberorū.

\* Hæc causa XIII. æque ac X. ad solos filios; ultima ad solas filias pertinet.

## §. XXV.

**Effectus**  
exheredationis  
& præteritionis  
injustæ  
factæ.

Quumque Justinianus discrimen inter natos & postumos, non suos & emancipatos sustulerit; (§. XXIII.) consequens est, 1) ut & hodie sui ac suæ præteriti testamentum nullum dicant, illudque tum ratione institutionis, tum ratione legatorum infirmum. *Nov. CXV. cap. 3.* 2) Ut postumi & postumæ illud agnatione rumpant, *L. 12. ff. h. t. L. 2. L. 3. C. de post. her. inst.* 3) Ut emancipatis in mundo sit bonorum possessio contra tabulas. §. 5. *Inst. h. t. L. 4. C. de lib. præ.* 4) Ut liberi, injustæ exheredati a patre, vel a matre avove materno præteriti, habeant querelam inofficiosi. (P. II. §. LII, 3)

## §. XXVI.

**Causæ**  
exheredationis  
parentū  
& fratrum.

Jure novo & parentes & fratres ac sorores exheredes scribere licet. Et illos quidem ob causas octo, ut puta I. ob accusationem liberorum, II. ob insidias eorum vitæ structas, III. ob stuprum, nurui vel concubinæ filii illatum, IV. ob impedimentum filio, testamentum condituro, objectum, V. ob filium ex captivitate non redemptum, VI. ob curam furiosi non susceptam, VII. ob venenum alteri parenti præbitum, VIII. ob heresin tunc in synodis damnatam. *Nov. CXV. cap. 4.* Hos autem ob tres (quibus tamen non nisi instituta turpi persona opus est, (P. II. §. LI, 3.) videlicet I. ob insidias vitæ structas, II. accusationem criminis, & III. periculum bonis intentatum. *Nov. XXII. cap. 47.*

T I T. III.

De injusto, rupto, irrito, facto testamento.

§. XXVII.

**H**Actenus de iis, quæ testamenti essen-  
tiam absolvunt. Proximum est, ut  
quomodo illud infirmetur, dispiciamus.  
Quum enim testamentum sit iusta volunta-  
tis nostræ sententia; (§. III.) consequens  
est, ut illud corruat, quoties legibus ad-  
versatur. Adversatur autem legibus testa-  
mentum NULLUM, INJUSTUM, RUP-  
TUM, IRRITUM, DESTITUTUM &  
RESCISSUM tanquam inofficiosum. (*Inst.*  
§. DLXVIII.)

Testamē-  
ta variis  
modis  
infirmā-  
tur.

§. XXVIII.

NULLUM testamentum vocatur, in quo  
quid peccatum adversus leges de persona te-  
statoris, (§. VIII. seq.) vel de libertate vo-  
luntatis ejus, (§. VII, 5.) vel de sollemnita-  
te interna proditas. (§. XIX.) Hinc testamen-  
tum filiifam., vel in quo liberi sui præteriti,  
ipso jure nullum est. *L. 1. ff. h. t.* INJUS-  
TUM, in quo omissæ sollemnitates exter-  
næ. (§. VI, 2) *d. L. 1. ff. h. t.*

Quæ di-  
cuntur  
nulla &  
injusta?

§. XXIX.

RUMPI dicuntur testamenta jure facta,  
quæ, in eodem statu manente testatore,  
viciantur ob superveniens impedimentum.  
§. 1. *Inst. h. t.* Ex quo patet, id fieri I. per  
*agnationem postumi*, sive naturalem, quan-  
do post factum testamentum suus nascitur,  
in tabulis istis præteritus, *L. 3. §. 1. ff.*  
*h. t. §. 1. Inst. de exh. lib. sive civilem*,  
quæ

Quæ ru-  
pra ob  
agnatio-  
nem po-  
stumi?



quæ contingit per adoptionem, §. 1. *Inst. h. t. L. pen. C. de adopt.* per legitimationem, §. 2. *Inst. de her. qui ab intest.* & per successionem nepotis in locum heredis sui. §. 2. *Inst. de exh. lib.*

## §. XXX.

Quæ ob  
mutatam  
testatoris  
volunta-  
tem?

Nec minus inde colligimus, 2) rumpi quoque testamentum II. per *posterius testamentum* rite factum & perfectum. (§. VII, 6) *L. 1. L. 2. ff. §. 2. §. 7. Inst. h. t. L. 27. C. de test.* adeoque 3) voluntatem hominis esse ambulatoriam usque ad mortem, *L. 4. ff. de adm. leg.* 4) istique voluntatis mutationi nec derogatoriam, nec cassatoriam, quam vocant, clausulam ullam obstare, *L. 6. §. 2. ff. de jure codicill.* immo 5) nec si casu accidat, ut ex tabulis posterioribus heres non existet, ideo convalescere testamentum prius semel ruptum, \* §. 2. *Inst. L. 16. ff. h. t.* 6) Nudam revocationem, etiam coram septem testibus factam, non rumpere testamentum, nisi a revocatione elapsum sit decennium. *L. 27. C. de testam.* 7) Duobus exstantibus testamentis, si non constet, utrum prius posteriusve sit, ex utroque tanquam ex uno bon. possessionem competere. *L. 1. §. 6. ff. de bon. poss. sec. tab.* 8) Rumpi etiam testamentum, in quo vel omnia vel quædam deleta, inducta vel corrupta sunt, modo id a sciente testatore factum sit, *L. ult. ff. h. t.*

\* Non enim ideo imperfectum est testamentum posterius, quia ex eo heres non existit, modo institutus sit, qui heres esse potuerit,

*L. 1. ff. h. r.* Hinc aliter se res habet, si posteriores tabulæ heredem non præferant, *L. 11. ff. h. r.* vel si heres inde existere non possit, *L. 16. ff. h. r.* vel posterius ipso jure nullum sit. *L. 16. §. 1. ff. de vulg. & pup. subst.*

§. XXXI.

Si quid ipsi testatori contingat, id est, si is condito testamento, capite minuatur, tunc **IRRITUM** fieri dicitur testamentum, §. 6. *Inst. quib. mod. test. inf.* quia nec servus (§. IX.) nec peregrinus, (§. X.) nec filiusfam. (§. eod.) testamenti factionem habet. Contra, si ex testamento, sive ob detractionem mortemve instituti, sive ob deficientem conditionem heres non existit, testamentum fit **DESTITUTUM**, & res redit ad causam intestati. §. 7. *Inst. de her. qui ab intestat.* Denique instituta querela inofficiosi & causa ab actore probata, **RESCINDI** dicitur testamentum, qua de re supra (P. II. §. XLIV. *sequ.*) actum.

§. XXXII.

Prioribus ergo casibus plane corrumpitur testamentum. (*Inst.* §. DLXXI. DLXXIV. DLXXV.) nisi quod 1) nulla ex æquo & bono sustinentur, si filius præteritus hereditate paterna se abstineat: *L. 17. ff. h. r.* 2) injusta nonnunquam, uti infra videbimus, sustinentur clausula codicilli: 3) ex ruptis Prætor dat bonorum possessionem, si vel postumus, qui rumpit, vivo testatore, decesserit, *L. 12. pr. ff. h. r.* vel testator tabulas posteriores incidit, ut priores supremas relinqueret: *L. 11. §. 2. ff.*

*de*

Quæ testamenta irrita, destituta, rescissa &

Cujus effectus sunt infirmata testamentata?



*de bon. poss. ser. tab. 4*) ex irrito quoque bonorum possessionem dare solet Prætor, si testator tempore mortis civis Romanus & suæ potestatis fuerit. §. 6. *Inst. L. 12. pr. ff. h. t.*

## T I T. IV.

*De his, quæ in testamento delentur, inducuntur vel inscribuntur.*

## §. XXXIII.

De deletis & inductis in testamento axioma.

**R**UMPI etiam testamentum diximus tabulis vel in totum, vel ex parte inductis, deletis, corruptis. (§. XL, 8.) De hoc casu speciali hoc titulo agitur. Testamento enim a testatore sciente & prudente *deleto*, id est, lituris corrupto, *inducto*, id est, perducto, *inscripto*, id est, superscripto, (*L. 1. pr. §. 1. ff. h. t.*) res ad causam intestati redit. *L. ult. ff. h. t. L. 1. §. pen. ff. si tab. test. null. exst.*

## §. XXXIV.

Quando ea deletio, inductio, inscriptio effectum non habeat.

Ex quo axioma consequitur, 1) ut hæc omnia non noceant testamento jure factò, si testator, dum corrumpit, vel sanæ mentis non fuerit, *L. ult. ff. de injust. rupt. irrit. test.* vel 2) id omne inconsulto factum, modo 3) quæ deleta vel inducta sunt, adhuc legi possint, siquidem alias ex testamento, ante consummationem inducto, nihil debetur, si vel maxime aliunde id relictum esse, probari queat, *L. 1. pr. §. 2. ff. h. t.* quod secus se habet, si, consummato jam testamen-

mento, aliquid deletum, quod aliunde probari potest. *L. 1. §. 3. ff. h. t. L. 5. C. de fidei. instr.*

§. XXXV.

Ex ipso illo axiomate patet, 4) illud tantum ad testamenta, non ad codicillos pertinere, ex quibus deletis relicta non debentur, etiamsi aliunde probari possint. \* *L. 1. §. ult. ff. h. t.* 5) Unius nomine heredis deleti, nondum inductum videri totum testamentum, immo nec 6) omnium nominibus deletis, si testator adscripserit, se id ab uno offensum fecisse, nisi probetur, testatorem pro unius offensionem reliquos omnes private voluisse. *L. 2. ff. h. t.* 7) Pluribus tabulis, eodem exemplo scriptis, uno exemplo inciso vel deleti, testamentum ipsum non intelligi ruptum, nisi hoc testatoris consilium liquido probetur. *L. ult. ff. h. t.*

Quæ ejus effecta sint?

\* Ratio hujus differentie ex principiis, quæ in ipsis juris Elementis explicata sunt, in appropinquato est. Nimirum codicillis legata & fideicommissa dantur, (*Inst. §. DCLXXXII, 2.*) quæ uti sine sollemnitate relinquuntur, (*ib. §. DCVI, 4*) ita & sine sollemnitate recte adimuntur, (*ib. §. DCXL.*) adeoque sufficit, si testator legatum induxerit. *§. DCXLII.*) At testamentum, cujus caput & fundamentum est heredis institutio, ruptum non intelligitur sola & nuda revocatione, nec mutata voluntate, sed novo testamento perfecto. (*§. XXX.*) Ergo hic adhuc probationi locus est, an intestatus mori voluerit testator.

## T I T. V.

*De heredibus instituendis.*

## §. XXXVI.

Axioma  
de iis, qui  
heredes  
institu  
possint.

**L**iberos ante omnes heredes instituendos esse, vel nominatim exheredandos jam supra (§. XVIII. XIX.) observavimus. Post hos aliosque, quibus lex legitimam portionem relinqui jussit, (P. II. §. XLIX.) constitui possunt heredes *extranei*. Et quidem quum hic paterfamilias leget de familia, pecunia tutelave suæ rei; (§. II. \*) consequens erat, ut omnes possent constitui heredes, qui in jus defuncti civis Romani succedere, (§. II.) & hereditatem cernere poterant.

\* *Cernere hereditatem* dicebantur heredes extranei, cum cretione instituti. Cretio erat iudicium heredis, vel itne adire nec ne. Quam notionem & ipsum vocabulum involvit. Vid. V. C. Jac. Perizon. *Not. ad Sanct. Minerv. IV, 15.* & in *Resp. ad Ludolph. Kusteri Diatrib. de vocabulo cerno*. Si ergo heres qui institutus erat cum cretione, vel *vulgari*, **INTRA C. DIES, QUIBUS SCIERIS POTERISQUE HEREDITATEM CERNITO**, vel *continua*, (P. I. §. CCCXXXI.) in qua postrema verba omittebantur; tunc intra statum diem debebat verba cretioneis provinciare, quæ habet Ulpian. *Fragm. tit. XXII. §. 28.* Et tunc dicebatur adire hereditatem. Unde *cretio* & *aditio* non erant unus idemque actus, ceu visum

sum Donello *Comm. Jur. Civ. II*, 87. p. 457. sed diversi, qui differebant tanquam antecedens & consequens. *Jos. Averan. Interpr. Jur. I*, 12, 6. Ceterum cretio erat actus legitimus, solis civibus Romanis proprius, certa formula, & fortasse aliis ritibus solemnioribus adhibitis, explicandus, & quidem ab ipso herede, non a procuratore, *L. 90. pr. ff. de adqu. her. præterquam Procuratore Cæsaris*, hoc singulari privilegio munito. (P. I. §. CCXXII.) *L. I. §. ult. ff. de off. Proc. Cæs.*

§. XXXVII.

Ex quo axiomate conficitur, 1) heredes institui posse & liberos & servos, & hos tam proprios quam alienos: illos cum libertate quæ & ab uno ex dominis dari potest, §. *ult. Inst. de donat. L. I. C. de comm. serv. man.* & data esse, ex ipsa institutione præsumitur: \* hos & sine libertate, quia hereditatem non sibi, sed dominis, etiam pluribus adire jubentibus, pro parte domini, (*Inst. §. CDLXX. P. I. §. CXXXIV, 2.*) *pr. Inst. h. tit. L. pen. C. de serv. nec her. inst. immo & hereditati jacenti adquirunt. L. 3 I. §. I. L. 52. ff. §. 2. Inst. h. t.*

Institui  
possunt  
& servi.

\* Modo ea manussio non facta sit in fraudem legum. Unde nec hereditas nec libertas data censetur servo adultero a domina, adulterii accusata. *pr. Inst. h. t.*

§. XXXVIII.

Quumque soli cives in jus civis succedere possint; consequens erat, 2) ut institui pos-

Non ta-  
men pe-  
regriani,



possent cives, non 3) peregrini, L. 6. §. 2. h. t. Cic. pro Cacin. cap. XXX. adeoque nec 4) maximam vel mediam partem capitis deminutionem, L. 1. C. h. t.

## §. XXXIX.

An personarum incertarum & collegiarum?

Quia porro heredes institui possunt, qui possunt cernere; (§. XXXVI.) facile reddetur ratio, cur jure antiquo heredes institui non potuerint, & hodie possint, 5) personarum incertarum, §. 27. Inst. de legat. veluti 6) pauperes, L. 24. C. de episc. & cler. 7) Ecclesiarum, L. 1. C. de SS. Eccl. 8) civitates & municipia, L. 16. ff. ad SC. Treb. L. 22. ff. de legat. 1. 9) collegia & corpora licita. L. 12. C. h. t. L. 1. §. 15. ff. ad SC. Trebell. Quae omnia a quibus temporibus secus se habere coeperint, docuimus alibi. (Inst. §. DXXXVIII.)

## §. XL.

Qui institui non possunt simpliciter?

Ab his regulis quasdam personas exemerunt leges, quas vel simpliciter, vel secundum quid institui vetuerunt. Et simpliciter quid 1) filios perduellium, (filiabus enim legitima relinqui potest,) L. 5. §. 1. C. ad L. Jul. mai. 2) Apostatas, L. 3. C. de apost. 3) haereticos. L. 4. L. 5. C. de haeret. 4) Judaeorum collegium, licet licitum, L. 1. C. de Jud. 5) & reliqua collegia illicita. L. 12. C. h. t.

## §. XLI.

Qui secundum quid?

Secundum quid institui prohibetur 1) princeps litis causa. §. ult. Inst. quib. mod. test. infirm. 2) Conjux posterior, cui a conjuge, ad secunda vota transeunte non plus relinqui potest, quam uni ex liberis prioris matri-

mo-

monii. L. 6. C. de sec. nupt. 3) Parentes & liberi incestuosi, inter se nihil capientes. L. 6. C. de incest. nupt. 4) Liberi naturales, quos liberis tantum legitimis deficientibus, in solidum heredes scribere fas est. L. 1. 2. C. de nat. lib. Nov. LXXXII. cap. 12.

§. XLII.

An autem aliquis in jus civis Romani universum succedere possit, e tribus temporibus est æstimandum, puta I. facti testamenti, II. mortis testatoris, & III. aditæ hereditatis. Immo in institutione conditionali etiam quartum tempus existentis conditionis inspiciendum. L. 49. §. 1. ff. h. t. §. 4. Inst. de her. qual. & diff. Media enim tempora non nocent. d. L. 94. §. 1. h. t.

Ex quibus temporibus æstimanda heredis capacitas?

§. XLIII.

Quum porro testamento paterfamilias legem dicat rebus suis; (§. V, 2.) consequens est, 1) ut heredem vel unum vel plures recte quis instituat. §. 4. Inst. h. t. 2) Ut, quis heres institutus sit, certo adparere debeat, sive expresso ejus nomine, sive demonstratione seu περιφοράσει perspicua addita. L. 9. §. 8. L. 62. §. 1. ff. h. t. 3) Ut nec falsa demonstratio nec error in nomine institutionem vitiet, modo in ipsa persona non sit erratum. L. 4. C. h. t. L. 9. pr. L. 26. §. 1. ff. h. t. 4) Ut heredis institutio conferri nequeat in alterius arbitrium. L. 32. §. 1. ff. h. t. 5) Ut fieri olim posset verbis tantum civilibus & legislatoriis, hodie quibuscumque etiam minus sollemnibus. \* L. 15. C. de testam.

Quot & quibus verbis institui possit?

\* Quidni ita olim? Quia enim testamenta erant leges, (§. V, 2.) verba tunc requirebantur directa & imperativa, adeo ut plerisque improbaretur institutio: **HEREDEM INSTITUO, HEREDEM FACIO.** Ulpian. *Fragm. XXI, 1.* Add. Ant. Fab. *de Error. Pragm. Decad. XLIX, 10. seq.* Immo & Latina lingua utendum erat, adeo ut ne legata quidem Græce relicta rata essent. Ulpian. *ibid. XXV, 9.* Rationem habes in *L. 8. fin. ff. de acceptil.* Quas subtilitates omnes Imperatorum constitutiones exclusērunt. *L. 15. L. 21. §. ult. C. de test.*

## §. XLIV.

An valent institutiones captatorie?

Ex eodem quodammodo rationem redderis, 5) cur non placuerint institutiones *captatoria*, quarum conditio confertur ad secretum alienæ voluntatis, *L. 70. ff. h. r. modo in futurum conferatur institutio, veluti: QUA EX PARTE TITIUS ME HEREDEM FACIET, EX EADEM MIHI HERES ERIT.* Nam 6) in præteritum collata: *QUA EX PARTE TITIUS HEREDEM ME INSTITUIT, EX EA PARTE HERES MIHI ESTO*, potius est remuneratoria. *L. 71. pr. eod.* Add. V. A. Corn. van Bynkersh. *Diatr. de Captatoriis Institutionibus.*

## §. XLV.

Quomodo testatus institui potest?

Quandoquidem etiam nemo pro parte testatus, pro parte intestatus decedere potest; (§. II, 1.) consequens est, 1) ut heres quidem institui possit vel pure, vel sub conditione, non autem ex die, vel in diem, ad-

eoque adjectum tempus pro supervacuo habeatur. §. 9. *Inst. L. 34. ff. h. t. 3*) Ut ita dividenda sit hereditas, ne quid ex toto asse (*Inst. §. DXLI.*) superfit.

§. XLVI.

Si itaque ex asse hereditario nihil superesse debet; (§. XLV, 2.) sequitur, 1) ut unus, sine coherede in parte vel re certa institutus, totum assem capiat. *L. 1. §. 4. ff. h. t. 2*) Ut, pluribus institutis nullisque adscriptis partibus, hereditas æqua lance dividenda sit, §. 6. *Inst. L. 9. §. 12. ff. h. t.* ita tamen, ut plures conjuncti pro una persona habeantur. *L. 11. L. 13. pr. ff. h. t. 3*) Ut, quod in asse superest, accrescat, quod eum excedit, decrescat pro rata singulis coheredibus. §. 7. *Inst. h. t. 4*) Ut, partibus in quorundam personis expressis, in aliorum non expressis, hi, qui sine parte scripti, vacantem portionem capiant, vel, si nil superest, ex asse fiat dupondius, (*Inst. §. DXLI.\**) nisi testator scripserit: *Ex reliqua parte Titius heres esto*, siquidem hoc casu, exhausto asse, Titius nihil capit. *L. 17. §. 3. L. 18. ff. §. 6. 8. Inst. h. t.*

Quomodo dividenda inter institutos hereditas?

T I T. VI.

De vulgari & pupillari substitutione.

§. XLVII.

**I**Nstituitur aliquis heres, vel in gradu primo, vel ex metu, ne heres deficiat, intestatusve moriatur, in gradu secundo, tertio, &c. Ea vocatur SUBSTITUTIO, quæ

Quid substitutio?

nihil aliud est, quam institutio heredis secundi, tertii, ceterorum, in locum deficientis primi. *L. 1. pr. L. 36. pr. L. 43. §. 2. ff. h. t.*

§. XLVIII.

Prima  
ejusdem  
divisio.

Substituit autem aliquis vel verbis directis & civilibus, (§. XLIII, 5.) vel obliquis & precativis. Unde & substitutio vel DIRECTA esse dicitur, *L. 7. L. 15. ff. L. 5. C. h. t.* vel FIDEICOMMISSARIA, *L. 64. L. 77. ad SC. Treb.* Illa fit in eum casum, si heres deficiat, vel intra pubertatem, adeoque intestatus, moriatur. (§. XLVII.) Hæc ponit, institutum heredem fieri, eique restitutionem injungit, salva quarta Trebellianica. Unde sæpe utraque per verborum compendium conjungitur.

§. XLIX.

Secunda  
& tertia.

Quumque in duplicem casum fiat substitutio directa; (§. XLVIII.) ea, quæ ponit, heredem deficere, VULGARIS; quæ ad eum casum pertinet, si heres intestatus moriatur, vel PUPILLARIS adpellatur, si heres ob impubertatem intestatus decesserit, vel QUASI PUPILLARIS, si institutum ob furorem vel dementiam, vel aliud vitium testamentum non conditurum, suspicio sit. Vulgaris & pupillari, & hæc vulgari inesse censetur. *L. 4. pr. ff. L. 4. C. h. t.* Unde est, quod utramque in EXPRESSAM & TACITAM dividere solent prudentes.

§. L.

Quia itaque VULGARIS ponit, institutum heredem deficere; (§. XLIX.) satis ma-

manifesta est ejus definitio. Est enim institutio heredis secundi, tertii vel ulteriorum, (§. XLVII.) in eum casum, si institutus heres non fuerit. *pr. Inst. h. t.* Quod quum duobus casibus contingere soleat, si institutus vel nolit, vel non possit heres esse; (§. XXXI.) placuit, 1) verba: **SI HERES NON FRIT**, ad utrumque casum pertinere, 2) alterumque casum non expressum altero expresso contineri. *L. 3. C. de her. inst. L. 4. pr. ff. L. 4. C. h. t.*

& in que casum fiat?

**§. LI.**

Ex iis fluunt axiomata: I. Substitutio est institutio heredis. II. Per eam fit, ut heres secundus succedat in locum deficientis primi. III. Inventa est substitutio vulgaris, ne testamenta, tanquam destituta, corruerent.

*De ea axiomata.*

**§. LII.**

Quandoquidem ergo substitutio est institutio heredis; (§. LI, 1.) sequitur, 1) ut iidem substitui possint, qui & institui. (§. XXXVI. *seq.*) 2) Ut & plures in locum unius, & unus in locum plurium, & singuli in locum singulorum recte substituantur. §. 1. *Inst. L. 36. §. 1. ff. h. t.* 3) Ut & coheredes sibi invicem substitui possint, quam substitutionem vocamus **RECIPROCAM** vel **MUTUAM**. *L. 4. §. 1. ff. h. t. L. 64. ff. de legat. 2.*

Qui vulgariter substitui possint?

**§. LIII.**

Quumque per hanc substitutionem heres secundus succedat in locum primi; (§. LI, 2.) consequens est, 1) ut substitutus in dubio ad eandem partem vocatus intelligatur, quam cepisset institutus, §. 2. *Inst.*

Quo est substitui?

*L. 24. ff. h. t. 2*) Ut, semel adita hereditate, substitutio hæc exspiret, *L. 5. C. h. t. nec 3*) substitutus in partem admittatur, \* si vel maxime, qui adiit, minor adversus aditionem restituatur. *L. 5. C. h. t. L. 3. §. 4. L. 7. §. 10. ff. de min. 4*) Ut, substituto etiam ante institutum moriente, substitutio evanescat. *L. un. §. 5. C. de caduc. toll.*

\* Præterquam iis casibus, qui occurrunt in *§. ult. Inst. h. t. L. 40. & L. 41. ff. de hered. inst.* Loquimur de casibus, non de uno, ut alii. Nam in *L. 40.* nihil mutandum esse, & duas diversissimas species tractari, jam alibi ostendimus, (*Inst. §. DLVII. \**) & ante nos Marc. Lyklama *Membran. Lib. V. eclog. XV. pag. 187.* & Osw. Hilliger. *in Donello enucl. Lib. VI. cap. 24. litt. l. p. 422. sequ.*

## §. LIV.

Substitutus substituto.

Denique quia ideo inventa est vulgaris substitutio, ut ne testamenta, tanquam destituta, corruerent; (§. LI, 3.) recte inde inferebant Jcti, 5) substitutum substituto, etiam instituto succenturiatum videri. §. 3. *Inst. h. t.*

## §. LV.

Quid substitutio pupillaris.

Hæc de *vulgari* substitutione. PUPILLARIS est institutio heredis secundi, tertii vel ulteriorum, (§. XLVII.) in locum liberorum impuberum, qui in patria potestate testatoris sunt constituti, nec in alterius potestatem, eo mortuo, recasuri. (P. I. §. CXLVIII, 3.) in eum casum, si liberi insti-

*De vulgar. & pupill. subst. Pars V. 31*  
tuti intra pubertatem decesserint. (§. XLIX.)  
*pr. Inst. de pup. subst. L. S. C. h. t.*

§. LVI.

Unde axiomata: I. Fundamentum substitutionis pupillaris est patria potestas. \*) II. De ea axiomata. Ejus causa est immatura ætas, intra quam testamentum condi nequit. (§. VIII, 11.) III. Est illa, non quidem ratione externarum sollemnitatum, sed tamen ratione heredum institutionis, duplex testamentum, siquidem primo sibi pater heredem scribit, ac deinde filio impuberi. §. 2. *Inst. de pup. subst. L. 2. §. 4. L. 16. §. 1. L. 20. §. 1. ff. h. t.*

\* Quum enim liberi ratione patris non esse ut personæ, sed res mancipi, (P. I. §. CXLV, 1.) de his autem Lege XII. Tabular. cautum esset, uti paterfamilias legasset de familia, pecunia tutelave suæ rei, ita jus fore: (§. II. \*) consequens erat, ut & filiis filiabusque familias posset pupillariter substituere in id usque tempus, quo ipsi possent conficere testamentum. Unde substitutio pupillaris, quæ L. 4. *pr. ff. h. t. moribus* investa dicitur, quamque viri docti negant ex XII. Tabulis esse, vere ex illa lege est; *Paterfamilias uti legasset, ita jus esto*, nam & in XII. tabulis fuere *πατερικοί έθεσμοί ή άγροφοί έθεσμοί*. *Patrii mores & non scripti*. Dionys. Hal. II. p. 96. X. p. 676.

§. LVII.

Quum itaque patria potestas sit hujus substitutionis fundamentum; (§. LVI, 1.) con-

Qui & quibus substitui.

ant pu-  
pillari-  
ter.

sequens est, 1) ut pater tantum pupillari-  
ter substituatur, non mater. *pr. Inst. L. 33. ff.  
h. t.* 2) Ut illa substitutione heres succentu-  
rari possit suis & postumis, non emancipa-  
tis, nec 3) nepotibus, in patriam potesta-  
tem recasuris, nisi ex formula legis Junia  
Vellejæ. *L. 2. pr. ff. h. t.* 4) Ut & exhereda-  
tis recte substituatur. (P. I. §. CLXXVI, 2.)  
*L. 1. §. 2. L. 10. §. 4. ff. h. t.* 5) Ut evanescat  
substitutio, si filius a testatore ante mortem  
emancipatus, vel post ejus mortem arroga-  
tus sit. (P. I. §. CLXXI.) *L. 17. §. 1. ff. de  
adops.*

### §. LVIII.

In quod  
tempus .

Deinde quum substitutionis hujus causâ  
fit ætas immatura vel pupillaris; (§. LVI,  
2.) consequens est, 1) ut ad brevius qui-  
dem tempus, non autem ultra pubertatem,  
substitui possit. *L. 14. L. 21. ff. h. t.* 2) Ut in  
brevius tempus facta substitutio, lapsa tem-  
pore, *d. L. 21.* alioquin, pubere facto here-  
de evanescat. *d. L. 14. h. t.*

### §. LIX.

Quomo-  
do fiat,  
& quo  
effectus.

Denique, quum vere duplex hic sit testa-  
mentum; (§. LVI, 3.) facile patet, 1) pa-  
trem non posse substituere filio, nisi prius  
sibi fecerit testamentum, filiumque institue-  
rit. *L. 2. §. 4. §. ult. h. t. §. 2. Inst. de pup. subst.*  
2) Casu existente, substitutum omnia im-  
puberis bona, etiam a testatore non profe-  
cta, accipere, 3) ipsamque matrem exclu-  
dere, adeo ut hæc ne legitimam quidem  
habeat. *L. 8. §. 5. ff. de inoff. test.* (Vid. tamen  
*Inst. §. DLXIII. \**) 4) Substitutionem hanc  
esse

esse sequelam testamenti paterni, & hinc eo infirmato, (non tamen rescisso, \*) corrue-  
re. §. 5. *Inst. de pup. subst. L. 2. pr. ff. h. t.*

\* Quia enim, testamento per querelam in-  
officiosi rescisso, omnia ejus capita præ-  
ter heredis institutionem subsistunt, (P.  
II. §. LIII, 7.) consequens est, ut & sub-  
stitutio subsistat. *Nov. CXV. cap. 3. §. ult.*

§. LX.

Quum vero contingat, ut heres institu-  
tus ob furorem, dementiam, aliudve vitium  
intestatus decedat, (§. XLIX.) ad exemplum  
pupillaris substitutionis inventa est QUASI  
PUPILLARIS, quæ & *exemplaris* vel *Justi-  
zianea* adpellatur, qua parentes, qui opti-  
mum consilium pro liberis capere censentur,  
liberis furiosis, dementibus, surdis, mutis,  
heredem substituere possunt in eum casum,  
si in eo flatu decesserint. §. 1. *Inst. h. t.* Ex  
quo fuit axioma: Fundamentum hujus sub-  
stitutionis non est patria potestas, sed *σοφνῆ*  
vel pietas erga liberos.

Substitu-  
tio exē-  
plaris  
quid.

§. LXI.

Ex quo axioma inferimus, 1) recte ita  
substituere parentes utriusque sexus, 2) libe-  
ris saltem in legitima institutis, non exhere-  
datis. 3) Parentes in hac substitutione pie-  
tatem ostendere, adeoque primo substituere  
debere instituti liberos, deinde, his non  
existentibus, fratres ac sorores, ac postremo  
quemcumque velint. 4) Cessante vitio, ob  
quod testari nequeunt instituti, substitutio-  
nem etiam hanc expirare. *L. 9. C. h. t.*

Ejus in-  
doles.

Substitu-  
tio mili-  
tariis.

Addunt doctores substitutionem MILITAREM, seu *privilegiatam*, quæ in eo consistit, quod miles omnes fere leges substitutionis negligere, & hinc 1) & liberis ultra pubertatem, & 2) extraneis in casu, quo heredes futuri sint, & 3) quodcumque decesserint, substituere possit in iis bonis, quæ suo iudicio ad heredem profecta sunt. *L. 15. ff. L. 8. C. h. t. L. 6. C. de test. mil.* Cujus rei fundamentum paullo post *Lib. XXIX. tit. 1.* patebit.

## T I T. VIII.

*De conditionibus institutionum.*

## §. LXIII.

Quid cõ-  
ditio?

**H**eredem & pure & sub conditione, non autem ex die vel diem institui posse, jam supra demonstravimus. (§. XLV.) **CONDITIO** est *περίσδοις*, a qua actus suspenditur, tanquam ab incerto eventu. \* Unde conditio non est, quæ in præteritum vel præsens confertur. *L. 10. §. 1. ff. h. t. L. 120. ff. §. 4. Inst. de verb. obl.*

\* Ita definienda videtur conditio, ob *§. 4. inst. de verb. oblig. L. 9. §. 1. ff. de novat. L. 39. ff. de reb. cred.* Quia tamen & impossibilem naturam conditionem norunt **JCTI**, quam tamen non existuram semper certum est; fatendum est, paullo latius hic accipi vocabulum pro quocumque eventu futuro, a quo actus suspenditur. *V. C. Voet. Elem. Jur. tit. de her. instit. §. 8.*

## §. LXIV.

§. LXIV.

Quod si eventus, a quo actus suspenditur, <sup>Quos-plex?</sup> ( §. LXIII. \* ) existere potest: conditio vocatur POSSIBILIS. Sin vel per naturam, vel per leges, vel per bonos mores, vel ob perplexitatem verborum existere nequit, ( Inst. §. DXLVII. ) IMPOSSIBILIS. Possibilis, quia vel in heredis potestate esse, vel a fato ejusque lege immobili pendere, vel partim in heredis, partim in fati potestate esse creditur: \* L. 13. ff. de acqu. her. L. un. §. 7. C. decad. toll. itidem POTESTATIVAM, CASUALEM & MIXTAM dividi solet.

\* Sed parum φιλοσοφικῶς, nedum Christiane. Quid enim est ita in potestate atque arbitrio hominis positum, ut nullæ in eo partes sint providentiæ? Quam multa cadunt inter calicem supremaque labra? Omnis itaque conditio aut casualis aut mixta, & nulla potestativa esse videtur. Nec casus in jure occurrere videtur, in quo quidquam inter condiciones potestativas & mixtas sit differentiæ.

§. LXV.

Quum vero quosdam heredes ipsa lex institui jubeat, alios testator pro arbitrio instituat; ( §. XVIII. §. XXXVI. ) æquissimum sane est, illos minus onerari posse, quam hos. Unde sequitur, 1) ut heredi suo ultra legitimam ( P. II. §. XLIX. ) non possit adscribi conditio, nisi potestativa. L. 4. pr. ff. de her. inst. L. ult. ff. h. t. 2) Ut condiciones quales-

Quid iustum de conditionibus possibilibus?

cumque possibiles adscriptæ extraneis implenda sint, & quidem omnes, si copulative; alterutra, si disjunctive adscriptæ sint. *L. 5. ff. h. r. 3*) Ut conditio casualis impleri possit quodcumque: potestativa & mixta non nisi post mortem testatoris, & a sciente, hanc conditionem in testamento adscriptam esse, *L. 2. ff. de cond. & dem. præterquam si non sit iterabilis. L. 10. pr. eod.* 4) Collatam simul in alterius arbitrium conditionem pro adimpleta habendam, si facto tertii impediatur. *L. 31. ff. de cond. & dem. L. 3. L. 23. ff. eod. L. 5. §. 5. ff. quando dies leg. ced. L. 161. ff. de reg. jur. non si casu impediatur. d. L. 31. cui tamen obstare videtur L. 54. §. 1. 2. ff. de legat. 1. 5*) Heredem, ante existentem conditionem defunctum, nihil ad heredes transmittere. *L. 4. pr. ff. quando dies leg. ced. L. un. §. 7. C. de caduc. toll.*

## §. LXVI.

De difficultibus & negativis?

Ex ipsa conditionum possibilium definitione (§. LXIV.) adparet, 1) tales etiam esse conditiones *difficiles*, quas quidem, sed non ab herede, facile præstari posse constat. Unde ex pro impossibilibus non habenda, nisi eo casu, quo testator scivit; heredem eam implere non posse. *L. 4. §. 1. ff. de stat. lib. & ibi Dionys. Gothofred.* 2) Conditiones negativas proprie quidem suspendere hereditatem usque ad mortem heredis, nisi præstetur **CAUTIO MUCIANNA**, a Q. Mucio P. F. Scævola inventa. *L. 7. pr. ff. de cond. & dem.*

## §. LXVII.

## §. LXVII.

Quum denique conditio impossibilis existere non possit; (§. LXIV.) in eam sane nec heres consensisse, nec testator eam præstari voluisse videtur, quia voluit, ut testamentum suum exitum haberet. Ex quo sequitur, 1) ut conditio impossibilis qualiscumque (§. LXIV.) pro non adjecta habeatur. *L. 1. L. 20. pr. ff. h. t. L. 45. ff. de her. inst.* 2) Ut ejusdem commatis sint conditiones derisorix, *L. 14. h. t. L. 27. eod.* 3) perplexæ *L. 16. ff. h. t. L. 188. ff. h. t.* non præposteræ, \* *L. 25. C. de testam.* 4) Ut hæc omnia secus se habere debeant in contractibus, qui non intelliguntur sine contrahentium consensu. Quum vero qui conditionem impossibilem consenserunt, vel insanivisse vel jocati videantur; merito conditio impossibilis contractum vitiat. *§. 10. Inst. de inut. stip. L. 31. ff. de obl. & act.*

De impossibilitibus.

\* *Perplexæ* vocantur, ita conceptæ, ut exitum habere nequeant, v. g. *Sejus heres erit, Titius heres esto: sin Titius, Sejus heres esto.*

At *præposteræ*, ubi hereditas relinquatur in præsens, & tamen dies vel conditio futura adjicitur, v. g. *Si navis ex Asia redieris, statim a morte mea do, lego.* Hoc ergo casu exactio post diem vel conditionem competit. *L. 25. C. de test.*

## §. LXVIII.

In DIEM certum cur heres institui non possit, jam supra vidimus. (§. XLV.) Ex eo itaque inferimus, 1) diem certum adpositum

De die certo vel incerto.

fitum in heredis institutione pro non adjecto haberi. 2) Diem incertum, ita ut, an existurus sit, nesciamus, pro conditione esse. §. 9. *Inst. de her. inst. L. 75. ff. de cond. & dem.* 3) Si certum cum existurum, incertum, quando; tunc heredi adscriptum diem pro conditione esse, non item adscriptum extraneo. *L. 9. C. de her. inst. L. 1. §. 1 L. 79. pr. §. 1. ff. de cond. & dem.*

## T I T. VIII.

*De jure deliberandi.*

## §. LXIX.

Ratio juris deliberandi,

**H**eres, adita hereditate, succedit in omnia jura defuncti: (§. II.) adeoque & res alienum exsolvere, ceterasque testatoris obligationes præstare tenetur. Quod quum dubiam sæpe traheret heredum mentem, fluctuantium, adire an repudiare deberent suspectam hereditatem; Prætor edicto promiserat, *se heredi tempus ad deliberandum petenti daturum*, *L. 23. §. 1. ff. de hered. inst. L. 1. §. 1. ff. h. t.* Certum autem spacium concedendum, ne in infinitum, tergiversante herede, creditoribus illudatur.

## §. LXX.

Quantum spatium concedi soleat heredi?

Quum itaque certum spacium Edicto non expresserit Prætor, 1) tempus hoc jure veteri erat arbitrarium, *L. 1. §. 2. ff. h. t.* modo non pauciores dies darentur quam centum, *L. 2. ff. h. t.* quippe qui erant ordinarii dies cretionis. (§. XXXVI. \*) At 2) jure novo a

Prin-

Principe annus, a iudicibus novem menses, ad deliberandum conceduntur, *L. ult. §. 13. C. h. t.* 3) idque etiam heredi heredis prodest, si hic intra illud tempus decesserit. *L. 19. C. de jure delib. 4.)* Nemine creditorum urgente, XXX. demum annis elapsis jus adeundi hereditatem exspirat. (*§. LXIX. fin. ) L. 8. C. h. t.*

§. LXXI.

Et quia spatium hoc, quantumcumque sit, ad deliberandum conceditur; sequitur, 1) ut interim heredi liceat instrumenta hereditaria & rationes inspicere, *L. 5. pr. ff. h. t. L. 28. ff. de acqu. her. 2 )* res mora deteriores futuras vel sumtuosas justis pretiis vendere, *L. 5. §. 1. L. 6. ff. h. t. & 3 )* æs alienum, quod durioribus conditionibus debetur, solvere. *d. L. 5. §. 1. L. 6. h. t. 4 )* Ut, si pupilli nomine petatur tempus ad deliberandum, bona interim diminui, nisi causa cognita, non patiatur Prætor, adeoque nec alienationem fieri, nec actiones exerceri patiatur. *L. 7. pr. §. 2. ult. ff. h. t.*

Quid interea facere possit heres?

§. LXXII.

Enimvero quum ne sic quidem satis prospectum heredibus videretur, qui, adita semel hereditate, omne æs alienum exsolvere tenebantur; *L. 4. C. de rep. her. L. 8. ff. de acqu. her.* Justinianus invenit BENEFICIUM INVENTARII. *L. ult. C. h. t.* Est autem *Inventarium*, vel *Repertarium*, legitima & rite facta descriptio omnium rerum hereditariarum. *L. 7. pr. ff. de adm. tut.* Ejusque effectus est, ut bona non confundantur, adeoque

Beneficium inventarii cur inventum?

que nec heres teneatur ultra vires hereditatis, *d. L. ult. §. 4. C. h. t.*

## §. LXXIII.

Quomodo fieri debeat repertorium ?

Quum itaque recte fieri oporteat illam descriptionem; (§. LXXII.) intelligis, cur 1) conficiendum sit intra XXX. dies, ex quo heres sibi delatam scivit hereditatem, 2) presentibus tabulariis, 3) citatisque omnibus, quorum interest, legatariis, & creditoribus, aut 4) loco istarum absentium adhibitis tribus testibus optimæ famæ. 5) Cur illud absolvendum sit rebus propinquis intra LX. dies, vel si longius distitæ sint, intra annum, a die scientiæ computandum. 6) Cur, repertorio confecto, subscribendum sit ab herede, vel si hic scribendi imperitus sit, a tabulario. *L. ult. §. 2. 3. C. h. t. Nov. I. cap. 2. §. 1.*

## §. LXXIV.

Ejus effecta.

Quumque inventarium & confusionem bonorum impediat, nec heredem ultra vires hereditatis conveniri patiatur; consequens est, 1) ut heres hodie sine periculo adire possit. *L. ult. §. 4. C. h. t. §. 5. Inst. de her. qual. & diff. nec* 2) adeo necessarium hodie sit jus deliberandi, quamvis, invento beneficio inventarii, non abrogatum. *L. ult. §. 13. C. h. t. §. 5. Inst. de her. qual. & differ.* 3) Ut pecunia non parata, res hereditarias in solutum dare; *d. L. ult. §. 6. C. h. t.* 4) creditoribus primum venientibus, *d. L. §. 4. eod.* 5) quin & sibi ipsi, temporum tamen prærogativa inter creditores servata, solvere; *d. L. ult. §. 9.* 6) impensas, in funus & conficien-

ficiendum inventarium aliasque necessario factas, deducere; *L. ult. §. 9. immo 7)* & Falcidiam ex legatis, & Trebellianam ex fideicommissis detrahere possit. *arg. Nov. l. cap. 2. 8)* Ut res hereditariæ creditoribus pereant. *L. ult. §. 4. C. eod.*

§. LXXV.

Frisiæ nostræ praxin late hic exsequitur *V. A. Ulr. Huber. Praelect. h. r. In Germania nec certum tempus præfigitur conficiendo inventario, nec citatio decernitur eorum, quorum interest, Mev. Decis. l. 356. modo statim facta sit publica rerum hereditariarum obsignatio, Carpz. Part. III. Const. XXXII. def. X. Quin ibi ommissum inventarium supplet specificatio, quam vocant, jurata: quemadmodum jusjurandum & alia sanare censetur inventarii vitia, ad quod & heredis heres admittitur, si de credulitate, uti loquuntur, dejerare velit. Brunnem. ad L. ult. C. h. r. §. X. & sequ.*

*Ufus hodiernus.*

---

**L I B E R XXIX.**

**T I T. I.**

*De testamento militis.*

§. LXXVI.

**D**ivisimus supra testamenta in SOLLEMNIA, & MINUS SOLLEMNIA, seu *privilegiata*. (§. VI.) 2. Privilegiis quam plurimis gaudent milites: & hinc jam de *testamento militis* agitur.

*Milites olim libere testabantur in provincia.*

Quam-

Quamvis enim & olim milites testarentur  
 IN PROCINCTU; (§. III.) illa tamen te-  
 standi ratio, ex jure sive pontificio sive au-  
 gurali profecta, \*) ab usu recesserat, simul  
 ac auspicato bella geri desierant. *Cic. de Nat.*  
*Deor. II, 3.*

\* *In procinctu esse dicebantur milites, quan-*  
*do erant in cinctu Gabino. Serv. ad Virgil.*  
*Æn. VII, v. 612. Gabinus cinctus est toga se*  
*in tergum rejecta, ut ima ejus lacinia, a ter-*  
*go revocata, hominem cingat. Hoc autem ve-*  
*stimenti genere veteres Latini, quum necdum*  
*arma haberent, præcinctis togis pellabant:*  
*unde etiam milites in procinctu esse diceban-*  
*tur. Cinctum istum sumebant, qui Dis*  
*manibus pro exercitu devovebantur, Liv.*  
*X, 7. & 28. Et inde est, quod rata esset mi-*  
*litum, in procinctu heredem nuncupantium,*  
*voluntas. Quidquid enim agebant devoti,*  
*id ratum habebat populus, adeo, ut De-*  
*cius Cos. devotus etiam lictores daret Li-*  
*vio, Pontifici maximo, eumque Propræ-*  
*rorem esse juberet, Liv. X, 29. quod*  
*alias ne in extremo quidem periculo & in*  
*re trepida ferebat populus. Liv. XXVI, 11.*

## §. LXXVII.

Novum  
 militum  
 privile-  
 gium.

Postea militibus, etiam in procinctu haud  
 constitutis, non tam ob eorum imperitiam,  
 quam ob imminens periculum, liberam te-  
 standi facultatem Julius Cæsar, sed ad tem-  
 pus; deinde Titius, post Domitianus, ac  
 denique Nerva plenissimam indulgentiam in  
 milites contulerunt, quam & Trajanus se-  
 quutus est. *L. I. pr. ff. h. t. Ulp. Fragm. XXIII,*  
 2. Id.

2. Idque privilegium in eo constitit, quod milites legibus omnibus, ad testamenti factionem pertinentibus, solverentur, & quoquo modo testatorum voluntas rata esset.

*L. 1. pr. h. r.*

§. LXXVIII.

Inde ergo prono alveo fluunt axiomata: I. Milites imminente periculo his privilegiis gaudent. II. Iidem omnibus sollemnitatibus, tum externis, tum interna, soluti sunt.

De militari testamento axiomata.

§. LXXIX.

Quum ergo milites imminente periculo his privilegiis gaudeant; (§. LXXVIII, 1) consequens est, 1) ut ea communia sint omnibus, qui in numero sunt, & in hostico deprehenduntur, *L. 44. ff. h. r.* etiam 2) furdis & mutis, nondum missionem consequutis, *L. 4. ff. h. r.* add. Vinn. *ad §. 2. Inst. h. r.* etiam 3) de statu suo dubitantibus. *L. 11. §. 1. ff. h. r.* 4) Ut nihil intersit, sive in castris, sive in expeditione degant. §. 3. *Inst. L. 1. L. 15. L. pen. C. h. r.* 5) Ut contra jure communi uti teneantur in hibernis, nec non depulso periculo: nisi quod veteranorum, honestam vel caussariam missionem consequutorum, testamenta adhuc intra annum valeant. *L. 26. pr. §. 1. ff. §. 3. Inst. h. r.* adeoque *Conditio elapso anno existens, retrahatur. §. 3. Inst. h. r. L. 26. ff. de condit. inst.* 6) Ut testamentum, etiam ante militiam non jure factum, a milite vel verbis vel factis confirmari possit, *L. 9. §. 1. L. 20. §. 1. L. 25. h. r.* 7) Ut filiusfamil. de castrensi quidem pe-

culio

Qui ita testentur?

culio possit testamentum condere; (§. X, 8.) sed jure tantum communi, nisi militet. §. 6. *Inst. h. t. L. ult. C. de inoff. test.*

## §. LXXX.

Quæ cir-  
ca solem-  
nitatem  
internam  
remissa.

Quumque sollemnitate interna soluti sint milites; (§. LXXVIII, 2.) consequens est, 1) ut & eos heredes nuncupare vel scribere possint, quibuscum non est testamenti factio. *L. 13. §. 2. ff. L. 5. C. h. t.* 2) Ut iisdem liceat liberos exheredare, vel tacite præterire, §. 6. *Inst. de exh. lib. L. 9. L. 10. C. h. t.* 3) pro parte testatis, pro parte intestatis, *L. 6. L. 15. §. 4. L. 37. ff. h. t.* nec non 4) cum pluribus testamentis decedere, *L. 19. pr. ff. h. t.* 5) heredes etiam codicillis instituere, *L. 36. pr. h. t.* 6) quocumque modo substituere omnibus, *L. 5. L. 15. §. 5. L. 28. ff. h. t.* 7) hereditatem legatis exhaurire. *L. 17. §. ult. ff. L. 12. C. h. t.* 8) Ut militum testamenta nec agnatione rumpantur, *L. 7. 8. ff. h. t.* nec rescindantur querela inofficiosi. *L. 29. §. ult. ff. h. t.*

## §. LXXXI.

Quæ cir-  
ca exter-  
nas.

Quia autem & externas sollemnitates in testamentis negligunt; (§. LXXVIII, 2.) facile jam reddes rationem, cur, si miles scripserit tabulas, nec testes, nec quidquam aliud requiratur, modo eum scripsisse constet. *L. 40. pr. h. t.* 2) Cur in nuncupativo ejus testamento duo testes sufficiant, etiam non rogati, *L. ult. §. ult. ff. C. de codicill.* modo satis constet, militem deliberato animo, non fortuito sermone, heredem nuncupasse. §. 1. *Inst. L. 24. ff. h. t.*

## §. LXXXII.

§. LXXXII.

Et ita usus servat, præterquam quod jure Germanico tantum in ipsa expeditione, vel acie hæc privilegia militibus indulgentur, non in castris, ubi duo testes requiruntur. *Constit. Maximil. 1. ann. clō Iōxii. tit. de testament. §. Bud jotten.* Quem errorem pragmaticorum Glossæ deberi, jam observavit *Vigl. Zuichem. ad §. 1. Inst. h. t. p. 83.*

Usus hæc diernus.

§. LXXXIII.

Remissæ sunt quædam sollemnitates etiam PARENTIBUS testantibus inter liberos. \* In scriptis enim testantur etiam non adhibitis testibus, modo 1) vel ipsi scribant tabulas, vel 2) subscribant iisdem, 3) anno mense, die unciisque, in quibus liberos instituant, perspicue expressis. *L. 21. §. 1. C. de testam. Nov. CVII. cap. 1.* In nuncupativo merito duorum testium adhibetur præsentia. *arg. L. 12. ff. de test.*

Testamentum parentū inter liberos.

\* A qua dispositione inter liberos discernitur *diviso paterna*, quæ quocumque modo & ab intestato valet, si pater liberis bona sua quantumvis inæqualiter distribuat, modo non fraus fiat portioni legitimæ, & vel pater vel liberi subscripserint. *L. ult. C. fam. ercisc. Nov. XVIII, 7.*

§. LXXXIV.

Privilegium porro est testamentum TEMPORE PESTIS conditum, eatenus, ut testatoribus simultanea testium præsentia adeoque unitas contextus, remissa sit. *L. 8. C. de testam.* Addunt doctores, ex moribus etiam

Testamentum tempore pestis conditum.

etiam duos testes, quamvis sequioris sexus, sufficere, Stryk. *Cautel. Testam. cap. XI. §. 3.* & id semel conditum perpetuam auctoritatem retinere, Carpz. *Part. III. Const. IV. def. 5.* quamvis alii in alia omnia eant. Struv. *Exerc. XXXII, 21.*

## §. LXXXV.

Testa-  
mentum  
rustico-  
rum.

RURI TESTANTIBUS id indulgent leges, ut ratae sint eorum tabulae, quinque testium subscriptione, (quae & ab aliis fieri potest,) vel signaculis firmatae, si vel plures, vel litterarum periti, ut sit in agris, haberi nequeant. *L. ult. C. de test.*

## §. LXXXVI.

Alia te-  
stamenta  
privile-  
giata.

Addi possunt testamenta PRINCIPI vel ad ACTA oblata, (§. VI, I.) *L. 19. C. de test.* testamenta ad PIAS CAUSSAS, quae omnibus sollemnitatibus solvit Pontifex, c. 11. *X. de testam.* & denique testamentum POSTERIUS imperfectum, in quo heredes ab intestato, priore praeteriti, ad successionem vocantur, cui quinque testes adfuisse sufficit. *L. 21. §. pen. C. de testam.* Agmen apud plerosque claudit testamentum IN ITINERE moribundorum, ad quod duos testes requirunt. Bald. & Salicet. *ad L. ult. ff. de test.* Sed Doctorum non est privilegia concedere, vel ea interpretando porrigere ad species legibus non expressas. Vid. Stryk. *Caut. Testam. cap. XIV.*

T I T. II.

De acquirenda vel omittenda hereditate.

§. LXXXVII.

**H**ereditas testamento *defertur*, sed non *semper ipso jure acquiritur*. Opus aliquando est actu aliquo, ex quo constet, velitne quis heres esse, an nolit. Et hinc hoc titulo agitur de **ADQUIRENDA** vel **OMITTENDA HEREDITATE**. Diximus *aliquando* hujusmodi actum requiri. Discrimen enim hic est inter **NECESSARIOS, SUOS ET NECESSARIOS, & VOLUNTARIOS**. *pr. Inst. de her. qual. & diff. L. 15. L. 16. ff. h. t.*

Hereditas pro diversitate heredum diversimode acquiritur.

§. LXXXVIII.

**NECESSARII** sunt servi proprii, a domino heredes instituti, qui sive velint, sive nolint, \* liberi & heredes fiunt. §. 1. *Inst. eod. L. 57. §. 2. h. t.* **SUI & NECESSARII** vocantur liberi, in potestate testatoris tempore mortis ita constituti, ut in alterius potestatem recasuri non sint, qui itidem & nolentes heredes fiunt ex legibus XII. Tabularum. §. 2. *Inst. eod.* **VOLUNTARII** denique, qui in potestate testatoris non sunt constituti, quibusque invitis lex præscribi (§. V, 2.) a testatore non potest. *pr. §. 3. Inst. eod.*

Quotuplices sint heredes?

\* Servi enim a dominis institui solebant, si tantum esset æs alienum, ut patrimonio dira

dira vox præconis imminere videretur. Id quod quum ignominiosum videretur Romanis, Cic. *pro P. Quinct. cap. XV.* voluerunt, hoc casu servum etiam ab obærato institui posse, eumque libertatem & hereditatem consequi. Ut bona ejus potius, quam defuncti nomine distraherentur. §. I. *Inst. de her. qual. & diff.*

## §. LXXXIX.

De iis axiomata. I. *Necessarii*, ac *sui & necessarii*, ipso jure heredes sunt. §. 1. 2. *Inst. de hered. & qual. diff.* II. *Heredes voluntarii* suo arbitrio hereditatem vel verbis factisve acquirere, vel omittere possunt.

## §. XC.

Necessarii & sui ipso jure heredes sunt.

Quum ergo *necessariis & sui* ipso jure heredes sint; (§. LXXXIX, 1.) consequens est, 1) ut servus institutus hereditatem nec ad eundo demum acquirat, nec repudiando omittere possit. *L. 57. §. 2. h. t. 2*) Ut idem juris sit in heredibus suis, adeoque 3) & hi hereditatem ipso jure acquirant sine aditione, §. 3. *Inst. de her. qua ab intest.* & proinde 4) non *pro herede gerere*, sed *SE IMMISCERE* dicantur. *L. 11. L. 12. h. t. 5*) Ut hereditatem sibi dumtaxat delatam ad omnes heredes suos & extraneos transmittant. *L. 3. L. 19. C. de jur. delib. 6*) Ut hereditatem jure civili repudiare nequeant, nisi pater hoc iis vel expresse, vel tacite, veluti instituendo sub conditione potestativa, (§. LXV, 1.) vel vulgariter substituendo indulserit. *L. 86. ff. de her. inst. L. 12. ff. de cond. inst. §. 4. Inst. de pupill. subst.*

## §. XCI.

§. XCI.

Quia tamen id durum erat, Prætori visum est, liberis suis concedere beneficium **ABSTINENDI**, modo 1) jam puberes se non immiscuerint, (impuberibus enim Prætor, etiam se immiscuerint, succurrit, & 2) per eos non factum sit, quo quid ex hereditate amoveretur. L. 11. L. 12. L. 57. pr. L. 71. §. 3. ff. h. t.

Substantiam gaudent beneficio abstinenti.

§. XCII.

Et quia heredes voluntarii suo arbitrio hereditatem vel verbis factisve acquirere, vel omittere possunt; (§. LXXXIX, 2.) hinc, si verbis acquirunt, **ADIRE**; si factis, **PRO HEREDE GERERE**; si hereditatem omittunt, **REPUDIARE** dicuntur. \* §. 7. *Inf. de her. qual. & differ.* L. 11. L. 12. L. 57. ff. h. t.

Extranei adeunt, pro herede gerunt repudiant.

\* Sui ergo heredes *ipso jure heredes* sunt; (§. LXXXIX, 1) voluntarii **ADEUNT**. Illi *se immiscunt*; (§. XC, 4.) hi **PRO HEREDE GERUNT**. Illi *abstinent*: (§. XCI.) hi **REPUDIANT**. Tam accurate Juri ubique observant vocabulorum differentiam.

§. XCIII.

Quumque itaque adeatur verbis, (§. XCII.) & quidem olim cum cretione, (§. XXXVI, \*) adeoque sollemniter; consequens est, 1) ut adire possint, quicumque voluntatem verbis declarare, & actu legitimo, vel sollemni se obligare possunt: L. 8. ff. h. t. L. 19. ff. de auñ. tut. adeoque 2) adire nequeant furiosi, dementes, L. 63. ff. h. t. L. 40.

Qui adire possunt?

*de reg. jur.* 3) infames, §. 9. *Inst. de inut. stip.* quorum nomine parentes vel tutores aut curatores adeunt. *L. 18. pr. §. 1. 2. C. de juro delib. L. ult. §. 3. de cur. fur.*

## §: CXIV.

Quomodo?

Ex eadem ratione est, 4) quod pupilli & minores sine tutorum auctoritate, vel consensu curatorum, adire nequeunt, quamvis hereditas lucrosa sit. (P. IV. §. CCCXXXVII, 5.) *L. 18. §. fin. C. de jur. del. L. 1. L. 9. ff. h. t.* 5) Ut nec adire quisquam possit per procuratorem, (P. I. §. XXXV, 3.) *L. 90. ff. h. t. L. 123. pr. ff. de reg. jur.* præterquam quod Procuratoris Cæsaris jussu & servus adire posset. (P. I. §. CCXXXII.) 6) Ut hereditas adeunda sit pure, non sub conditione. (P. I. §. XXXV, 2.) *L. 51. §. ult. ff. h. t.* 7) Ut nec partem hereditatis sibi relictae adire quis possit, *L. 1. L. 2. L. 55. ff. h. t.* nec 8) invitus ad adeundum cogi. *L. 6. §. ult. ff. h. t.*

## §. XCV.

Servi & filii quomodo ad-eant?

Denique inde reddes rationem, 9) cur nec servus sine jussu domini, nec filius nisi jubente patre hereditatem adire possit. §. 3. *Inst. per quas pers. cuiq. adqu.* His tamen, si justæ ætatis sint, leges novæ indulgent, ut & invito patre hereditatem adeant, eoque casu plenam ejus adquirant proprietatem. *L. ult. pr. §. 1. 2. C. de bon. qualib.*

## §. XCVI.

Quis pro herede gestisse videatur?

Quum porro PRO HEREDE GESTIO factis fiat; (§. XCII.) consequens est, 1) ut requirantur actus animo heredis explicati,

ti, *L. 20. pr. §. 4. L. 88. ff. h. t.* adeoque 2) pro herede non gerere videatur, qui pietatis aut custodiæ causa quid fecit, *L. 20. pr. h. t.* multoque minus, 3) qui diserte se id eo animo facere testatur. *L. 20. §. 1. 2. 3. h. t.*

§. XCVII.

Quandoquidem ergo per aditionem demum, & pro herede gestionem hereditatem acquirit extraneus; (§. LXXXIX, 2.) consequens est, 1) ut hereditas non adita non transmittatur, *L. 7. C. de jur. delib. L. un. §. 5. C. de cad. toll.* nisi quod 2) ex constitutione Theodosii & Valentiniani hereditas non adita transmittitur ad liberos etiam emancipatos, *L. un. C. de his, qui ant. apert. tab. hered. transm.* & 3) herede intra spatium deliberandi defuncto, quod reliquum est temporis, etiam heredibus prodest. (§. LXX, 3.) *L. 19. C. de jur. delib.*

Hereditas non adita non transmittitur.

§. XCVIII.

Porro inde inferimus, 4) adita hereditate omnia jura heredis consequi adeuntem, *L. 37. ff. h. t.* non autem 5) possessionem, quæ facti est, & naturaliter apprehendenda. *L. 23. pr. ff. de adqu. vel omitt. poss.* 6) Heredem adeundo se obligare legatariis & fideicommissariis, quasi ex contractu, §. 1. *Inst. de obl. qua quasi ex contr. L. 5. §. 2. ff. de obl. & act.* 7) Heredem, qui semel adiit, a creditoribus recte conveniri, \* *L. 8. C. h. t.* etiam si hereditas solvendo non sit, *L. 8. h. t. L. 10. C. de jur. del.* nisi adierit cum beneficio inventarii. (§. LXXII.)

Aditionis effectus.

\* Non tamen intra novem dies, si statim ad-  
 eat hereditatem. *Nov. CXVI, cap. V, §. 1.* Quo  
 dies DENICALES veterum eleganter re-  
 fert Mynsing. ad §. 8. *Inst. de rer. div.* Plu-  
 scula eam in rem diximus in *Comment. ad*  
*Leg. Jul. & Pap. Lib. III. cap. II. p. 476.*  
*sequ.*

## §. XCIX.

Repudia-  
 tio here-  
 ditatis.

Denique quum heres extraneus heredita-  
 tem etiam omittere possit suo arbitrio ; (§.  
 LXXXIX, 2.) sequitur, 1) ut & hic decla-  
 ratio voluntatis requiratur, & jus adquiren-  
 di, *L. 18. ff. h. r.* adeoque 2) nec furiosus,  
 nec mente captus, nec 3) infans, nec 4)  
 pupillus sine tutoris auctoritate, nec 5) fi-  
 lius sine patris jussu recte repudiet. *L. 13. ff.*  
*L. 5. C. h. r. L. 11. ff. de auct. tut. L. 8. §. 2. C.*  
*de bon. qua lib. 6)* Ut nec semel repudiata he-  
 reditas adiri, *L. 4. C. h. r. L. ult. C. de bon.*  
*qua lib.* nec 7) semel adita repudiari possit  
 nisi ob minorennitatem heres restituatur in  
 integrum. §. 5. *Inst. de her. qual. & diff.*

## §. C.

Jus ho-  
 dicium.

Tale est jus Romanum. Mores passim ab  
 eo divortium faciunt. Inprimis multis locis  
 in Germania & Gallia invaluit, ut possessio  
 etiam adita hereditate, sine adprehensio-  
 ne naturali ab herede adquiratur. Non ta-  
 men universalis est ea consuetudo, ceu sibi  
 persuasit Carpz. *Part. III. Const. XI. Def. 27.*

T I T. III.

Testamenta quemadmodum aperiuntur,  
inspiciantur, & describantur.

§. CI.

**M**ortuo testatore aperiendæ inspicien-  
dæque erant tabulæ testamenti. Quam  
in rem cautum fuerat lege Julia VICESI-  
MARIA, ut tabulæ aperirentur a præsentibus  
intra triduum, vel quinque dies, ab  
absentibus intra eosdem dies, \* ex quo su-  
pervenerint. Paull. *Sent. Rec. IV, 6. §. ult.* Post-  
ea & Prætor edixerat, I. se tabulas testamen-  
ti, vel quodcumque ad causam testamenti  
pertinere videatur, inspicere ac describere  
desideranti, ac prius de calumnia juranti,  
potestatem facturum. Non tamen eam par-  
tem describi passurum, quam defunctus ape-  
rire vetuerit, vel quæ ad alicujus ignominiam  
pertinere videatur. L. 1. L. 2. ff. L. 3. C.  
*hoc tit.*

Lex Ju-  
lia vicesi-  
maria &  
edictum  
de tabu-  
lis ape-  
riendis  
descri-  
bendis-  
que.

\* Videntur tamen hi dies non a morte te-  
statoris, sed a diebus denicalibus nume-  
randi, intra quos nihil fieri auspicato po-  
terat. (§. XCVIII. \*) Vid. *Comm. nostr. ad*  
*L. Jul. & Pap. Lib. III. cap. II. p. 377.*

§. CII.

Inde axiomata: I. Tabulæ sunt sollempni-  
ter aperiendæ. II. Eas inspicere ac descri-  
bere licet omnibus, modo de calumnia ju-  
rent. III. Quæ aperiri testator vetuit, vel ad  
alicujus ignominiam pertinent, vel calumniæ

De iis-  
dem a-  
xiomata.

occasionem præbent, nec inspicienda, nec describenda sunt.

## §. CIII.

Quomodo tabulæ aperiuntur?

Quum itaque sollemniter aperiendæ essent tabulæ; (§. CII, 1) facile reddi poterit ratio, cur 1) cogerentur signatores convenire ad agnoscenda figilla, & 2) iis præsentibus, rupto lino, (vid. Sueton. *Neron. cap. XVII.*) facta inspiciendi describendique copia, exemplar authenticum in archio reponeretur. Paull. *ibid. IV, 6, 1. 3*) Cur, uno ex signatoribus absente, tabulæ ad ipsum mitterentur agnoscendæ, *L. 7. ff. h. t. 4*) omnibus vero absentibus, tabulæ præsentibus optimæ opinionis viris, aperirentur, factoque instrumento mitterentur absentibus. *L. 2. L. 7. ff. h. t. 5*) Cur in municipiis id fieret in foro vel basilica, & quidem inter horam diei secundam & decimam, Paullus *ibid. §. 11.* id est, fervente foro. Martial. *Epigr. IV. 8.* V. C. Ant. Schulting. *Jurisp. vet. antejust. p. 403.*

## §. CIV.

Quomodo inspiciantur & describuntur?

Ex secundo axioma (§. CII, 2.) inferimus, 1) Prætorem describendi potestatem facere, si testamentum etiam injustum sit, *L. 2. §. 1. ff. h. t.* nec non 2) facultatem dare inspiciendi codicillos, *L. 2. §. 2. ff. h. t.* immo & 3) testamenta omnia, si plura essent. *L. 2. §. 3. ff. h. t.* 4) Eam inspectionem permittendam non esse, si suspicio sit, testatorem vivere. \*) *L. 2. §. 4. ff. h. t. L. 1. §. 5. ff. ad L. Corn. de fals. L. 38. §. 7. ff. de pæn.* 5) Desiderantis tamen interesse debere, eoque nomi-

nomine ab illo præstandum esse jusjurandum calumniæ. *L. 3. § 10. ff. de tab. exh. L. 3. C. h. t. 6*) Negantem, apud se tabulas existare, conveniri posse interdicto de tabulis exhibendis, *L. 2. § ult. ff. h. t. L. 2. §. 1. de tab. exh. vel ab herede rei vindicatione L. 3. h. t.*

\* Unde reprehensionem incurrit ipse Augustus, dum vivi Antonii tabulas apertas pro concione recitavit, *Suet. Aug. cap. XVII. Quod factum Plutarchus ἀπόκρυτον καὶ δεινόν, Dio Cassius ἀγνωμώτατον vocat.*

**§. CIV.**

Denique ex ultimo axioma ( §. CII, 3. ) discimus, 1) non aperiendam esse substitutionem pupillarem, quam testator consilio Justiniani §. 3. *Inst. de pup. subst.* singulari signaculo clausit *L. 8. ff. h. t.* 2) Non pati Praetorem inspicere vel describi diem & consulem, *L. 2. §. 6. ff. h. t.* nec 3) quæ quocumque modo ad alicujus ignominiam pertinere videntur. *L. 3. C. h. t.* Quibus ambagibus hodie vix opus esse, facile unusquisque animadvertit.

Quid inspicere & describi nequeat?

**T I T. IV.**

*Si quis omiſſa cauſſa teſtamenti ab inteſtato vel alio modo poſſideat hereditatem.*

**§. CVI.**

**S**æpe eveniebat, ut heredes instituti, si simul a lege vocarentur, omiſſa cauſſa teſtamenti, ab inteſtato poſſidere hereditatem

Edicti hujus ratio.

malent, tantum ut circumvenirent eos, quibus aliquid ex supremo defuncti iudicio debebatur. Quare Prætor, voluntates defunctorum tueri cupiens, edixerat, *se legatariis & fideicommissariis adversus illos causa cognita actionem daturum. L. 1. princ. L. 6. §. 3. ff. h. t.* Quare hos Prætor pro heredibus testamentariis habet.

§. CVII.

Contra quos Prætor ediciti pro-  
posuerit?

Ex quo sua sponte fuit, 1) non interesse, five unus five plures possideant hereditatem, *L. 18. pr. ff. h. t. nec 2) five jure bonorum possessionem consequutus sit heres institutus, five pro herede ab intestato mala fide possideat. L. 1. §. 9. ff. h. t. 3) Perinde quoque esse, five possideat quis vere, five dolo possidere desierit, L. 1. §. 11. ff. h. t. five 4) ideo hereditatem dolo malo, vel accepto pretio, omiserit, ut ad legitimum perveniret. L. 1. §. 12. 13. L. 2. L. 3. L. 4. ff. h. t. 5) Excusandum esse, qui iusta causa motus, omissa causa testamenti ab intestato succedere maluit. L. 6. §. 3. 4. h. t. 6) Nec actionem competere adversus possessorem singularem. L. ult. ff. h. t.*

§. CVIII.

Que inde actio nascatur.

Quumque hunc, qui omisa causa testamenti ab intestato possidet, Prætor pro herede testamentario habeat; (§. CVI.) consequens est, ut legatarii & fideicommissarii easdem habeant actiones, quas adversus heredem, qui adiit, habuissent, (*Inst. §. DCXXXIX*) *L. 6. §. 3. ff. h. t. ad consequendum*

dum, quidquid sibi ex defuncti iudicio deberetur. *L. 1. pr. L. 12. §. 1. ff. h. t.*

## T I T. V.

De Sc. Silaniano & Claudiano quorum testamenta ne aperiantur.

## §. CIX.

Q Uamvis Prætor aperiendi, inspiciendi <sup>SC. Silaniano</sup> describendique tabulas potestatem se facturum promississet; (§. CI, 1.) impedimentum tamen objiciebant SC. SILANIANUM & CLAUDIANUM. Priore enim, P. Cornelio Dolabella & C. Junio Silano Coss. A. V. C. DCCLXIII. facto, cautum erat, ut, si dominus a familia occisus diceretur, de ea ab herede, antequam adeat, publica quæstio haberetur, deque servis, qui sub eodem tecto fuerant, supplicium sumeretur: si prius heres adeat, hereditas a fisco occuparetur. *L. 1. pr. §. 25. 26. L. 5. §. 2. ff. h. t.*

## §. CX.

Deinde prodiit SC. CLAUDIANUM, <sup>SC. Claudiano</sup> quod & *Neronianum*, & *Pisonianum* adpellatur, *Paull. Rec. Sent. III, 5, 5. L. 8. ff. h. t.* conditum anno V. C. DCCCX. Nerone Claudio & L. Calpurnio Pisone Coss. quo Silanianum confirmatum, cautumque insuper, ut & testamento manumissi, qui sub eodem tecto fuerant, inter servos supplicia penderent, & viro occiso, de familia etiam uxoris; uxore occisa, de familia viri quæstio haberetur. *L. 1. §. 15. L. 3. §. 16. 17.*

*h. r. Paull. Rec. Sent. III, 5, 5. Tacit. Annal. 31. seq.*

## §. CXI.

Ad eos  
servos ea  
SC. perti-  
neant?

Sed ipse horum SCtorum rigor facile uni-  
cuique persuadet, 1) ea tantum pertinere  
ad eos servos, qui sub eodem tecto fuerunt,  
quum dominus occideretur, *L. 1. §. 26. ff.*  
*h. r. non* 2) ad alios, quamvis in vicinia de-  
gentes, nisi sceleris conscios, *d. L. 1. §. 26.*  
nec 3) ad eos, qui vocem occisi exaudire  
non potuerunt, *L. 1. §. 27. eod.* nec 4) ad eos,  
quos impubertas, gravis valetudo, senectus,  
furor, aliaque justa causa excusat, *L. 1. §. 32.*  
*L. 3. pr. §. 6. 7. (seqq. h. r. nec* 5) ad illos de-  
nique, qui domino auxilium tulerunt sine do-  
lo malo, *L. 1. §. 34. (seq. h. r. vel* 6) quos ipse  
testator vulneratus vel expresse vel tacite pur-  
gavit. *L. 1. §. ult. L. 2. h. r.*

## §. CXII.

Quid si  
quis ante  
finitam  
de se. vis  
quæstio-  
nem ta-  
bulas a-  
peruerit?

Adversus eum, qui antequam supplicium  
sumtum erat, tabulas aperuerat, Prætor pro-  
miserat C. aureorum iudicium, dividendo-  
rum inter fiscum eumque, cuius opera reus  
convictus fuerit, modo tabulæ vere, & do-  
lo malo, non ab ignorante, vel ex rusticita-  
te & imperitia, apertæ essent. *L. 25. §. 2. ff.*  
*h. r.* Quam poenam elapso quinquennio, ex-  
spirare iussit SCtum, T. Statilio Tauro & M.  
Æmilio Lepido Coss. anno V C. DCCLXIV.  
conditum, nisi plane de parricidio quæstio  
habeatur, quæ vicennium durat. *L. 13. ff. h. r.*

**T I T. VI.**

*Si quis aliquem testari prohibuerit,  
vel coegerit.*

**§. CXIII.**

**Q**uemadmodum superiore casu fisco occupabat hereditatem; (§. CIX.) ita idem contingit, si quis aliquem testari prohibuisset, veluti non intromittendo testamentarium, vel prohibendo dolo malo, quo minus testes venirent. Ei enim Hadrianus Imp. actiones denegari, & a fisco hereditatem tanquam indigno eripi iusserat. *L. 1. pr. §. 1. 2. L. 2. pr. ff. h. t.* Unde facile patet, non pertinere hanc constitutionem ad blanditias, quibus vir uxorem, tabulas mutare volentem, maritali sermone placavit. (§. VII, 5.) *L. ult. ff. L. ult. ff. h. t.*

Prohibenti aliquem testari hereditas a fisco eripitur.

**§. CXIV.**

Quumque testamentum vi & metu extorqueri a testatore nequeat; (§. VII, 5.) consequens est, 1) ut testamentum, quod quis coactus condidit, ipso jure nullum sit, (§. XXVIII.) adeoque 2) fisco hic non sit locus, sed 3) res redeat ad causam intestati. *L. 155. pr. ff. de reg. jur.*

Quid si quis aliū testari coegerit?

**T I T. VII.**

*De jure codicillorum.*

**§. CXV.**

**T**estamenti quodammodo adfines sunt **CODICILLI**, quos veteribus non

Codicillorum origo.

nisi Epistolas fuisse, ex Cic. *ad Fam. IV. 12. VI. 18. ad Attic. XII, 8. Senec. Epist. LV. L. 89. pr. ff. de leg. 2. L. 37. §. 2. L. 41. §. 2. de legat. 3. L. 56. de fideic. libert. L. 30. §. 1. de adim. vel transfer. leg. jam alibi docuimus. (Inst. §. DCLXXVII.)*

Quamvis vero hujusmodi epistolas procul dubio sæpius ad heredes scriberent testatores; ea tamen neminem obligabant, antequam Augustus, L. Cornelio Lentulo heres scriptus, consilio Trebatii statuisset, ut jure optimo admitterentur. *pr. Inst. h. t. (Inst. §. DCLXXIX.)*

## §. CXVI.

Quid? & quocumque ces codicilli?

Sunt itaque hodie codicilli minus sollemnis testatorum intestatorumque voluntas. *L. 1. L. 13. §. 1. ff. h. t.* Ex quo collegerunt veteres, 1) eos æque ac testamentum in **SCRIPTOS & NUNCUPATIVOS**, *L. 13. C. de SS. eccl. L. ult. C. h. t.* itemque 2) in **TESTATO & AB INTESTATO** factos dividi posse, *L. 8. pr. §. 1. L. 16. ff. §. 1. Inst. h. t.* hosque viribus suis subsistere, *L. 3. pr. §. 1. L. 8. pr. §. 1. L. 16. ff. h. t.* illos una cum testamento corruiere vel subsistere. *L. 3. §. ult. L. 16. ff. h. t.*

## §. CXVII.

Forum discriminé a testamento.

Quum ergo sint minus sollemnis voluntas; (§. CXVI.) sequitur, 1) ut quidem codicillos facere possint, qui testamentum condere possunt, (§. VIII. sequ.) *L. 6. §. 3. L. 8. §. 2. h. t.* nec tamen 2) iis hereditas directo dari vel adimi, vel heredi substitui possit. *L. 6. pr. L. 10. ff. L. 2. C. h. t.* 3) Ut contra legata & fideicommissa codicillis recte dentur, & hinc

hinc 4) plures etiam codicilli fieri queant: L. 6. §. 1. ff. §. 3. Inst. h. t. 5.) Ut nulla exigatur sollemnitas ordinationis, & hinc præter unitatem actus hic sufficiant quinque testes, etiam non rogati, immo & feminæ. (Inst. §. DCLXXXIV. \*) §. 3. Inst. L. ult. Cod. h. t.

§. CXVIII.

Solent etiam codicilli in subsidium annexi testamento, quando illi inseritur clausula codicillaris: *Si testamentum non valebit, tanquam testamentum, volo illud valere jure codicillorum.* L. 41. §. 3. ff. de vulg. & pup. subst. L. 3. fin. ff. de test. mil. Et tunc hujusmodi testamentum in vim fideicommissi subsistit, dummodo quinque testes subscripserint. L. 29. §. 1. ff. qui test. fac. poss.

Clausula codicillaris.

§. CXIX.

Non itaque hæc clausula supplet defectum sollemnitatis internæ, e. g. 1) præteritionis liberorum, nec 2) defectum voluntatis, nec 3) defectum non aditæ hereditatis, L. 29. ff. qui test. fac. poss. L. 3. ff. de vulg. & pup. subst. quamvis non desint ex pragmaticis, qui suo more multo majorem huic clausulæ virtutem tribuunt. (Inst. §. DCLXXXVII.)

De ejus effectis justo magis sentiunt pragmatici.

---

L I B. XXX. XXXI. XXXII.

De legatis & fideicommissis.

§. CXX.

**H**Actenus de hereditate delata per testamentum. In eo quum etiam LEGATA & FIDEICOMMISSA reliquantur; de

Quid legatum & fideicommissum.

de his quoque jam agitur. Est autem LEGATUM *delibatio hereditatis, qua testator ex eo, quod universum heredis foret, alicui quid collatum vult verbis directis & civilibus.* \* L. 116. *pr. ff. de legat. 1.* FIDEICOMMISSUM est, quodcumque ab aliquo verbis obliquis & precariis relinquitur. Ulp. *Fragm. XXV, 1.*

\* Id est legis modo, uti eleganter Ulpian. *Fragm. XXIV, 1.* Legare enim esse νομῶδες εἶναι, vel legem dicere rebus suis, jam supra observavimus. (§. II. \*) Inde est, 1) quod legata relinquenda essent verbis imperativis, 2) non in codicillis, nisi testamento confirmatis, sed in ipso testamento, 3) Latinis non Græcis verbis. Ulp. *Fragm. XXV, 3. 8. 9.* (§. XLIII. \*) Quæ omnia in fideicommissis secus se habebant. Unde & benignior erat horum, quam illorum interpretatio. L. 16. *C. de fideicommiss.*

### §. CXXI.

Quotupl  
cia  
legata?

Quamvis vero legata omnia verbis imperativis & directis relinquenda essent; (§. CXX.) alia tamen relinquebantur PER VINDICATIONEM, verbis: *do lego, sumiro, capito, habeto*; alia PER DAMNATIONEM, verbis ad heredem directis: *Heres damnas esto dare, dato, facito, eum dare facere jubeo*; alia PER PRÆCEPTIONEM, verbis ad unum ex heredibus directis: *Heres precipito, precipuum accipito*; alia denique SINENDI MODO, verbis: *Heres sinito legatarium sumere, habere.* §. 2. *Inst. h. r. & ibi*

Theo-

Theophilus. Ulpian. *Fragm. XXIV, 2. sequ.*  
Inter quæ itidem olim maxima erat differen-  
tia. \*)

\* Differabant enim 1) ratione *objecti*. Per  
*vindicationem* & *præceptionem* legabantur  
res, quæ tempore mortis & testamenti fa-  
ctionis erant in dominio juris Quiritium:  
*sinendi modo* res etiam in bonis testatoris re-  
pertæ: per *damnationem* res quælibet, etiam  
alienæ. Ulpian. *Fragm. XXIV, 7. Caj. Inst.*  
*7, 1. sequ.* 2) Differabant etiam *effectiv.* Nam  
legatum per *vindicationem* relictum peteba-  
tur actione in rem, seu rei vindicatione;  
per *damnationem* & *sinendi modo* relictum a-  
ctione personali ex quasi contractu aditio-  
nis; (§ XCVIII, 6.) per *præceptionem* da-  
tum familiæ eriscundæ iudicio. Theoph.  
§. 2. *Inst. h. t.*

§. CXXII.

FIDEICOMMISSIS vel hereditas sive to-  
ta sive pro parte, vel res singulæ relinquin-  
tur. Priora UNIVERSALIA vel FIDEI-  
COMMISSARIÆ HEREDITATES; po-  
steriora SINGULARIA adpellantur. §. 2.  
*Inst. de fideic. her. pr. Inst. de sing. reb. per fideic.*  
*relict.* Enimvero nos jam hic de SINGULA-  
RIBUS loquimur.

Quom-  
plicia fi-  
deicom-  
missa?

§. CXXIII.

Quamvis ergo & inter legata & fideicom-  
missa, (§ CXXI. \*) & inter quatuor lega-  
torum genera, permultum interesset; (§  
CXXI.) Justinianus tamen primus & legato-  
rum ac fideicommissorum, L. 2. C. de legat. &  
*fideic.* §. 3. *Inst. h. t.* & ipsorum legatorum dis-  
crimen omne sustulit. L. 15. C. de test. L. 1. C.

De ho-  
derna  
legatoris  
inde le-  
xiomata.

*comm. de leg. & fid.* Unde axiomata : I. Legata & fideicommissa sunt delibatio hereditatis. II. Legata & fideicommissa ita per omnia exæquata sunt, ut, quod deest legatis, repleatur ex natura fideicommissorum, & contra. III. Omnium legatorum hodie eadem natura est, quibuscumque verbis relicta sint, ac formulis.

## §. CXXIV.

Qui legare possint, & quibus?

Quum itaque legatum & fideicommissum sint delibatio hereditatis; (§. CXXIII, 1.) consequens est, 1) ut legare & fideicommittere possint, qui possunt hereditatem dare, id est, testamentum condere. (§. VIII. seq.) L. 2. L. 114. pr. §. 1. de legat. 1. 2) Ut & iis tantum recte relinquuntur, quibuscum est testamenti factio, §. 24. Inst. h. t. non 3) incapacibus, quibus tamen alimenta recte relinquuntur. L. 11. ff. de alim. vel cib. leg. 3) Ut etiam personis incertis, (secus, ac olim, §. XXXIX.) modo ex eventu certæ fieri possint, adeoque & pauperibus, civitatibus, collegiis licitis, postumo alieno, recte legetur : L. 24. C. de Episc. L. 117. ff. de legat. 1. L. 1. §. 15. ff. ad SC. Trebell. §. 27. Inst. h. t. non autem 4) servo heredis, (Inst. §. DCVIII.) nisi sub conditione. §. 32. Inst. h. t. quamvis contra 5) domino a servo herede legari possit, quia per servum ad alium pervenire potest hereditas. §. 33. Inst. h. t.

## §. CXXV.

A quibus?

Ex eodem axioma patet, 6) legari ac fideicommitteri posse ab omnibus, ad quos quidquam ex rebus hereditariis pervenit, L. 92

§. ult.

§. ult. ff. de legat. 1. L. 1. §. 6. ff. de legat. 3. adeoque 7) ab heredibus, L. 9. C. de fideic. 2) substitutis, L. 74. ff. de legat. 1. 9) legatariis & fideicommissariis, pr. Inst. de sing. reb. per fideic. relist. modo ne 10) onerentur, ultra quod honorati sunt, §. 1. Inst. de sing. reb. per fideic. rel. vel 11) liberi non lædantur in legitima. (P. II. §. XLIX.)

§. CXXVI.

Quumque eadem hodie omnium legatorum natura ac indoles sit; (§. CXXIII, 3.) consequens est, (§. CXXI. \*) 1) ut per legatum vel fideicommissum relinqui possit, quidquid est in commercio, & utilitatem aliquam præstare potest, §. 4. Inst. h. t. adeoque 2) & res futuræ, veluti fructus nascituri, \* §. 7. Inst. h. t. L. 24. pr. ff. de legat. 1. L. 17. pr. ff. de legat. 3. non autem, 3) quæ in rerum natura nec sunt, nec esse possunt. §. 4. Inst. h. tit.

An legari possint res futuræ?

\* Sed quale est hoc legatum? Purum an conditionatum? Purum procul dubio, quia statim transmittitur ad heredes legatarii. L. 25. §. 1. ff. quand. dies leg. ced. Quod ad præstationem ejus attinet, distinguendum est, demonstrationis causa adjectus sit fundus e. g. Amphoram vini, quæ ex vinea Tusculana sumetur, do lego, an taxationis causa, e. g. Amphoram vini, in vinea Tusculana nascituri, do lego. Hic enim si nihil natum, nihil debetur. L. 5. ff. de trit. vin. ol. Priore contra casu amphora vini præstanda, etiamsi in vinea Tusculana nihil natum sit. L. 12. ff. de alim. leg. L. 13. ff. de trit. vin. ol.

§. CXXVII.

## §. CXXVII.

An aliena?

Ex eodem sequitur, 4) ut legari possint res etiam alienæ, eo effectu, ut heres aut redimat, aut æstimationem earum præstet arbitrio judicis, modo testator eas alienas esse sciverit. §. 4. *Inst. h. t.* Unde multo magis valet legatum, si quis rem suam, quasi alienam legaverit. §. 11. *Inst. h. t.* 5) Ut rebus hujusmodi alienis legatis, & postea vivo testatore a legatario acquisitis, heres nihilominus æstimationem debeat, si legatarius titulo oneroso adquisiverit. §. 6. *Inst. h. t.* 6) Ut contra rei legata, titulo lucrativo acquisita, æstimatione non debeat, nec duæ lucrativæ causæ in eundem hominem eandemque rem concurrere possint. §. 6. *Inst. eod. L. 108. §. 4. ff. de legat. 1. L. 82. pr. ff. de legat. 1. 7) Ut, re duorum testamentis eidem legata, qui ex priore rem consequutus est, æstimationem ex posteriore petere nequeat, & contra 8) æstimationem consequutus ex priore, rem adhuc jure petat. §. 6. *Inst. eod.**

## §. CXXXVIII.

An commercia exempta?

Porro inde inferimus, 9) legari non posse res, hominum commercio vel simpliciter exemptas, e. g. templum, §. 4. *Inst. h. t.* vel secundum quid, veluti tignum junctum, nisi sub conditione relinquuntur, *L. 41. §. 1. seq. L. 43. ff. de legat. 1. 10) Inutiliter etiam relinquere res, quæ quidem in aliorum, at non in legatarii commercio sunt. L. 49. §. 3. ff. de legat. 2. cui non opponenda L. 40. ff. de leg. 1.*

## §. CXXIX.

An oppignorata?

Quia etiam res alienæ legari possunt, (§. CXXVII,

CXXVII, 4.) non obscurum sane est, 11) recte per legatum & fideicommissum relinqui etiam res oppignoratas, & 12) tunc heredem, (si æs alienum ipsas hereditatis vires non superet, *L. 57. ff. de leg. 1*) eas luere teneri, si defunctus eas obligatas esse sciverit. *L. 57 ff. de leg. 1. L. 6. C. de fideicommiss. L. 10. C. h. r.* idque 13) præsumi, si universitas legata, ejusque res singularis oppignorata sit. *L. 15. ff. de dot. præleg. 14*) Non perire legatum rei per ejus alienationem, modo testator id non fecerit animo adimendi legatum, quod ex eo præsumitur, si alienatio non necessaria fuerit, sed voluntaria. §. 12. *Inst. h. r. L. 11. §. 12. ff. de leg. 3. L. 18. ff. de adim. & transf. legat.*

& alienata a testatore ?

§. CXXX.

Quandoquidem præterea legato aut fideicommissio recte relinquitur, quidquid est in commercio, & utilitatem aliquam præstare potest; (§. CXXVI, 1.) consequens est, 15) ut relinqui non possit res legatarii propria. §. 10. *Inst. h. r.* nisi vel testatori vel tertio jus in ista re fuerit, quod priore casu remissum, posteriore ab herede luendum est. *L. 71. §. 5. L. 88. pr. de legat. 1.* Extra quos casus hujusmodi legatum 16) inutile est, etiam si legatarius rem alienaverit, §. 10. *Inst. h. r. L. 41. §. 2. ff. de legat. 1.* quamvis olim dissenferit Celsus. *L. 1. §. ult. ff. de Reg. Caton. 17*) Ut & res incorporales, nec non 18) facta modo utilia & in se licita, recte legentur, *L. 112. §. 3. L. 113. L. 114. §. 11. ff. de legat. 1.* non autem 19) valeant legata captatoria,

An propria legatarii, incorporales, facta, res litigiosæ

ria, (§. XLIV.) *L. 64. ff. de legat. 1. nec 20* legata rerum litigiosarum, nisi sequatur victoria. *Nov. CXII. cap. 1.*

## §. CXXXI.

Divisio  
legatorum.

Ex eodem inferimus, 21) uni legari posse res plures, & 22) pluribus conjunctim rem unam, & tunc, 23) si omnes ad legatum perveniunt, illud scindi inter collegatarios. §. 8. *Inst. h. t. L. 3. pr. ff. de usufruct. ad cresc.* ita ut, si Titio & cognatis legatum sit, duæ fiant portiones. *L. 7. ff. de usufr. ad cresc.* 24) Si uni filio nascituro relictum sit legatum, illi tot portiones decrescere, quot cum eo nati sunt. *L. 17. §. 1. ff. de legat. 1.* 25) Uno contra vel altero collegatario deficiente, ejus eorumve portionem ad crescere conjunctis. §. 8. *Inst. h. t.* Id quod est illud **JUS ADCRESCENDI**, quod in hereditatibus, legatis, fideicommissis, usufructu legato, (P. II. §. CXII.) aliisque ultimis voluntatibus obtinet.

## §. CXXXII.

Juris ad-  
crescen-  
di fun-  
damentum.

Nimirum quemadmodum in hereditate jus ad crescendi valet, quia nemo pro parte testatus, pro parte intestatus decedere potest; (§. II.) ita in legatis, & fideicommissis, quia testator, dum legati delibat hereditatem (§. CXX.) adeoque, dum duos in eadem re conjunxit, maluisse videtur, ut res ad collegatarium perveniret, quam in hereditate subsideret. (*Inst. §. DCXXV.*) Et inde est, quod locum tantum habeat inter **CONJUNCTOS**.

## §. CXXXIII.

Quinam

**CONJUNCTI** dicuntur, qui ad eamdem

dem rem vocati. Idque factum vel diversis propositionibus, qui vocantur **RE CONJUNCTI**, & ob figuram orationis **DISJUNCTI**: v. c. *Titio ades meas do lego, Mavio easdem do lego*, vel in eadem propositione, sed divisim partibus, qui **VERBIS CONJUNCTI**; v. g. *Titio & Sempronio do lego ades ex aqvis partibus*. \*) vel in eadem propositione, indivisim, qui **RE ET VERBIS**, seu **MIXTIM CONJUNCTI** dicuntur. v. c. *Titio & Mavio ades do lego*. L. 89. ff. de legat. 3. L. 142. ff. de verb. signif.

conjuncti, & quotuplices?

\* Intellectualibus, puta, & quæ mente duntaxat concipiuntur. Nam si vere ipsam rem inter collegatarios divisit testator, v. c. *Titio lego fundum Cornelianum cis aquam: Sempronio ultra aquam*: tunc ne conjuncti quidem sunt, adeoque & jus adcrescendi cessat. L. 1. pr. ff. de usufr. adcresc.

#### §. CXXXIV.

Jam facile intelliguntur regulæ: I. Portio deficiens parti collegatarii conjuncti adcrefcit æqualiter, si eodem modo omnes conjuncti. II. Si omnes sint diversa ratione conjuncti, conjuncti eodem modo ceteris præferuntur, re conjunctorum portio adcrefcit omnibus, ita tamen, ut conjuncti pro una persona habeantur. L. 34. pr. ff. de leg. 1. L. un. §. 10. C. de caduc. toll. III. Conjunctis mixtim & verbis adcrefcit volentibus, & cum onere: re tantum conjunctis etiam nolentibus, & sine onere. L. un. §. 10. C. de caduc. toll.

De Jure adcrefcendi regulæ.

#### §. CXXXV.

## §. CXXXV.

Legata  
quomodo  
relin-  
quantur  
& petan-  
tur?

Denique quia legata & fideicommissa per omnia exæquata sunt; sequitur, 1) ut legata & fideicommissa non solum in testamentis, verum etiam in codicillis recte relinquantur. *L. 8. §. 1. 5. 6. L. ult. ff. de jur. codicill. L. 43. ff. de man. test.* 2) Ut ex legatis omnibus hodie & REI VINDICATIO nascatur, si species certa legata, *L. 80. ff. de leg. 2. L. 64. ff. de furt.* & actio PERSONALIS ex testamento, seu quasi contractu aditionis, (§. XCVIII, 6.) §. 5. *Inst. de obl. qua quasi ex contr.* & actio HYPOTHECARIA ob pignus tacitum, quo bona testatoris omnia legatariis & fideicommissariis obligata sunt. (P. IV. §. XXIII. 10.) *L. 1. C. commun. de legat.*

## L I B E R XXXII.

## T I T. I.

*De annuis legatis & fideicommissis.*

## §. CXXXVI.

Quid le-  
gatum  
annuum  
& men-  
struum?

**H**Actenus de legatis & fideicommissis generatim: jam in specie de annuis legatis & fideicommissis agitur. Est autem ANNUUM LEGATUM vel FIDEICOMMISSUM, quod in singulos annos; \* *L. 1. L. 2. L. 4. ff. h. t.* uti MENSURUM, quod in singulos menses relinquitur. *L. 18. §. 1. ff. h. t. L. 12. §. 6. ff. quand.*

*quand. dies leg. ced.* Unde axiomata : I. Legatum annum (menstruum) non unum est, sed plura. *L. 4. L. 11. ff. h. t. L. 10. ff. quand. dies leg. ced.* II. Legatum primi anni (mensis) purum, sequentium conditionale est, cui tacita inest conditio, *si vivat. L. 4. ff. h. t.*

\* Sive relictum sit expresse, sive tacite, veluti : *Damnas esto heres Attiæ dare, quoad nubat. L. 17. pr. ff. h. t.* Valet etiam hoc legatum, si nec quantitas expressa, *L. 14. ff. h. t. L. 22. ff. de alim. leg. nec locus, L. 1. ff. h. t.*

### §. CXXXVII.

Quum itaque legatum annum fit multiplex; (§. CXXXVI, 1.) consequens est, ut quotannis cedat hujus legati dies. *L. 12. pr. ff. quand. dies leg. 2*) Ut non una præscriptione tollatur, sed singulorum annorum legatum XXX. annis præscribatur. *L. 7. §. 4. C. de præscr. XXX. ann.*

*Est legatū multiplex*

### §. CXXXVIII.

Quumque primi anni legatum sit purum, sequentium conditionale; (§. CXXXVI, 2.) sequitur, 1) ut primi anni legata dies a morte testatoris; sequentium annorum, ab initio singulorum annorum cedat. *L. 12. pr. §. 1. 3. ff. quand. dies leg. ced. 2*) Ut, si testator in anni ingressu decedat, ejus anni legatum transmittat ad heredes. *L. 8. ff. h. t. 3*) Ut non modo elapso tempore adjecto, expiret, *L. 17. pr. L. 18. pr. ff. h. t. verum etiam 4*) morte legatarii. *L. 4. L. 8. ff. h. t. L. 20. ff. quand. dies leg. ced.*

*Primo annorum, sequentibus conditionatum.*

## T I T. II.

*De usu & usufructu, & redditu, & habitatione, & operis, per legatum vel fideicommissum datis.*

## §. CXXXIX.

Legatum  
servitutum  
personalium

**L**egari possunt non solum res corporales, verum etiam incorporales; (§. CXXX, 17.) adeoque & USUSFRUCTUS, (P. II. §. CVI, 4.) USUS, HABITATIO, & OPERÆ SERVORUM; (P. II. §. CIV. seq.) immo & REDITUS, quo continentur omnes annui fructus, non ab ipso legatario percipiendi, sed ab herede eidem præstandi. (P. II. §. CII. \*) L. 38. ff. h. t.

## §. CXL.

Ususfructus -

Legari itaque 1) potest USUSFRUCTUS omnium rerum, quibus uti frui commodè possumus, non servitutum, ne ipsius servitutis servitus constituatur. Hinc, usufructu viæ legato, ipsum viæ jus peti potest conditione incerti. L. 1. ff. h. t. Estque 2) hoc legatum simplex, nisi usufructus alternis annis legetur. L. 13. ff. h. t. 3) Usufructus autem non uni legatus, sed inter duos communicatus censetur, si uni fundus, alteri usufructus ejusdem relictus, non si testator, uni detracto usufructu, proprietatem legarit. L. 19. L. 26. §. 1. ff. h. t.

## §. CXLI.

Redditus.

Quum vero legatos REDITUS non ipse legatarius percipiat, sed heres præstet; (§. CXXXIX.)

(§. CXXXIX,) consequens est, 1) ut heres fundum, ex quo reditus legatus, possit vendere, neque 2) heres legatario hic habitationem in fundo præstare teneatur. *L. 38. ff. h. t. 3.*) Ut, si reditus memoriz causa a testatore legatus sit, is non extinguatur, si quod memoriz causa fieri voluit, fieri impedatur, nec legatum ideo lucro heredis cedat, sed consilio heredum ita sit præstandum, ut alio modo testatoris memoriz consulatur. *L. 16. ff. h. t.*

### §. CXLII.

Legatum HABITATIONIS, si in singulis annos conceptum, multiplex est, uti annuum; (§. CXXXVI, 1.) simpliciter, vel quoad vivat, relictum unum est. *L. 15. pr. ff. hoc tit.* Legatum denique OPERARUM id singulare habet, 1) quod ejus dies non ab adita hereditate, sed ex quo petitæ sunt, cedat; (P. II. §. CXXVIII, 3.) *L. 7. ff. h. t. 2*) quod nec capitis diminutione, nec non utendo admittatur. (§. eod. 4.) *L. 2. ff. h. t.* Cetera occupavimus libro Pandectarum septimo.

Habitatio-  
tionis &  
operat.

### T I T. III.

#### *De servitute legata.*

### §. CXLIII.

**Q**uemadmodum servitutes *personales* re-  
ctè legantur; (§. CXXXIX.) ita <sup>Legatum</sup> <sub>servitutis</sub>

& REALES vel PRÆDIALES . Quum vero hic prædium serviat prædio ; ( P. II. §. CXXXVII. ) consequens est , ut 1 ) a pluribus heredibus servitus præstanda in solidum . L. 7. ff. h. t. 2 ) Ut legari servitus non possit , nisi ei , qui vicinum habet prædium , L. 1. L. 2. L. 3. ff. h. t. 3 ) Ut id legatum morte legatarii non expiret , sed ad heredes transmittatur . L. 6. ff. h. t. L. 4. ff. de serv. præd. 4 ) Ut adeo nulla sit actio , cur dies hujus legati non a morte ipsa testatoris cedat . L. 3. ff. h. t. L. un. §. 6. C. de caduc. toll. Vid. quæ eam in rem disputant Jac. Cujac. *Obs.* 1, 23. Bachov. *Vol. II. Disp. XIII. th. 7.* VVeissenb. *ad tit. ff. de serv. leg. thes.* 1.

## T I T. IV.

*De dote prælegata .*

## §. CXLIV.

**D**OS PRÆLEGATA & LEGATUM DOTIS, ut differant? **A** DOTE PRÆLEGATA, de qua hoc titulo agitur, differt *legatum dotis*. Hoc enim non maritus, sed alius quicumque legat virgini vel viduæ: & hinc quia dos sine nuptiis intelligitur, ( P. IV. §. CLXXXI, ) his non sequatis, legatum extinguitur . L. 31. L. 71. §. 3. ff. de cond. & dem. Illa autem est, quando maritus uxori dotem relegat, solummodo matrimonio reddendam . L. 1. pr. ff. h. t. §. 15. *Inst. de legat.*

## §. CXLV.

**P**rælegatum dotis utile. Quum ergo legatum debeat legatario utilitatem adferre ; ( §. CXXVI, P. ) consequens

quens est, 1) ut; prælegatum dotis utiliter relinqui possit. Quamvis enim, soluto matrimonio, dos etiam non relegata peti possit; (P. I. §. CCXXXVII, 1.) relegata tamen utilior est, 1) quia etiam mobilis hic statim repræsentanda, quum non relegata anno demum circumacto restitui debeat. (P. IV. §. CCXL, 8.) L. 1. §. 2. ff. h. t. 2) Quia impensæ non necessariæ, & donationes mulieri factæ, ab hoc legato non deducuntur, L. 5. ff. h. t. & solæ necessariæ repeti queunt, quod in non relegata dote aliter se habet. (P. IV. §. CCL, 1.) 3) Quia excludit pacta dotalia mulieri damnosa. L. 1. §. 1. ff. h. t. 4) Quia probationem non desiderat.

§. CXLVI.

Quamvis enim nihil dotis nomine intulerit mulier; non inutile tamen est legatum, si maritus certam speciem, certamve quantitatem expresserit. §. 15. *Inst. de legat. L. 6. §. 1. L. 8. ff. h. t.* Si autem nihil certi expressum, non potest non legatum esse inutile. §. 15. *Inst. de legat. L. 75. §. 1. ff. de legat. 1.*

*Etiamsi uxor nihil intulit.*

T I T. V.

*De optione vel electione legata.*

§. CXLVII.

**Q**uia omnia, quæ utilitatem præstant, legari vel per fideicommissum relinqui possunt; (§. CXXVI, 1.) legari sane potest non modo QUANTITAS, id est, genus, numero definitum, & SPECIES, quæ JCTis

*Potest & genus legari.*

Idem, ac individuum, verum etiam GENUS, quod iisdem idem, quod philosophis species. (*Inst. §. DCXIX.*)

## §. CXLVIII.

Quando  
id legatū  
fit utile,  
& quis  
eligat?

Genus legatum, ceu ex ipsa definitione patet, utile est, quoties genus non summum, sed infimum est, & certos ab ipsa natura terminos habet. Alias enim, si ab arbitrio hominum penderet, nec testator tale quid reliquisset, legatum magis esset derisorium. *L. 71. pr. ff. de leg. 1.* Sed si utile est legatum, maxime quaeritur, quem penes sit electio? Et respondemus, penes eum, cujus eam voluit esse testator, qui legem dicere potest rebus suis. (*§. II.\**)

## §. CXLIX.

Id iudicandum  
ex verbis  
testamenti.

Ex quo axioma patet, 1) si verba a testatore ad heredem fuerint directa, heredem eligere, sed non pessimum tamen dare posse. *L. 45. L. 110. ff. de legat. 1. L. 43. §. 3. ff. de legat. 2.* 2) Verbis ad legatarium directis, hunc eligere, etiam optimum. *L. 2. §. 1. ff. h. t. L. 37. pr. ff. de leg. 1.* 3) In legato quantitatis heredem semper eligere, & liberum ei esse cujus generis dare velit. *L. 4. ff. de trit. vin. Col. 4)* Si speciatim legatario optionem indulsit testator, illud esse LEGATUM OPTIONIS. *§. 23. Inst. de legat.* Quæ optio erat actus legitimus, *L. 77. ff. de reg. jur.* & adita demum hereditate fieri debebat, *L. 16. ff. h. t.*

## §. CL.

Legatum  
optionis.

Ex qua natura & definitione huius legati patet, 1) illud olim tacitam habuisse conditionem,

nem, si optasset: adeoque 2) jus optandi ad heredem transire potuisse. §. 23. *Inst. de legat.* Em. Merrill. *Obs.* II, 8. & hinc 3) diem hujus legati cessisse demum ab adita hereditate. *L. 16. ff. h. r.* 4) Pluribus legatariis in optione dissentientibus, forte hoc dirimi debere, unumque rem accipere, reliquos portionum suarum æstimationem. *L. ult. C. comm. de leg.* 5) Optare debere legatarium, qui adfectione gaudere potest, non procuratorem ejus. *L. 77. L. 123. ff. de reg. jur.* 6) Optare eum posse optimum, *L. 2. pr. ff. h. r. L. 9. §. 1. ff. de dol.* sed 7) quod semel optavit, non repudiare. *L. 2. §. 2. L. 3. L. 4. L. 5. L. 10. L. 16. L. 20. ff. h. r.*

§. CLI.

Sed id, quod optandi jus ad heredem transire non potuisse diximus, (§. CL, 1.) nova Justiniani constitutione mutatum, cautumque est, ut, si legatarius non optaverit, adhuc optare posset ejus heres. *L. ult. C. comm. de legat. & fideic.* Ex quo consequi videtur, ut hodie dies hujus legati non amplius ab adita hereditate cedat, (§. CL, 7.) sed a morte testatoris, *arg. L. un. §. 6. C. de caduc. toll.*

Hodie & hereditibus legatarii prodest.

T I T. VI.

*De tritico, vino vel oleo legato.*

§. CLII.

Sunt quædam legata, in quibus res maxime redit ad interpretationem certorum vocabulorum. TRITICUM modo non

Triticum vinum oleum quid?

omne frumentum continet, *L. 77. ff. de verb. signif. modo continet. L. 94. ff. de verb. obl.* VINI nomine venit, quod ex vinea natum vinum permansit, vel quod testator vini numero habuit. *L. 9. pr. L. 1. ff. h. t.* OLEUM succus pinguis, quo ad ellychnia alenda, vel cibos pingues faciendos utebantur.

## §. CLIII.

Legatum  
tritici.

Ex definitione itaque tritici patet, 1) frumento sine quantitate legato, id relictum videri, quod paterf. habuit. *L. 7. pr. ff. h. t.* 2) Certa quantitate legata, id intelligi, quod testator ita adpellare consuevit. *L. 1. L. 9. pr. §. 1. L. 13. ff. h. t.*

## §. CLIV.

Vini.

Ex vini definitione inferimus, 3) mulsum, zythum, camum, cerevisiam, hydromeli, defrutum, cydoneum, acetum, eo vocabulo non contineri, nisi & illud testator vini nomine habuerit. *L. 1. L. 9. pr. ff. h. t.* 4) Vino vetere legato, disquirendum esse, quoniam testator pro vetere vino usus sit, alias sufficere, si vinum non sit novum & hornum. *L. 9. §. ult. L. 10. L. 11. L. 12. ff. h. t.* 5) Legato vino etiam vasa minora & dolia, non tamen cuppas difficulter mobiles, deberi. *L. 3. §. 1. L. 6. L. 14. L. 15. ff. h. t.* Quid juris sit, vino ex fundo certo legato, jam supra occupavimus (§. CXXVI. \*)

## §. CLV.

Olei.

Denique ex olei definitione colligebant Jcti, 6) expressa ejus quantitate non qualitate, non quæri solere cujus generis oleo homines ejus regionis uti soleant, sed liberum

*De instructo vel instrum, leg. Pars V. 79*  
rum esse heredi, cujus generis velit oleum le-  
gataro solvere, L. 4. ff. h. t.

T I T. VII.

*De instructo vel instrumento legato,*

§. CLVI.

**F**undus, qui dicitur **INSTRUCTUS**, Fun. tus instru- tus & instru- mentum fundi. non tantum omne fundi instrumentum, sed & omnia, quæ eo collata sunt, ut instru- ctior esset paterfamilias, quæque ibi vel usus vel ornatus causa eo tempore, quo dies le- gati cedit, habentur continent. L. 12. §. 27. sequ. L. 28. ff. h. t. **INSTRUMENTUM** con- tra fundi, est adparatus rerum, quæ fru- ctus quærendi, cogendi conservandique gra- tia comparatæ sunt. L. 8. pr. ff. h. t.

§. CLVII.

Ergo legato fundo instructo, omnia, quæ ibi reperiuntur, debentur, non tamen 1) Quid prius le- gatum non con- tineat? res venales, nec 2) pecuniæ scœnori desti- nata, L. 12. §. 30. ff. h. t. L. 44. ff. de leg. 3. L. 1. C. de verb. sign. nec 3) quæ propter tutelam, custodiam, vel securitatem, vel ad tempus eo translata sunt, L. 1. L. 2. C. de verb. sign. nec 4) imagines, quæ in ornatu villæ non fue- runt, nec 5) frumentum, in quo paterfam, alibi instruitur, quamvis in horreo hoc repo- situm. L. 22. §. 36. 39. ff. h. t.

§. CLVIII.

Legatum fundi **CUM INSTRUMEN-** Quid le- gatum fundi cū  
**TO,** 1) omne instrumentum fructuum quæ-  
D 4                      rendo-

Instru-  
mento?

rendorum, cogendorum conservandorum-  
que causa partum continet, non autem su-  
pellectilem; ceteraque, quæ ad fundum in-  
structum pertinent. *L. 12. §. 15. 16. 27. ff. h. r.*  
2) Fundo cum instrumento legato extincto,  
etiam legatum instrumenti, tanquam acces-  
sorium, extinctum censetur. *L. 1. §. 1. ff. h. r.*  
2) Fundo & instrumento legatis, illo ex-  
tincto, hoc non extinguitur. *L. 3. ff. h. r.*

## §. CLIX.

Quid le-  
gatum  
fundi cū  
omnibus  
ibi re-  
pertis?

Legatis cum fundo omnibus, quæ in eo-  
dem sunt, præter id, quod ad instructum  
pertinet, etiam ea, quæ propter tutelam,  
custodiam, securitatem cotranslata, immo  
& res venales, pecuniæ, ornamenta & fru-  
menta, etiam quæ ad fundum non pertinent,  
debentur. *L. 27. §. 3. ff. h. r.* Quamvis & in  
his omnibus observandum cum maxime,  
quid testator demonstrare voluerit, deinde  
in qua præsumptione sint, qui in quaque re-  
gione commorantur. *L. 18. §. 3. ff. h. r.*

## T I T. VIII.

*De peculio legato.*

## §. CLX.

De pecu-  
liolegato  
extrane-  
o.

**P**ECULIUM vel filii familias est, vel ser-  
vi (P. III. §. CLXXVII. *seqq.*) Jam de  
hoc agitur, quod a domino recte legatur,  
(P. III. §. CLXIX.) idque vel SERVO ipsi,  
testamento manumisso, vel EXTRANEIO  
illi vel *expresse* relinquatur, vel *tacite*, si do-  
minus eum vivus manumiserit, nec peculium  
ade-

ademerit. §. 20 *Inst. de legat.* Unde axiomata: I. Peculii legatum non continetur legato servi. II. Ejus dies, si servo relictum, cedit ab hereditate. *L. 3. L. 7. §. 6. ff. quand. dies leg. ced.*

§. CLXI.

Quia ergo peculii legatum non continetur legato servi; (§. CLX, 1.) sequitur, 1) ut cui servus legatus est, ei non statim debeatur peculium. *L. 24. ff. h. t.* 2) Ut peculium sit veluti accessorium, & hinc 3) servo alienato, vel manumisso, vel mortuo, legatum peculii extinguatur. *L. 1. L. 2. ff. h. t. §. 17. Inst. de leg. L. 178. ff. de reg. jur.*

Quanto id legatum praestandum?

§. CLXII.

Ex posteriore axiomate patet, 1) quidquid vivo testatore accedit, vel decedit peculio, id semper legatario lucro vel damno esse. §. 20. *Inst. de legat.* 2) Peculio servo legato, ejus lucro cedere, quod ante aditam hereditatem peculio accessit. *L. 8. §. 8. ff. h. t. §. 28. Inst. de leg.* 3) Eodem legato extraneo, nihil post mortem testatoris accedere, nisi ex rebus peculiaribus. *L. 1. L. 2. ff. quand. dies. dies leg. ced. L. un. §. 6. C. de caduc. toll.* Quae omnia hodie extra usum esse facile patet.

Cujus lucro vel damno cedat incrementum ac decrementum peculii?

## T I T. IX.

*De penulegata.*

## §. CLXIII.

Penus  
quid?

**P**ENUS, vel *penoris*, vocabulo intellexisse videntur veteres non modo, quæ in futurum esui potuique vel alendi causa erant, *L. 3. L. 5. pr. ff. h. t.* Gell. *Noct. Att.* IV, 1. sed quæcumque apud Romanos reponi solebant *in cella penuaria*, vel ut Caper Grammaticus scribi iubet, *penaria*, cuius meminit Ulpianus *L. 3. §. 8. ff. h. t.* Unde vetus glossa: *Penaria cella ταμείον*. Cujac. *Obs.* X, 26. Ei præfectum fuisse *seruum cellarium*, ex *L. 24. ff. de manumiss. test.* patet. Inde ergo facile colligas, exemplis potius, quam definitione explicari posse, quid ad penum referendum. \*

\* Hinc veteres ad penum referunt 1) omnia cibaria & alimenta, in usum patristam, familiarum & clientium, immo & iumentorum parata: *L. 3. pr. §. 6. seq. ff. h. t.* Gell. *ibid.* IV, 1. 2) ligna & carbones, 3) rus, 4) cereos, nec non 5) unguenta, odores, 6) chartas epistolares, vel aliis usibus futuris destinatas, *L. 3. §. 9. 10. ff. h. t.* quin & 7) vasa penuaria, sine quibus penus recte haberi non potest. *L. 3. §. ult. L. 4. pr. ff. h. t.* Non tamen eo referebantur quæcumque promercii causa ibi fuerant reposita, *L. 4. §. 2. ff. h. t.* medicamenta, *L. 5. pr. ff. eod.* nec quæ ad cellam potius penuariam instruendam, quam ad penum  
iptam

ipſam pertinebant, uti dolia, thecæ legumini-  
num, arcæ, ſportæ, L. 3. §. *uit. ff. h. t.* mul-  
roque minus instrumentum piſtrini vel vaſa  
coquinatoria. L. 6. *ff. h. t.*

§. CLXIV.

Quid ſi aut penus legata, aut, ſi ea non  
detur, certa pecunia? Tunc heres habebit  
electionem, quamdiu lis de pecunia cum eo  
conteſtetur, niſi aliud tempus in mente ha-  
buerit, vel verbis expreſſerit teſtator, vel  
penum in annos ſingulos una ſumma legarit.  
L. 1. *ff. h. t.*

Quid ſu-  
ſum cir-  
ca penū  
vel pecu-  
niam le-  
gamam?

T I T. X.

*De ſupelleſtile legata .*

§. CLXV.

**S**UPELLEX, de cujus etymologia diſpu-  
tat Labeo, L. 7. *pr. ff. h. t.* eſt domeſticum  
patris familias instrumentum, quod neque  
argento aurove factò, nec veſti adnumera-  
tur, L. 1. *ff. h. t.* adeoque in aliam ſpeciem,  
v. gr. penum, argentum, veſtem, ornamen-  
ta & instrumenta agri non incidit. \* ) L. 7.  
§. 1. *ff. h. t.*

Supel-  
lex  
vocabulo  
quid in-  
telligi-  
tur?

\* Quia ergo ſupelleſtilis non una eſt ratio, ea-  
que pro regionum more, patrisque familias  
uſu & facultatibus diverſa eſt; ſatis patet,  
1 ) legatum hoc ex uſu & ſententiã ipſius  
teſtatoris eſſe æſtimandum, modo ne ea,  
quæ indubie ad aliam ſpeciem pertinent, ad  
ſupelleſtilem retulerit. d. L. 7. §. 2. *ff. h. t.*  
2 ) Supelleſtilem ſplendidiorem fuiſſe po-  
ſteriorum, crescente cum opibus luxuria,  
quam veterum. Unde quam ſeverius ho-

rum sæculum nondum admitteret supellectilem argenteam; facile eam, immo & auream, admiserunt posteri. L. 1. L. 3. §. 3. *de vin.* L. 7. §. 1. L. 9. §. 1. ff. h. r. Ex communi tamen vocabuli usu ad supellectilem referebantur mensæ, subsellia, scamna, lecti, culitræ, toralia, vasa aquaria, pelves, capsæ, armaria, (non tamen librorum, vestium aut armamentorum gratia parata,) vasa vitrea, escaria & potoria fictilia, rhedæ, sedularia, tapetes & similia. L. 3. pr. L. 5. pr. L. 7. §. 2. ff. h. r. Non autem in eo numero erant res animales, L. 2. ff. h. r. nec ad artificii genus pertinentes, L. 6. pr. ff. h. r. nec pugillares, codices, libri, L. 6. §. 1. L. 3. §. 2. ff. h. r. nec quæcumque ad penum, vestimenta, ornamenta, instrumenta agri aut domus pertinebant. L. 1. L. 7. §. 1. L. 10. ff. h. r.

## L I B E R XXXIV.

### T I T. I.

#### *De alimentis vel cibariis legatis.*

#### §. CLXVI.

Alimenta  
& cibaria  
quid?

**P**rimi quoque hujus libri tituli in explicandis variis legatorum generibus versantur. Favore maximo leges prosequuntur legata **ALIMENTORUM & CIBARIORUM**. Sunt vero hic **ALIMENTA**, quæcumque ad esum, potum, vestimenta & habitationem sunt necessaria,

(P. IV,

(P. IV. §. CCLX. \*) L. 1. L. 6. ff. h. r. CIBARIA vel DIARIA sunt, quæ tantum ad cibum potumque pertinent. L. 21. ff. h. r.

§. CLVII.

Ex definitionibus his sequitur, 1) ut, quæ ad disciplinam pertinent, hoc legato non comprehendantur, nisi aliud testator senserit. L. 6. L. 7. ff. h. r. 2) Ut inter alimenta, educationem & victum nihil interfit. L. 43. L. 44. L. 234. §. 2. ff. de verb. sign. L. ult. ff. h. r. 3) Ut præstanda sit quantitas a testatore definita, L. 12. ff. h. r. aut 3) si testator quantitatem non definiverit, secundum morem defuncti, ejusque facultates & caritatem ejus, cui legatum relictum, modus statuendus sit. L. 22. ff. h. r.

Quantæ debeantur?

§. CLXVIII.

Quumque magnus sit horum legatorum favor; (§. CLXVI.) facile reddes rationem 1) cur etiam incapacibus præter regulam; (§. CXXIV, 2) relinqui possint, veluti in metallum damnatis, & servis propriis, L. 11. L. 17. ff. h. r. L. 3. pr. ff. de his, quæ pro non script. 2) Cur in dubio præstanda sint per omnem vitam, L. 14. pr. h. r. L. 8. §. 10. ff. de transact. 3) Cur, si ad pubertatem relicta sint alimenta, ea ad plenam usque pubertatem (P. I. §. CXXIX.) debeantur. L. 14. §. 1. ff. h. r. 4) Cur de alimentis legis non nisi auctore Prætoris transigi possit. (P. I. §. CCCLXXXIII.) L. 8. pr. §. 1. seqq. ff. de transact.

Eorum favor.

## T I T. II.

*De auro, argento, mundo, ornamentis, unguentis, veste, vel vestimentis, & starnis legatis.*

## §. CLXIX.

Quid aurum argentum?

**A**D vocabulorum potissimum interpretationem redeunt jura hoc titulo enarrata. AURO & ARGENTO legato I. omnia ex his metallis confecta, immo & rude & infectum aurum argentumque comprehenditur, L. 19. pr. ff. h. t. modo II. vulgo auri argenti & vocabulo venire soleant, & III. alio legatorum genere non contineantur.

## §. CLXX.

Quid eo legato contineatur?

Quum itaque contineat hoc legatum, quidquid hujus metalli reperitur, sive facti, sive infecti; (§. CLXIX, 1.) consequens est 2) ut auro argentoque *facto* omnia vasa contineantur, quæ non in supellectile, mundo, ornamentis sunt, L. 27. §. 6. *Inst. h. t.* 2) non autem fracta & collisa, L. 27. §. 3. *ead.* quæ tamen 3) præstanda sunt, si aurum *infectum* legatum sit. L. 19. §. 11. L. 27. §. 4. *ff. h. t.* 4) Ut *auro & argento suo* legato, dispiciendum sit, quid testamenti tempore testatoris fuerit, non quid sit in credito. L. 7. L. 27. §. 2. L. 34. *pr. ff. h. t.* 5) Ut, certo auri argenti pondere legato, non nisi pretium & quantitas in obligatione sit. L. 1. §. 1. L. 19. §. 2. *ff. h. t.*

## §. CLXXI.

An & per omnia?

Quumque hic dispiciendum porro, quid auri

auri argenteive nomine vulgo veniat ; ( §. CLXIX, 2. ) consequens est , 6 ) ut , auro argentoque legato , non debeantur numi vel pecuniæ , *L. 19. pr. L. 27. §. 1. 4. h. t. nisi vel evidenter aliud voluerit testator , L. 27. §. 1. eod. vel diserte legatum sit aurum argentumve signatum . L. 27. §. 4. eod.*

§. CLXXII.

Denique ex tertio axioma ; ( §. CLXIX, 3. ) fluit , 7 ) auro argentoque non contineri aurea argenteaque , quæ ad supellectilem , mundum , ornamenta pertinent , veluti lectos argenteos , nisi aliud sensisse testatorem adpareat . *L. 19. §. 8. L. 32. §. 1. ff. h. t.*

An supellex , mundus , ornamenta ?

§. CLXXIII.

MUNDI muliebris nomine venit , quo mulier fit mundior . *L. 25. §. 10. ff. h. t. e.g. specula , matulæ , unguenta , eorumve vasa , lavatio , pectines , argentum balneare , d. L. 27. §. 7. ff. h. t. ORNAMENTA* vocantur , quibus mulieres venustatis & ornatus causa utuntur , non vestes , annulive signatorii . *L. 25. §. 10. L. 32. §. 8. 9. L. 37. ff. h. t.*

Legatum mundi , & ornamentorum ?

§. CLXXIV.

UNGUENTORUM vocabulum comprehendit omnia olea & unguenta , quibus vel voluptatis , vel munditiei , vel valetudinis causa utebantur veteres . \* *L. 21. §. 1. ff. h. t.*

Unguenti .

\* De eo unguentorum luxu copiose Io. Bernart. *ad Papin. Stat. Silv. Lib. 1. & Interpretes libri Esch. 11, 12.* Usus ille triplex unguentorum etiamnum haud ignotus est orientibus .

§. CLXXV.

## §. CLXXV.

Vestium  
Statua-  
rum, i-  
maginū.

VESTIUM & VESTIMENTORUM vocabulis notantur omnia, quæ tegendo corpori serviunt, ex quacumque materia texta. *L. 23. §. 1. L. 24. L. 25. pr. seq. ff. h. t.* quæ si viris destinata, *virilia*; si feminis, *muliebria*; si utrique sexui, *communis*; si pueris, *puerilia*; si denique usui familiæ serviunt, *familiaria* adpellantur. *L. 23. §. 2. ff. h. t.* Postremo, STATUIS vel IMAGINIBUS legatis, & accessiones earum debentur, *L. 14. L. 12. ff. h. t.*

## T I T. III.

*De liberatione legata.*

## §. CLXXVI.

Defini-  
tiones  
legati li-  
beratio-  
nis, de-  
biti &  
nominis.

Q Uum legari possit, quidquid alicui præstat utilitatem; (§. CXXVI, 1.) nemo dubitat, quin & LIBERATIO legari possit, a qua DEBITI & NOMINIS legata differunt. Nimirum si debitori legatur, quod testatori debet, hoc est legatum LIBERATIONIS. *L. 1. pr. L. 3. pr. ff. h. t. §. 13. Inst. de legat.* Si debitor creditori legat, quod ipsi debet, erit legatum DEBITI. §. 14. *Inst. de legat.* Denique si testator legat alicui, quod sibi a tertio debetur, legatum NOMINIS vocari solet. *L. 44. §. 6. ff. de legat. 1. L. 59. ff. de legat. 3. L. 18. C. de legat.*

## §. CLXXVII.

De his a-  
xiomata.

De his legatis observanda axiomata: I.  
Legat-

Legatum liberationis intelligitur, quoties adparet, testatorem voluisse, ne heres peteret. II. Eo relicto obligatio legatarii non ipso jure tollitur. \* III. Legatum debiti valet, quatenus plus est in legato, quam in debito. §. 14. *Inst. de legat.* IV. Legatum nominis obligat heredem, ut actiones cedat. §. 21. *Inst. eod.*

\* Quia legatum non est inter modos, quibus ipso jure tollitur obligatio. (*Inst. §. C. MXVI.*)

§. CLXXVIII.

Ex primo axioma consequitur, 1) ut liberatio & expresse relinqui possit, & tacite, v. g. per legatum chirographi. L. 3. §. 1. *ff. h. t.* non pignoris, nisi diserte id voluerit testator. L. 1. §. 1. *ff. h. t.* 2) Ut verbis liberationis non in rem, sed in personam debitoris conceptis, ea liberatio heredibus debitoris non profit. L. 8. §. 3. *ff. h. t.* 3) Ut nec liberatus videatur debitor, damnato herede, ne ad certum tempus petat. L. 8. §. 1. *eod.*

Quomodo liberatio legitur?

§. CLXXIX.

Quumque non ipso jure liberetur legatarius; (§. CLXXVII, 2.) consequens est, 1) ut heres quidem actionem instituere, sed a legatario exceptione repelli possit. L. 1. §. 1. L. 3. §. 3. *ff. h. t.* §. 13. *Inst. de legat.* 2) Ut legatarius agere possit adversus heredem, ut liberetur per acceptilationem, & chirographum, pignoraque reddat. L. 3. §. 3. L. 22. *ff. h. t.*

Ejus effecta.

§. CLXXX.

Ex tertio axioma (§. CLXXVII, 3) patet, 1) legatum debiti utile esse, si sub conditione, vel in diem debeatur legatario, quia

Legatum debiti.

tunc

tunc habet commodum repræsentationis, §. 14. *Inst. de legat. L. 14 ff. h. t.* nec non 2) si jus legatarii exceptione potuisset elidi, L. 13. *ff. h. t. L. 28. pr. ff. de legat. 1. 3*) Hodie fere semper utile esse hoc legatum \* ob hypothecam tacitam, quæ legatariis competit in rebus hereditariis. L. 1. *C. comm. de leg. & fideicom.*

\* Quid si vero jam vivo testatore dies venerit, aut conditio exstiterit? Negabat Paulus legatum valere: L. 82. *pr. ff. de legat. 2.* sed ea sententia jure rejecta. §. 14. *Inst. de legat.*

## §. CLXXXI.

Legatum  
dominis.

Denique ex quarto axioma ( §. CLXXXVII, 4.) inferimus, 1) legato nomine, heredem nihil præstare, præter cessionem actionum.

\* §. 21. *Inst. de legat. L. 44. §. 7. L. 75. §. 2. L. 105. ff. de legat. 1. 2*) Exspirare id legatum pecunia a testatore sine necessitate exacta, d. §. 21. & L. 75. §. 2. vel a debitore ei ultro oblata. L. 21. *ff. h. t.* nisi testator acceptam pecuniam tanquam depositum servarit. L. 11. §. 13. *ff. de legat. 3.*

\* Ante cessionem legatarius non quidem directas habet actiones: sed tamen utiles, secundum L. 18. *C. de legat.*

T I T. IV.

De adimendis vel transferendis legatis vel fideicommissis.

§. CLXXXII.

Quum testatoris voluntas ad mortem usque sit ambulatoria; (§ XXX, 3.) consequens est, ut legata & fideicommissa a vivo testatore & ADIMI & TRANSFERRI possint. Prims fit, si legatarius legato vel fideicommissio ei destinato privatur: posterius, si quid mutatur circa legatum vel fideicommissum.

Quid adimere & transferre legatum?

§. CLXXXIII.

Legato vel fideicommissio quis privatur vel IPSO JURE, sive testator verbis, §. 1. Inst. h. t. sive factis, ex quibus hujusmodi quid colligi possit, declaraverit, se vel totum legatum, vel ejus partem, relictum nolle. PER MODUM EXCEPTIONIS hoc fit, quoties quid contigit, ex quo mutata intelligatur testatoris voluntas. \* Unde axioma: Legata nuda voluntate adimuntur. L. 3. §. 11. ff. h. t.

Quomodo adimatur?

\* V. c. si inimicitia capitalis intercesserit. L. 3. §. ult. L. 4. ff. h. t. Quid si verbis facta ademptio? Resp. Tunc si facta in testamento, vel codicillis testamento confirmatis, ipso jure ademptum censetur legatum. L. 2. pr. §. 1. ff. h. t. Sin codicillis testamento non confirmatis, vel schedula, vel coram duobus testibus; ope exceptionis. L. 3. §. ult. L. 13. ff. h. t. L. 4. §. 10. ff. de act. mal. & met. excepts.

§. CLXXXIV.

## §. CLXXXIV.

Id exem-  
plis illu-  
stratur :

Ex quo inferimus, 1) sufficere ad lega-  
ti ademptionem, si testator dixerit : *Non  
do, non iego, adimo*. §. 1. *Inst. h. t.* adeo-  
que 2) quod ad effectum attinet, ne qui-  
dem sollemnitate quadam opus esse. *Carpz.  
Part. III. Const. XIII. Def. XIX. n. 1.* 3) *Ademptum* videri legatum, quod testator  
deleverit, *L. 1. de his, qua in test. del. vel*  
4) necessitate haud urgente alienaverit. §.  
*12. Inst. de legat. L. 8. ff. h. t. vel* 5) ita de-  
struxerit, ut ad pristinam formam redigi non  
possit. \* *L. 88. pr. §. 1. §. 2. ff. de legat. 3.*

\* At dissensio quaedam ea in re videtur fuisse  
inter veteres. De lana enim in vestem mu-  
tata id adparet ex *L. 88. pr. de leg. 3. & L.  
44. §. 2. ff. de leg. 2. de domo, legatae areae  
imposita, ex L. 98. §. ult. ff. de solut. L. 44.  
§. 1. de legat. 2. junct. L. 79. §. pen. de leu-  
gat. 3.*

## §. CLXXXV.

Quomo-  
do fiat  
legati  
transla-  
tio?

Quumque TRANSLATIO legati vel fi-  
deicommissi fiat, quoties quid circa illud  
mutatur; facile patet, eam fieri vel I. a  
*persona in personam*, eoque casu & adimi  
legatum, & alteri relinqui : *L. 5. ff. h. t.*  
vel II. *ab eo, qui dare iussus erat, ita trans-  
ferri, ut alius det* : vel III. *rem pro re da-  
ri* : vel IV. *pro puro conditionatum legatum  
vel contra relinqui*. *L. 6. pr. ff. h. t. L. 89. ff.  
de cond. & dem.*

## §. CLXXXVI.

§. CLXXXVI.

Quumque primo casu & adimatur legatum, & transferatur; (§. CLXXXV, 1.) consequens est, ut aliquando neuter illud accipiat, si vel quinque testes non adfuerint, vel heredi presentis non mandatum, ut legatum solvat, *L. ult. C. de fideic. vel translatio facta in eum, quocum non est testamenti factio. L. 20. ff. h. t.*

Ejus effectum?

§. CLXXXVII.

Denique ex definitionibus (§. CLXXXII.) traditis, liquet, ab ademptione ac translatione legatorum vel fideicommissorum differre eorundem INTERITUM. Nam quoties 1) legatarius vivo testatore decedit, *L. un. §. 2. C. de caduc. toll.* vel 2) res legata sine facto heredis perit, \* *L. 36. §. ult. L. 47. §. ult. ff. de leg. 1.* vel 3) conditio defecit, *L. 2. L. 77. ff. de cond. & dem.* vel 4) testamentum ruptum irritumve factum fuit, *L. 17. ff. de rupt. irr. fact. test.* vel 5) quod relictum, titulo lucrativo ad testatorem pervenit; (§. CXXVII, 6.) §. 6. *Inst. de leg. legatum nec adimi, nec transferri, sed EXTINGUI dicitur.*

Quomodo legatum extinguatur?

\* Quid si una ex rebus principalibus legatis perierit? Tunc reliquæ adhuc debentur, §. 17. *Inst. de legat. L. 62. ff. de leg. 1.* adeo, ut ex grege legato, reliquis demortuis & unum, quod reliquum est, caput debeat. §. 18. *Inst. eod.*

## T I T. V.

*De rebus dubiis.*

## §. CLXXXVIII.

Conne-  
xio.

**L**egatum verbis relinquitur, five scriptis, five ore prolatis. Ea verba quum saepe dubia atque ambigua sint; opus est interpretatione, cujus aliquot regulæ hoc titulo traduntur.

## §. CLXXXIX.

De rebus  
dubiis  
regula I.

Quum itaque boni interpretis sit, ita interpretari legem, ut effectum sortiatur, (P. I. §. XXI, 3.) testamentum autem pro lege reputetur; (§. V, 2.) consequens est, 1) ut si improprie vel minus commode loquutus sit testator, id accipiendum, quod ab eo cogitatum credibile est, L. 24. ff. h. t. modo verba talem interpretationem recipiant. L. 10. L. 11. ff. h. t. L. 56. L. 67. ff. de reg. jur.

## §. CXC.

Regula  
II.

Et quia, ubi de voluntate testatoris non constat, verbaque intelligi non possunt, interpretis officium plane cessat; sequitur sane, 2) ut ea, quæ ambigua sunt, pro non scriptis habeantur. L. 2. ff. de his, quæ pro non scriptis. idemque 3) obtineat, etiamsi aliud scripserit testator, quam senserit. L. 3. L. 4. pr. ff. h. t. itemque 4) si ambiguum sit, de qua persona testator senserit. Cujus rei exempla sunt in L. 10. pr. ff. h. t.

## §. CXCI.

Regula  
III.

Denique quia ex eo, quod ut plurimum sit, præsumtio nascitur; (P. IV. §. CXVII.)  
non

non mirum est, legas & de commorientibus aliquid præsumere: puta, ut 1) si duo pluresve eodem casu perierint, ii eodem tempore extincti præsumantur, L. 8. §. 3. L. 16. L. 17. L. 18. ff. h. t. 2) Ut, patre vel matre cum liberis ruina vel naufragio pereuntibus impuberes ante parentes, puberes post eosdem expirasse credantur. L. 9. §. ult. L. 22. L. 23. ff. h. t. 3) Ut contra libertus supervixisse existimetur, si cum filio perierit. Quamvis hoc ultimum in patroni utilitatem cautum videatur. L. 9. §. 3. ff. eod.

## T I T. VI.

*De his, qui pœna causa relinquuntur.*

### §. CXCII.

**L**egatum POENÆ NOMINE RELICTUM Justiniano est, quod coercendi heredis causa relinquitur, quo magis aliquid faciat, vel non faciat. \* §. 36. *Inst. de leg. L. un. C. h. t.* Id olim non valuisse ait, se autem illud valere jussisse, modo nihil impossibile, vel probrosum, bonisve moribus adversum heredi injunctum. *d. L. un. C. h. t. d. §. 36. Inst. de legat.*

Legata  
pœnæ,  
nomine  
relicta,  
an val-  
leant?

\* Sed queri potest, an veteribus legatum pœnæ nomine relictum idem fuerit, ac Justiniano, & an non potius hoc ipsum fuerit legatum pœnæ, quod prohibuit Justinianus, si nempe heredi aliquid probrosum aut impossibile injungatur? Vid. V. A. Corn. van Bynkersh. *in Diss. de legatis pœnæ nomine*

T I T. VII.

*De regula Catoniana.*

§. CXCIII.

Regula  
Catoniana.

**Q**UUM haecenus de legatis inutilibus actum sit; non abs re subjungitur regula Catoniana, a M. Porcio Catone, M. Catonis Censoris optimae spei filio (L. 2. §. 38. ff. de orig. jur.) confecta, quae talis erat: *Quod si testamenti facti tempore decessisset testator, inutile foret, id legatum, quando cumque decesserit, non valet. L. 1. pr. ff. h. t.* Quae regula non modo ad legata, sed ad institutiones, non tamen ad leges novas, pertinet. L. pen. ff. de reg. jur. L. ult. ff. h. t. Ulpian. *Fragm. XXIV, 31.* Paull. *Recept. Sent. III, 6.*

§. CXCIV.

Quando  
illi locus  
fuit

Ex quo colligimus, 1) legatum vel fideicommissum, ab initio vitiosum, tractu temporis non convalescere. L. 41. §. 2. ff. de legat. 1. 2) Non pertinere regulam ad legata & fideicommissa conditionata, & ea, quorum dies ab adita hereditate cedit; L. 3. L. 4. ff. h. t. L. 41. §. 2. de leg. 1) nec 3) ad legem Juliam & Papiam Poppaeam. Vid. *Comm. nostr. ad L. Jul. & Pap. III, 3. p. 380. sequ.*

T I T. VIII.

De his, quæ pro non scriptis habentur.

§. CXCIV.

**I**nutilia quoque sunt legata, quæ vel sub-  
sident in hereditate, vel collegatario  
adcrefcunt, *L. 3. pr. ff. h. t. L. un. §. 2. sequ.*  
*C. de cad. toll.* id est, quæ **PRO NON**  
**SCRIPTIS HABENTUR.** Res ipsa autem  
docet, talia esse omnia, quæcumque vel  
ob legatarii personam, vel ob modum le-  
gandi, exitum habere non possunt.

Quænam  
sint lega-  
ta pro  
non scri-  
ptis ha-  
bita?

§. CXCVI.

Ex qua definitione inferimus, pro non  
scriptis esse legata 1) incapacibus palam \*  
relicta. *L. 3. pr. L. 4. §. 1. ff. h. t. L. 101. ff. de*  
*legat. 1.* 2) Destinata iis, qui eo tempore  
inter homines non erant. *L. 4. ff. h. t.* 3) De-  
notandi legatarii causa scripta. *L. 54. ff.*  
*de legat. 1.* 4) Ambigua, quæ intelligi nul-  
lo modo possunt. (§. CXC, 2.) *L. 2. ff. h. t.*  
*L. 188. ff. de reg. jur.* 5) Quæ quis sibi, ei-  
que, quem in potestate habet, ipse adscri-  
psit. *L. 1. L. ult. ff. h. t.* 6) Et generatim, quæ  
in eam causam pervenerunt, unde incipe-  
re non possint. *L. 3. §. 1. 2. ff. h. t.*

Eorum  
species.

\* Quæ enim clam, veluti per tacitum fidei-  
commissum, relicta sunt incapacibus, ea  
non pro non scriptis habentur, sed tanquam  
indignis eripiuntur, adeoque & non in here-  
ditate subsident, sed a fisco occupantur. *L.*

10. L. 23. ff. de his, quæ ut indign. L. 103. ff. de legat. 1. Adde Comm. nostr. ad L. Jul. & Pap. II, 14. p. 273. III, 9. p. 440. sequ.

## T I T. IX.

*De his, quæ ut indignis auferuntur.*

## §. CXCVII.

Quæ ut indignis eripiantur?

**D**enique quam maxime inutilia sunt legata, quæ **UT INDIGNIS AUFERUNTUR**, quippe quæ vel fisco cedunt, (unde & bona ereptitia adpellantur, Ulp. *Fragm. XIX, 17.*) vel aliquando in hereditate subsidunt. *L. un. §. 12. C. de cad. toll. Scip. Gentil. de jure ad cresc. cap. X.* Id quod fit vel propter delictum, vel ob neglectam testatoris voluntatem.

## §. CXCVIII.

quidē a fisco ob delictum.

Sic ob delictum hereditas legatumque a fisco eripiuntur 1) ei, qui testatorem occidit, illive culpa mortis, causam dedit. *L. 7. §. 4. L. 3. ff. h. t. 2*) Qui necem ejus vindicare omittit. *L. 17. L. 20. L. 21. ff. h. t. 3*) Qui status controversiam eidem movit. *L. 9. §. 2. ff. h. t. 4*) Qui eum post mortem ob crimen detulit, vel accusanti suppetias tulit. *L. 1. L. 5. §. 10. ff. h. t. 5*) Qui pactus est de hereditate viventis. (*P. I. §. CCCLXXII, 2. γ.*) *L. 2. §. 3. ff. h. t. L. 29. §. ult. L. sequ. ff. de donat.* 6) Qui res hereditarias amovit. *L. 9. ff. h. t. 7*) Qui clam in fraudem legum fidem accommodavit. *L. 10. pr. L. 18. pr. h. t. 8*) Qui contra mandata uxorem duxit.

*L. 2. §. 1. 2. ff. h. t. vel 9) adulterio legatum meruit. L. 13. ff. h. t.*

§. CXCIX.

Ob facinus quaecumque, contra supremum testatoris iudicium admissum, eripiuntur relicta eis; 1) qui testari prohibuerunt. *L. 1. §. 1. 2. L. 2. ff. h. t.* 2) Qui testamentum falsum dixerunt, vel inofficiosum, nec obtinuerunt. *L. 5. pr. §. 1. L. 15. ff. h. t.* 3) Qui bonorum possessionem contra tabulas petierunt. *L. 2. pr. ff. h. t.*

Ob violatam testatoris voluntatem.

§. CC.

Contra in hereditate subsidunt erepta 1) tutori, se postea excusanti. *L. 5. §. 2. ff. h. t.* 2) Heredi vel legatario, qui capitales cum testatore inimicitias exercuit. *L. 9. pr. ff. h. t.* 3) Ei, qui testatori aperte maledixit. *L. 9. §. 1. eod.* 4) Celanti testamentum. *L. per. C. de legat.* Plura eam in rem diximus in *Comment. nostro ad L. Jul. & Pap. III, 7. p. 415. seq.*

Quae in hereditate subsidunt?

---

L I B E R    X X V .

T I T . I .

*De conditionibus & demonstrationibus, & causis & modis eorum, quae in testamento scribuntur.*

§. CCI.

**L**egata & fideicommissa & PURE relinqui possunt, & SUB CONDITIONE, & IN DIEM, itemque SUB

Quid demonstratio, causa modus?

DEMONSTRATIONE, CAUSSA, MO-  
DO. De modis prioribus eadem hic repe-  
renda, quæ scripsimus supra, *Lib. XXVII.  
tit. VII.* ad titulum de conditionibus institu-  
tionum. DEMONSTRATIO est personæ  
vel rei descriptio *L. 34. pr. ff. h. t.* CAUS-  
SA est ratio, quæ testatori ad legandum,  
vel fideicommittendum incitamento fuit.  
*L. 72. §. 6. ff. h. t.* MODUS est ipse finis,  
quem testator legatum vel fideicommissum  
relinquendo intendit. *L. 17. §. ult. ff. h. t.*

De his a-  
xiomata.

### §. CCII.

Quum vero testator legando veluti pro  
legislatore sit; (§. V, 2.) perspicua satis sunt  
axiomata: I. Neque demonstratio falsa le-  
gatum vel fideicommissum perimit, *L. 17.  
pr. L. 33. L. 40. §. 4. ff. h. t.* neque II. falsa caus-  
sa, \* *L. 17. §. 2. L. 72. §. 6. ff. h. t.* modo de  
voluntate testatoris constet. III. Legati sub  
modo statim cedit & venit dies, modo cer-  
tum sit, legatarium modum adimpleturum  
*L. 17. §. 4. ff. h. t.* juncta *L. 1. C. de his, quæ  
sub. mod.*

\* In eo enim differt lex a consilio, quod in  
hoc ratio, cur pareamus, desumitur ab  
ipsa re, quæ præcipitur, in lege autem a  
voluntate præcipientis. Ita recte Hobbes.  
*de Cive XIV, 1.* Pufend. *I. N. & G. l, 6, 1.*  
Quando ergo Pericles ap. Xenoph. *de Me-  
mor. Socr. l, 2, 45.* ait: Πάντα δοκεῖ δὲσα τις  
μὴ πεισθῆς ἀναγκάσει τινα ποιεῖν, εἴτε γερῶν  
εἴτε μὴ, βία μάλλον, ἢ νόμος εἶναι. Videntur  
illa omnia quæcumque non persuadendo quis  
cogit

*De condit. & demonstr. Pars V. 101*  
cogit aliquis facere, sive scribat ea, sive non,  
vis potius esse, quam lex: ea non ad id per-  
tinent, quod fieri oporteat, sed quod  
utile sit factu, ad ultroneum civium obse-  
quium eliciendum. Vid. Pufendorff. *ibid.*  
I, 6, 13.

### §. CCIII.

Ex prioribus itaque axiomatibus (§. CCII, 2.) patet, 1) tunc demum legatum falsa demonstratione perimi, si non constet, quae de re vel persona testator senserit. L. 17. L. 34. *pr. ff. h. t.* §. 31. *Inst. de legat.* vel 2) si demonstratio a loco petita sit, eoque loco nihil hujusmodi reperiatur. L. 108. §. 10. *ff. de legat. 1.* L. 8. §. 2. *de legat. 2.* 3) Nec illud legatum sub causa relictum ratum esse, quod relicturus testator non fuisset, si falsam esse scivisset causam: L. 72. §. 6. *ff. h. t.* multoque minus 4) valere legatum, cui causa falsa per modum conditionis adjecta est. L. 17. §. 3. *ff. h. t. d.* §. 31. *Inst. de legat.*

An lega-  
tum vi-  
tie: falsa  
demon-  
stratio &  
causae?

### §. CCIV.

Ex postremo axioma (§. CCII, 3.) sequitur, 1) peti statim posse legatum, sub modo relictum, modo cautionem praestet legatarius de modo adimplendo. \* L. 40. §. *ult.* L. 80. *ff. h. t.* 2) Non adimpleto modo, vel cogi legatarium posse, ut adimpleat, L. 17. §. 4. *ff. h. t.* L. 1. C. *de his, quae sub mol.* vel praestitum legatum repeti. *arg. L. 1. C. de don. quae sub. mod.*

An sta-  
tim peti  
possit  
legatum,  
sub mo-  
do reli-  
ctum?

\* Modo alicujus intersit, modum adimpleri.  
Alias enim cautio cessat, e. g. Si cui

legatum, ut sibi fundum emat. *L. 71. pr. ff. h. t.* Nec opus etiam cautione, si modus sit *ἐκ τῶν ἀδυνατῶν*, quippe pro non adjecto habendus. *d. L. 71. §. 2. ff. h. t.*

## T I T. II.

*Ad Legem Falcidiam.*

## §. CCV.

Abusus  
faculta-  
tis lega-  
di.

**Q**uia lege XII. Tabularum cautum fuerat, uti paterfamilias legasset, ita jus fore; (§. II. \*) ea amplissima legata relinquendi facultate ita sæpe abutebantur cives, ut hereditas pæne exhauriretur legatis & fideicommissis. Qua re quum fieret, ut testamenta quam plurima destituerentur, eam facultatem paulatim coangustare visum est Romanis. *L. 120. ff. de verb. signif.*

## §. CCVI.

De co la-  
ta LL.  
Furia &  
Voconis.

Hinc primum C. Furius lege de testamen-  
tis, cujus Cic. *pro Balbo cap. VIII.*, meminit,  
sanxit, ne cui supra M. asses capere liceret,  
præter personas exceptas, & adversus eum  
qui plus ceperit, quadrupli pœnam statuit,  
*Ulp. Fragm. 1, 2. & ibi V. C. Ant. Schulting. Fabrott. ad Theoph. pr. Inst. de L. Falc.*  
Deinde anno V. C. DXCIV. Cæpione & Phi-  
lippo Coss. Q. Voconius Saxa, Trib. pl. in-  
ter alia cavit, ne quis census plus cuiquam  
legaret, quam ad heredem perveniret. *Cic. Verrin. 1, 43. Theoph. pr. Inst. h. t. V. C. Pe-  
rizon. diff. de L. Voconia.*

## §. CCVII.

§. CCVII.

Quum vero neutra sufficiens ad rei con-  
damnationem videretur; anno V.C.DCCXIV  
n. Domitio Calvino & C. Asinio Pollione  
post adeoque temporibus Augusti, (P.I.  
§. XLVI.) P. Falcidius, Trib. pleb. ad ple-  
bem tulit, ut civi Romano liceret quantam-  
cumque pecuniam dare legare, dum ita datur  
legetur, ne minus, quam partem quartam he-  
reditatis, eo testamento heredes capiant. Ver-  
ba legitima sunt in L. 1. pr. ff. h. t. Add Dio  
Cass. XLVIII. p. 430.

Et Fal-  
cidia.

§. CCVIII.

Quamvis vero lex de testamento & le-  
gatis tantum loquatur; tamen & ad here-  
des ab intestato, L. 18. ff. h. t. legata codi-  
cillis relicta, & ad fideicommissa singula-  
ria, quippe legatis æquiparata; (§. CXXIII.)  
L. 18. ff. h. t. quin & ad donationes mortis  
caussa, L. 60. §. 1. ff. L. 5. C. h. t. & donatio-  
nes inter virum & uxorem porrigitur. L. 12.  
C. h. t. Unde axiomata: I. Heredes debent  
quartam bonorum hereditariorum partem  
salvam habere. Ulpian. *Fragm.* XXIV, 32.  
II. Si minus habent, singulis legatariis, fi-  
deicommissariis, donatariis tantum detra-  
hant pro rata, quantum quartæ deest. L. 73.  
§. ult. L. 81. §. 1. 2. ff. h. t.

Axioma-  
ta ex illa  
elicta.

§. CCIX.

Quum ergo heredes oporteat quartam  
bonorum partem salvam habere; (§. CCVII,  
1.) consequens est, 1) ut hac lege prospici-  
ciatur heredibus tum primis, tum secundis.  
L. 1. §. 13. L. 11. §. 5. h. t. 2) non fiduciariis,

Quibus  
lex Fal-  
cidia  
prospi-  
ciat?

in quorum gratiam SC. Trebellianum latunt nec 3) legatariis & fideicommissariis singularibus, a quibus testator aliquid reliquit. *L. 47. §. 1. ff. h. t. 4)* Ut in singulis heredibus ratio legis Falcidiae ponenda sit: *§. 1. Inst. L. 77. ff. h. t. adeoque 4)* duobus institutis heredibus, quorum alteri quarta bonorum salva est, alteri non est, hic nihilominus quartam suae partis detrudere possit; *L. 77. ff. h. t. 6)* idemque etiam obtineat, si portio onerata & exhausta adcreseat non onerata, non si non exhausta adcreseat exhausta. *L. 78. L. 87. §. 4. ff. h. t.*

### §. CCX.

Bonorum  
quantitas  
quomodo  
stimate-  
tur?

Ex eodem axioma patet, 1) quartam hanc aestimari ex quantitate bonorum, qualis mortis tempore fuit, *L. 56. pr. L. 73. pr. ff. §. 2. Inst. h. t. secundum rei veritatem, L. 42. ff. h. t. & praesens pretium, L. 62. §. 1. ff. h. t. non secundum affectionem singulorum: L. 63. pr. ff. h. t. adeoque 2)* nec incrementum hereditatis, quod postea accessit, legatariis prodesse, nec decrementum, quod postea deminutum est patrimonium, iisdem nocere. *L. 73. pr. §. 2. Inst. h. t. 3)* Heredi in hanc quartam imputari non posse, nisi quod jure hereditario capit. *L. 74. L. 76. L. 91. ff. h. t.*

### §. CCXI.

Quae  
prius de-  
ducenda?

Quum bona non intelligantur, nisi detracto aere alieno: *L. 36. §. 1. ff. de verb. signif. sequitur, ut 1)* non modo istud deducendum sit, *L. 6. C. h. t. verum etiam 2)* impen-  
sa funeris, *§. 3. Inst. h. t. nec non 3)* pretia  
ser-

Servorum manumissorum, non tantum eorum, qui testatoris proprii fuerunt, verum etiam alienorum, quos heres redimere & manumittere rogatus erat : L. 37. §. 1. L. 39. ff. h. r. & 4) omnis impensa, suscipiendæ hereditatis causa facta. L. ult. §. 9. C. de jure del. §. CCXII.

Quum præterea heredes, qui minus quarta habent, singulis legatarijs pro rata detrahant, quantum quartæ deest, (§. CCVIII, 2.) sequitur, 1) ut heres, qui possidet, gaudeat jure retentionis : L. 73. §. ult. ff. L. pen. C. h. r. 2) qui non possidet, vel errore facti solvit, eidem competant rei vindicatio, L. 26. pr. ff. L. pen. C. h. r. actio in factum, L. 76. §. 2. ff. de leg. 2. & interdictum *Quod legatorum* L. 1 ff. quod legat. §. CCXIII.

Ceterum lex Falcidia non pertinet 1) ad prælegatum dotis. L. 81. §. 1. 2. ff. h. r. nec 2) ad testamenta militum. L. 17. L. 92. L. 96. ff. h. r. nec 3) ad pias causas; Nov. CXXXI. cap. 12. L. 33. L. 34. L. 43. ff. h. r. nec 4) ad mortis causa capionem, L. 76. L. 93. ff. h. r. nec 5) ad ea, quæ testator alienari prohibuit. Nov. CXIX. cap. 11. Nec eo beneficio fruuntur 6) qui vel testatori fidem dederunt, se integra legata soluturos, L. 46. L. 71. ff. L. ult. C. h. r. vel 7) uni ex legatarijs, integra legata sive scientes, sive in jure errantes, solverunt, L. 9. C. h. r. vel 8) qui dolose id egerunt, ut legatum intercideret, L. 59. pr. L. 68. §. 1. h. r. 9) inventarium non fecerunt. L. ultim. §. penult. C. de jur. delib. *Quin*

quum lex hæc potissimum in utilitatem heredis condita esset; (§. CCV.) adeoque testator olim quartæ detractionem prohibere non posset; *L. 15. §. ult. ff. h. r.* etiam id 10) heredi indulsit Justinianus, ut testamento suo legem adversus legem hanc publicam dicere, & heredem hoc beneficio excludere posset. *Nov. 1. cap. 2. §. 2.*

## T I T. III.

*Si cui plus, quam per Legem Falcidiam licuerit, legatum esse dicatur.*

## §. CCXIV.

Satisfactio ab iis, qui integra legata percipiunt, exigenda.

**H**Æc si legata pure relicta, vel patrimonio conditio manifesta sit, obtinent. Sin ob quamcumque causam incertum videatur, an legi Falcidiæ locus futurus sit, Prætor edixit, ut vel ante solutionem legatorum, vel post eam, legatarii satisfecerint, se, quod amplius perceperint, quam per legem Falcidiam liceat, reddituros. *L. 1. pr. §. 11. L. 3. §. 1. seq. L. 4. L. 5. ff. h. r.*

## §. CCXV.

Quibus casibus ea cesset?

Attamen ea cautio ex privilegio remissa est 1) fisco, *L. 3. §. 5. ff. h. r.* 2) iis, quibus minuta alimenta, *L. 3. §. 4. ff. h. r.* vel 3) legata annua, ad distribuendum præcipienda, relicta sunt: *L. 9. ff. h. r.* quin & 4) omnibus, qui non facile fidejussores reperiunt. *L. 6. ff. h. r.*

L I B E R XXXVI.

T I T. I.

Ad Senatusconsultum Trebellianum.

§. CCXVI.

**H**Actenus de hereditatibus directe re- Conne-  
xio.  
 lictis legatisve actum : sequuntur FI-  
 DEICOMMISSA, & quidem non *singula-*  
*ria*, quippe legatis per omnia hodie æ-  
 quiparata, (§. CXXIII.) adeoque jam ex-  
 pensa in materia de legatis : sed *universa-*  
*lia*, quæ & FIDEICOMMISSARIÆ HE-  
 REDITATES adpellantur, *rubr. & pr. Inst.*  
*de fideic. hered.*

§. CCXVII.

Est autem FIDEICOMMISSARIA HE- Quid fi-  
deicom-  
missum?  
 REDITAS \* hereditas tota ejusve pars, ita  
 relicta, ut verbis precativis injungatur he-  
 redi restitutio. §. 2. *Inst. de fideic. hered.* Is  
 ergo, qui directe instituitur, heres EIDU-  
 CIARIUS; cui hereditas restituenda est,  
 FIDEICOMMISSARIUS adpellatur. *Prior*  
 & restituta hereditate heres manet : §. 3.  
*Inst. h. t. posterior* tantum bona hereditaria  
 accipit.

\* Quamvis vero & veteribus non ignota fue-  
 rint fideicommissa, eaque maxime frequen-  
 tarentur, si quid incapacibus relictum vel-  
 lent; Cic. *de Fin. II*, 58. *Quintil. Declam.*  
 CCCXXIV. *Valer. IV*, 2, 7. nullo tamen  
 certo juris vinculo continebantur, sed pu-

dori cujusque relinquebatur, velletne testatoris voluntatem implere. Quis enim verba precativa obligare dixerit? Sed Augustum primum jussisse Consules auctoritatem interponere, ac postea Claudium Imperatorem Praetores fideicommissarios creasse, qui fideicommissis jus dicerent, discimus ex §. 1. *Inst. h. t. Suet. Claud. cap. XXIII. Add. Antiqu. nostr. Rom. II, 23. 4.* Et ex eo tempore fideicommissa vim juris acceperunt.

### §. CCXVIII.

Quorum  
p. ex.

Quod itaque verbis expressis relinquatur, fideicommissum **EXPRESSUM**; quod tacita testatoris voluntate. \* **TACITUM** adpellatur. Ita & aliud **PURE**, aliud **IN DIEM**, aliud **SUB CONDITIONE** relinquatur. §. *Inst. de fideic. her.*

\* Tale est fideicommissum, si testator roget heredem, ne testamentum faciat, donec liberos susceperit, *L. 74. ff. h. t.*, ut heredem faciat Titium, *L. 17. pr. ff. h. t.* (Sola enim commendatio non sufficit. *L. 11. §. 2. ff. de legat. 3*) ut hereditatem non alienet, sed familiae relinquat. *L. 69. §. 3. ff. de leg. 2.* Vocatur id fideicommissum familiae. eoque nomine testatoris propinquus competit actio in rem, si possessor rem alienaverit: *L. 69. §. 3. ff. de leg. 2. L. 1. C. comm. de legat. L. 23. pr. ff. de rei vindic.* nisi alienatio sit necessaria, veluti ob causam dotis, donationisve propter nuptias. *Nov. XXXIX. cap. 1.* Non tamen ex sola prohibitione alienationis inducitur fideicom-

commissum familiae, nisi expressum sit, quorum in utilitatem constituatur. *L. 114. §. 14. ff. de legat. 1. L. 38. §. 4. ff. de legat. 3.* multoque minus ex formula: *Heres no alienato, quia sic futurum est, ut fundus de nomine heredis non exeat d. L. 38. §. 3. de legat. 3.* Ceterum hujusmodi fideicommissum, quamvis in perpetuum conceptum, ex communi sententia terminatur gradu quarto ex eunte ob *Nov. CLIX.* nisi de enixissima voluntate testatoris constet. *Conf. V. A. Zach. Hub. Obs. rer. jud. Obs. LX.*

### §. CCXIX.

Quum ergo fideicommissum hujusmodi adficiat hereditatem ejusve partem; (§. CCXVIII.) consequens est, 1) ut fideicommittere possit, quisquis habet testamentifactionem, *L. 2. ff. de leg. 1.* 2) Ut hodie, non ut olim, incapacibus, (§. CCXVII. \*) sed iis relinqui possit fideicommissum, quibuscum est testamenti factio. *L. 67. §. ult. ff. h. t. L. 103. ff. de legat. 1. L. 1. ff. de jur. fsc.* 3) Ut fideicommittere possit ab herede non modo, sed ipso etiam fideicommissario. *L. 1. §. 17. ff. h. t. L. 9. C. de fideic.* 4) Ut perinde sit, sive ab intestato fideicommittatur. *L. ult. C. de fideic. L. 8. §. 1. ff. de jur. cod.*

Quis fideicommittere possit & a quo

### §. CCXX.

Quum deinde fideicommissa vim juris a temporibus Augusti acceperint; (§. CCXVII. \*) consequens est, 1) ut fiduciarius hereditaria bona non possit alienare, nisi

Effectus fideicommissi.

nisi vel dotis donationisve propter nuptias  
caussa, *Nov. XXXIX. cap. 1.* vel nisi bona ita  
relicta sint, ut restituat, quod eo moriente  
superest, *Nov. CVIII. 2.)* Ut idem & dolum  
& latam culpam præstet. *L. 22. §. 3. ff. h. t.*  
3) Ut heres, etsi videret, sibi plus damni,  
quam lucri imminere, hereditatem tamen  
aut adire & restituere, aut repudiare tene-  
retur. *L. 1. §. 3. ff. h. t.*

## §. CCXXI.

Incom-  
modum  
duplex  
ob quod  
fideic. e-  
vanesce-  
bant.

Itaque dupliciter fiebat, ut raro exitum  
haberent fideicommissariæ hereditates. Pri-  
mo, quum fiduciarius & restituta hereditate  
heres maneret; (§. CCXVII.) sane etiam  
omne æs alienum, quantumcumque esset,  
solvere tenebatur. Deinde, quum aliquan-  
do testator totam hereditatem alii per fidei-  
commissum relinqueret; (§. CCXVII.) por-  
ro inde sequebatur, ut nemo temere heredi-  
tatem ob minimum vel nullum lucrum adire  
vellet. §. 5. *Inst. de fideic. hered.* Priori ergo  
incommodo remedium quæsitum SC. TRE-  
BELLIANO: posteriori SC. PEGASIANO.

## §. CCXXII.

Ei oppo-  
sita SCta,  
Trebel-  
lianum &  
Pegasia-  
num.

Prius conditum anno V. C. DCCXIV. L.  
Annæo Seneca & Trebellio Max. Cofs. suf-  
fectis, eoque cautum, *ut si hereditas restitu-  
ta sit, omnes actiones, quæ jure civili heredi-  
tariæ in heredem competerent, ei & in eum daren-  
tur, cui ex fideicommissis restituta esset heredi-  
tas, §. 4. Inst. eod. L. 1. §. 2. ff. h. t.* Poste-  
riore, quod sub Vespasiano, Pegaso & Pu-  
sione Cofs. suffectis prodiit, cautum, *ut fi-  
duciario, cui quarta bonorum salva non esset,*

*eam*

non detrabere liceret, \* & sic ille ad hereditatem adeundam cogi posset. §. 5. 6. Inst. eod.

\* Et quidem exemplo L. Falcidiz, cui hoc SC. accessit. Unde & sæpe hæc quarta Falcidia vocatur. L. 16. §. 9. L. 22. §. 2. L. 30. pr. ff. h. t. L. 41. §. 3. de vulg. & pup. subst. L. 11. L. 30. §. 7. L. 47. §. 1. L. 86. ff. ad L. Falcid.

§. CCXXIII.

Ex quibus per se patet, 1) eum, cui quarta salva erat, eam restituisse ex SC. Trebelliano: cui non erat salva, ex SC. Pegasiano. §. 6. Inst. eod. 2) Restituta hereditate ex SC. Trebelliano actiones quidem jure civili heredi & in heredem competiisse, (§. CCXXI.) sed elidi tamen eum potuisse exceptione. L. 1. §. 4. ff. h. t. 3) hereditate ex SC. Pegasiano restituta, omnes actiones adversus fiduciarium datas, nisi is sibi interpositis stipulationibus prospexisset. §. 6. Inst. h. t. & ibi Theophilus. 4) Eum, cui hereditas ex SC. Trebelliano restituta, loco heredis; cui ex SC. Pegasiano, fere loco legatarii fuisse. §. 3. Inst. eod. & ibi Vinnius.

Quibus casibus his SC. locus fuerit?

§. CCXXIV.

At Justinianus utrumque SC. in unum conflatum, abolito Pegasiani vocabulo, Trebellianum vocavit. §. 7. Inst. eod. Ex eoque jam sequitur, 1) ut sive totam hereditatem quis restituere rogatus sit, sive partem, semper deducere possit quartam suæ portionis, si eam alioquin salvam non habeat. §. 6. 7. 8. Inst. eod. 2) Ut eam quartam recte vocemus Trebellianicam, eamque 3) solus fiducia-

Utroque SC. in unum conflato 1) quarta detracta hi potest.

rius

rius deducat, non fideicommissarius, qui iterum restituere rogatus est. *L. 22. §. ult. L. 55. §. 2. ff. b. r.* nisi forte fiduciarius vel noluerit, in gratiam fideicommissarii, quartam detrudere. *L. 1. §. 19. ff. b. r.* vel in poenam, quod cogi se passus est adire hereditatem. *L. 55. §. 2. ff. b. r.*

## §. CCXXV.

Ejus cū  
Falcidia  
similicu-  
do.

Quumque ea quarta ad Falcidiae similitudinem introducta sit; (§. CCXXII. \*) consequens est, ut 4) quæ de Falcidia diximus, ea fere in Trebellianica obtineant, adeoque & 5) iisdem fere casibus cesset Trebellianica quibus Falcidia (§. CCXXIII.) veluti in testamento militis, *L. 7. C. ad L. Falc.* ob non factum inventarium, *L. ult. §. 12. 14. C. de jur. del.* ob prohibitionem testatoris, *Nov. 1. cap. 2. §. 2. \** ob pertinaciam fiduciarii, hereditatem adire nolentis, §. 7. *Inst. eod. L. 4. ff. b. r.*

\* An autem & liberos prohibere potest testator, quo minus quartam hanc detrahant? Negatur. *L. 6. C. b. r.* Immo quum hodie portio legitima liberorum quartam hereditatis partem excedat; (P. II. §. XLIX.) facile patet, ultra quartam eos & id, quod legitimæ deest, deducere posse. Non tamen jure civili deduci possunt simul legitima & Trebellianica: *L. 6. C. b. r. L. 24. C. fam. ere. L. 10. C. ad L. Falc.* quamvis Doctores id concedant ob *cap. Raynucius 16. & cap. Raynaldus 18. X. de test.* de quibus *Conf. Merrill. Obs. I, 39. Stryk. de Success. ab intest. Diff. VII, 1. §. 27.*

## §. CCXXVI.

§. CCXXVI.

In eo tamen discrimen est inter quartam Trebellianicam & Falcidiam, quod quum in hanc non imputetur, nisi quod jure hereditario capit heres, (§.CCX, 3.) in illam imputentur omnia, quocumque titulo accepta ex judicio defuncti, quin & fructus, ex bonis hereditariis reliquis percepti. L. 18. §. 1. L. 22. §. 2. ff. h. t. L. 91. ff. ad L. Falc.

Utriusque quartae differentia.

§. CCXXVII.

Deinde, conflatis in unum his SCis, sequitur, 6) ut, restituta hereditate, actiones hereditariae semper pro rata utrique & in utrumque dentur, §. 7. Inst. eod. L. 1. C. h. t. exceptis oneribus legatorum, ad solum fideicommissarium pertinentibus, nisi minus quam dodrantem restituere rogatus sit heres. L. 1. §. pen. ff. h. t.

3) Actiones pro rata communitantur.

§. CCXXVIII.

Denique inde consequitur, 7) ut fiduciarus, ejusque 3) successores, ad adeundam restituendamque hereditatem cogi possint, eoque casu 8) nullum commodum, adeoque nec quarta Trebellianica, apud heredem maneat. L. 4. ff. h. t. §. 7. Inst. de fideic. her. L. 55. §. 2. ff. h. t.

3) Heres ad ad-eundum cogi potest.

T I T. II.

Quando dies legatorum vel fideicommissorum cedat.

§. CCXXIX.

**R**edit Tribonianus ad LEGATA & FIDEICOMMISSA singularia, quaeritque, quando eorum dies cedat? CEDERE autem dicitur DIES, quamprimum alter obligatur:

Axioma I.

VE-

**VENIRE**, quamprimum mihi jus est exigendi *L. 213. pr. ff. de verb. sign.* Quum itaque legatario vel fideicommissario non perinde ac heredi opus sit deliberandi; (§. LXIX.) & contra interfit legatarii, diem statim cedere, ut si moriatur, & heres illius particeps fiat: *L. 5. pr. ff. L. 3. C. h. t.* per se intelligitur axioma I. Dies legatorum, quæ ad heredes transeunt, statim a morte testatoris cedit. \* *L. 5. §. 1. ff. h. t. L. un. §. 1. 5. C. de caduc. toll.*

\* Est illud antiquum axioma, quod ante Augustum obtinuerat. *Ulpian. Fragm. XXIV, §. 31.* Sed quum hic Princeps locupletando ærario legem Juliam Caducariam ferret; ut eo plura caduca fierent, lege ista sanxerat, ut dies legatorum cederet ab apertis tabulis. *Ulpian. ibid. L. un. §. 5. C. de caduc. toll. Vid. Comm. nostr. ad L. Jul. & Pap. III, 2. pag. 375. sequ.* Jus antiquum autem reduxit Justinianus. *d. L. un. §. 5.*

## §. CCXXX.

**Axioma II.** Deinde quum conditio legatum suspendat ab incerto eventu; (§. LXII.) perspicuum quoque est axioma II. Legati pure relictæ dies statim a morte testatoris; conditionalis, existente demum conditione & cedit & venit: Ex die relictæ dies quidem statim cedit, sed non nisi existente die venit. *L. 5. §. 1. L. 21. ff. h. t. L. 41. ff. de condit. & dem.*

## §. CCXXXI.

**Quando dies legatorum** Expriore axiomate inferimus, 1) legatario, cui pure aliquid relictum, ante aditam here-

hereditatem decedente, legatum ad heredes  
 jus transmitti. L. 3. C. h. t. adeoque 2) &  
 legatae speciei dominium statim ad legatarium  
 transire sine traditione. 3) Axioma hoc non  
 pertinere ad legata, quae ad heredes non  
 transmittuntur, quippe quorum dies ab adita  
 hereditate cedit, qualia sunt 4) legata usus-  
 fructus, usus, habitationis, L. 2. L. 3. L. 9.  
 ff. h. t. L. un. §. 2. ff. quando dies ususfr. leg.  
 ed. libertatis, L. 8. ff. h. t. & olim optionis.  
 L. 16. ff. de opr. vel elect. leg.

pure rem  
 licitorum  
 cedat?

\* Quamdiu scilicet jure heredem optare pro-  
 hibebant. Itaque quum hodie & is opta-  
 re possit; (§. CLI.) nullum est dubium,  
 quin & hujus legati dies a morte testato-  
 ris cedat.

§. CCXXXII.

Ex altero axiomate patet, 1) id, quod ex  
 die incerto legatum est, perinde, ac si sub  
 conditione relictum esset, (§. LXVIII, 2.)  
 non prius deberi, quam existente die L. 21.  
 L. 22. pr. ff. h. t. 2) Legatum, ex die incerto  
 vel sub conditione relictum, ad heredes et-  
 iam non transmitti, si legatarius ante exi-  
 stentem diem vel conditionem decesserit.  
 L. 4. pr. ff. h. t. L. un. §. 7. C. de caduc. toll. 3)  
 Merito tamen pro non adjecta haberi condi-  
 tionem, \* quam a) Praetor remittit. L. 5. §.  
 3. ff. h. t. β) impossibilem: (§. LXVII, 1.)  
 L. 5. §. 4. eod. & γ) quam impleri non stat  
 per legatarium, sed per heredem, eumve,  
 in quo iussus est conditioni parere. L. 5. §. 5.  
 eod. L. 161. ff. de reg. jur.

Quando  
 legatoru  
 ex die vel  
 sub con  
 ditione  
 relicto-  
 rum?

\* Mul-

\* Multo magis ergo dies legati cedit, ubi non est vera conditio adjecta, e. g. si tacite inest. *L. 99. ff. de cond. & dem.* vel si non in futurum, sed præsens aut præteritum tempus collata, *L. 10. §. 1. ff. de condit. inst. L. 120. ff. de verb. obl.* vel, si non ipsam legatum, sed ejus præstatio in incertum diem dilata sit. *L. 5. C. h. t.*

## T I T. III.

*Ut legatorum seu fideicommissorum servandorum causa caveatur.*

## §. CCXXXIII.

Qualis cautio ob legata condicionalia ab herede exigatur?

**Q**Uandoquidem itaque in legatis, sub conditione vel ex die relictis, dies vel non statim venit, (§. CCXXX, 2.) & hinc facile contingere posset, ut spes legatarii vel fideicommissarii ab herede bona abliguerente intervertatur; hinc satisfacere eum Prætor jubebat, *se, conditione existente, vel veniente die, legata vel fideicommissa bona fide præsticurum.* *L. 1. pr. §. 2. ff. h. t.*

## §. CCXXXIV.

Quando ei locus non fit?

Unde facile intelligimus, cur ea cautione opus non sit, si 1) in aprico est, legatum vel fideicommissum non deberi. *L. 14. §. 1. ff. h. t.* 2) Si vel judicium jam acceptum, *L. 1. §. 9. eod.* vel 3) heres paratus sit ad illud accipiendum, probandumque, legatario nihil deberi. *L. 3. pr. §. 1. ut in posses.* 4) Si nefas sit, herede instituto male

male sperare, e. g. si a patre uni ex filiis, vel a domino uni ex servis, vel cuicumque a fisco legatum sit. L. 1. §. 18. L. 6. §. 1. L. 7. ff. h. t.

§. CCXXXV.

Nec minus ex causa & fine hujus cautionis ratio facile redditur, 5) cur nec dignitas, nec 6) possessio amplissimarum facultatum ab hac satisfactione liberet. L. 1. §. 1. ff. h. t. 7) Cur denique non modo heredes directe instituti, sed & fideicommissarii, immo & 8) eorum successores hanc cautionem præstare teneantur. L. 1. 6. 7. 8. ff. h. t.

Qui eam præstet?

T I T. IV.

*Ut in possessionem legatorum vel fideicommissorum servandorum causa esse liceat.*

§. CCXXXVI.

Quum vero nec possessio amplissimarum facultatum ab illa cautione legatorum servandorum causa liberet, ( §. CCXXXV, 6.) adeoque abscisse fidejussoribus sit opus, edicere Prætori visum fuerat, si satisfactum non esset, neque per legatarios vel fideicommissarios steteret, quo minus caveretur, se eos in possessionem bonorum missurum. L. 1. §. 1. ff. h. t. Ex quo edicto fluunt axiomata: I. Possessio hæc datur securitatis causa. II. Ea non dominium, sed custodiam & jus pignoris tribuit. L. 5. pr. ff. L. 3. L. 5. C. ff. h. t.

Missio nis hujusmodi doles.

§. CCXXXVII.

## §. CCXXXVII.

Quando  
ei locus  
sit?

Ex primo itaque axioma ( §. CCXXXVI. ) patet, 1 ) non requiri, ut per herede  
stet, quo minus caveatur, sed ut per legatari  
rium non steterit, *L. 1. §. 1. ff. h. t.* adeoque  
2 ) heredem non offerre cautionem, sed legatarios eam desiderare & exigere debent  
*d. L. 1. §. 1. eod.* 3 ) Misos legatarios admittendos esse, & non admissos habere interdictum: *Ne vis fiat ei, qui in possessionem missus erit. L. 3. ff. ne vis fiat ei, qui in poss.*

## §. CCXXXVIII.

Ejus effecta.

Ex posteriore axioma ( §. CCXXXVI. ) intulerunt veteres, 4 ) non iri in bona heredis, sed in hereditaria universa, etiam legatum sit minimum, \* *L. 13. ff. h. t.* Heredem hac missione non expelli, sed legatarios simul cum eo possidere. *L. 5. pr. L. 3. L. 5. C. h. t.* 6 ) Nec legatarios ex bonis hereditariis fructus suos facere, nisi quod filia, neptis, proneptis, uxorve, & illi quidem innuptæ & egenæ, aliquid vesce  
do possint deminuere. *L. 14. ff. h. t.*

\* Opponunt *Nov. LIII. Cap. I. §. 1.* ubi tam non de hac possessione bonorum, sed de creditorum immissione agitur. Vid. *Hub. Prælect. ff. h. t.* Potius notandæ exceptiones quod & in bona heredis ire possint legatarii, si vel res ejus dolo vel culpa non amplius maneant in causa hereditaria, *L. 5. §. 13. seq. ff. h. t.* vel per sex menses continu

*Ut in poss leg. vel fideic. Pars V. 119*  
ab herede in satisfactione cessatum sit. L. 5.  
§. 16. seq. cod.

§. CCXXXIX.

Usus hujus tituli si non nullus, saltem in-  
frequentior est in foris nostris: siquidem ci-  
vilius suppetit remedium, rem quantitatem-  
ve legatam apud legatarium satisfactam  
vel tertium deponendi. L. 5. §. 1. ff. ut le-  
gat. seu fidei. caus. cav. Vid. Huber. Praelect.  
b. t. §. 3.

Usus ho-  
diernus.



# PANDECTARUM

ARS SEXTA.

IN QUA

DE BONORUM POSSESSIONIBUS,

Hereditatibus ab intestato, damnis imminuentibus, donationibus, actionibus præjudicialibus, acquirendo, possess. bonorum, interdictis agitur.

L I B E R XXXVII.

T I T. I.

*De bonorum possessionibus.*

§. I.

Bono-  
rum pos-  
sessionis  
origo.

**P**rætores, qui se adjuvandi supplendi-  
que juris civilis causa Edicta propo-  
nere simulabant, L. 7. §. 1. ff. de iust.  
et iur. sæpe leges & jura edictis evertisse,  
jam supra observavimus. (P. I. §. XLII.)  
Quum itaque multos jus civile ad heredita-  
tem non vocaret; illos, (modo non jure ci-  
vili prohibeantur, L. 12. §. 1. ff. h. t.) admi-  
sit Prætor, quamvis, mutato vocabulo, non he-  
reditatem, sed BONORUM POSSESSIO-  
NEM se dare diceret. (P. I. §. XLII, 1.)  
*pr. Inst. h. t.*

§. II.

§. II.

Est itaque BONORUM POSSESSIO hereditas prætoria, L. 116. L. 138. ff. de verb. signif. vel jus \* persequendi retinendique patrimonii, quod cuiusque, quum moritur, fuit, edicto Prætoris datum. L. 3. §. 2. ff. h. t.

Est de finitio.

\* Ergo non in facto consistit hæc possessio, sed in jure. Hinc & in rebus incorporalibus locum habet, & sine detentione rerum hereditariarum esse potest. L. 3. §. 1. ff. h. t. quam bonorum possessionem sine re vocant Doctores. Paucis, qui bonorum possessionem acceperunt, succedunt in omne jus defuncti. L. 3. pr. ff. h. t. adeoque & actione in rem universali jus suum persequi possunt, puta possessoria hereditatis petitione. (P. II. 9. LXXIV.)

§. III.

Quum vero Prætor aliquos edicto suo vocet, iique bonorum possessionem sine causæ cognitione petere possint: L. 30. §. 1. ff. de adqu. hered. L. 2. §. 1. ff. quis ord. in bon. possess. aliis eandem non det, nisi causâ cognita, ac interposito decreto: d. L. 2. §. 1. ff. qui ord. in poss. prior in jure nostro EDICTALIS; posterior DECRETALIS adpellatur. \*

Est vel edictalis vel decretalis.

\* Vocatur edictalis etiam ordinaria; decretalis extraordinaria. L. 3. §. ult. ff. de Carbon. Edict. L. 5. §. 3. ff. delegat. præst. L. 1. §. 4. ff. unde lib. Sed quum eadem vocabula statim alio sensu occurrant: hic ea adhibere nolimus. Id notare juvabit, Edictalem, quia causæ cognitionem non desiderat, coram quo-

cumque iudice; decretalem, non nisi coram competente peti agnosci que posse. *L. ult. C. qui adm. ad bon. poss. L. 3. §. 8. ff. h. r.*

## §. IV.

**Edictalis**  
vel ordi-  
naria, vel  
extraor-  
dinaria.

**EDICTALIS** vel ex edicto Prætoris datur, vel ejus exemplo legibus, SCis, Principumve constitutionibus introducta est, quarum illa **ORDINARIA**, *L. 6. §. 1. ff. h. r.* hæc **EXTRAORDINARIA** dicitur. §. 3. *Inst. h. r. (Vid. infra Lib. XXXVIII. tit. XIV.)*

## §. V.

**Item**  
que vel  
ab inte-  
stato, vel  
testamē-  
taria.

Quemadmodum vero hereditas vel testamento, vel ab intestato defertur; (P. V. §. II.) ita & edictalis bonorum possessio vel **A TESTAMENTO** datur, quando testamentum defuncti exstat, vel **AB INTESTATO**, quando nullum exstat testamentum. Priore casu vel sustinet Prætor testamentum, vel ei non adsistit, & tunc illo casu **SECUNDUM TABULAS**; hoc **CONTRA TABULAS** dare dicitur bonorum possessionem. §. 1. 2. *Inst. L. 6. §. 1. ff. h. r.*

## §. VI.

**Quis &**  
cujus bono-  
rum posses-  
sionem  
agnosce-  
re possit.

Quum ergo bonorum possessio sit hereditas Prætoria; (§. III.) sequitur, 1) ut iidem possint bonorum possessionem agnoscere, (invito enim nemini acquiritur, *L. 3. §. 3. ff. h. r.*) qui & adire possunt hereditatem, (P. V. §. XCIII.) quamvis rei capitalis damnatos Prætor specialiter exceperit. *L. 13. ff. h. r. 2)* Ut nihil intersit, patrisfam. an filii fam. bonorum possessio petatur, modo hic de

pecu-

peculio castrensi vel quasi castrensi testatus sit. (P.V. §. X, 8.) L. 3. §. 5. ff. h. t.

§. VII.

Deinde quum ipsa hereditas intra tempus legitimum adeunda sit: (P. V. §. LXX.) non absurde etiam Prætor liberis & parentibus annum; reliquis centum dies (qui erant dies ordinarii creditionis, (P. V. §. LXX, 1.) præfixit, §. 4. Inst. h. t. idque tempus a die scientiæ cedere iussit, \* adeo, ut nec juris ignorantia excuset, L. 10. ff. h. t. & dies, quibus tutor vel pater scivit, filio pupillove cedant; si recte se habet L. 7. §. 2. ff. h. t. quippe manifesto contraria L. 1. ff. de bon. poss. furiosi inf.

Ejus legitimum tempus.

\* Hinc utiles vocantur hi dies. §. 4. Inst. h. t. Attamen alio sensu continui sunt hi dies in bonorum possessione edictali; utiles in decretali. Quum enim illa non requirat causæ cognitionem, hæc requirat; (§. III.) in illa dies fasti ac nefasti; in hac soli fasti vel sessionum numerantur. L. 2. §. 1. ff. quis ordo in poss. serv.

T I T. II.

Si tabula testamenti exstiterint.

§. VIII.

**A**D bonorum possessionem testamentariam generatim præcipue requirit Prætor, ut tabula mortis tempore exstiterint, nomenque heredis in iis adparuerit. L. un. ff. h. t. Ex quo intulerunt veteres, 1) non exstanti-

Testamentaria bonorum possessio requirit tabulas.

bus illo tempore tabulis, vel nomine, licet inconsulto, ita deleto, ut legi non possit, non dandam esse bonorum possessionem  
 2) Contra eam dari debere, si tunc extiterint, licet postea interierint, vel littura inductum sit heredis nomen. *d. L. un. ff. h. t.*

## T I T. III.

*De bonorum possessione furioso, infanti, muto, surdo, caco competente.*

## §. IX.

Quis bonorum possessionem pro furioso vel infante agnoscat?

**Q**UUM porro bonorum possessio non detur nisi petenti; (§. VI, 1.) furiosus autem & infans illam petere nequeant: hinc pro furiosis & infantibus eam agnoscunt curator, tutor, pater pupilli, minores, surdi, muti, modo, quid agant, intelligant, ipsi petunt, adhibito curatorum si quos habent, consensu. Furiosis tamen & infantibus negligentia curatorum, tutorum, parentum non præjudicat, neque eis dies cedit. Ita in *L. 1. ff. h. t.* non æque in *L. 7. §. 2. de bon. poss.* (§. VII.)

## T I T. IV.

*De bonorum possessione contra tabulas.*

## §. X.

Contra tabulas, bon. possessio.

**B**ONORUM possessionem testamentariam vel **CONTRA TABULAS** dari, vel **SECUNDUM TABULAS**, supra vidimus. (§. V.)

(§. V.) Dat autem contra tabulas bonorum possessionem Prætor, dum in gratiam liberorum emancipatorum non adsistit testamento paterno, in quo illi præteriti sunt. *L. 1. pr. §. 6. L. 3. §. 20. ff. h. t. §. 3. Inst. de exh. lib.*

§. XI.

Datur itaque hæc bonorum possessio proprie liberis omnibus, etiam adoptivis, ac postumis, cujuscumque gradus sint. *L. 1. pr. §. 1. sequ. L. 3. pr. §. 1. sequ. ff. h. t. si vel emancipati, vel alio modo sui juris factis a patre (matris enim præteritio pro exheredatione est, *L. 4. §. 2. ff. h. t.*) præteriti, *L. 1. §. 6. h. t. & hereditatis capaces sint tempore mortis testatoris. L. 3. §. 10. ff. h. t.**

Quibus decur?

→ Sui enim præteriti testamentum paternum dicunt nullum. *pr. Inst. de exh. lib.* Instituti autem secundum tabulas bonorum possessio dari potest. Attamen & sui præteriti usi fori hanc bonorum possessionem agnoscere possunt, *L. 2. C. h. t. L. 12. §. 1. ff. h. t. immo & instituti, si unus ex liberis sit præteritus. L. 3. §. 11. L. 10. §. ult. ff. h. t.*

T I T. V.

*De legatis præstandis contra tabulas bonorum possessione petita.*

§. XII.

Quamvis autem hoc casu testamento paterno haud adsistat Prætor; (§. X.) adeoque illud rescindat: noluit tamen ideo legata omnia intercidere, sed

Quibus tunc legata præstanda sunt.

ea præstari jussit certis personis, puta 1) parentibus liberisque, cujuscumque gradus, *L. 1. §. 1. sequ. ff. b. t.* 2) uxori, & 3) nuru, si quid ipsis dotis nomine relictum. *L. 8. §. 6. L. 15. §. 3. ff. b. t.* Unde hoc edictum neque ad liberos, quibus bonorum possessio contra tabulas data, vel qui aliquid parentum voluntate acceperunt, *L. 5. §. 2. 4. ff. b. t.* nec ad fratres & sorores, aliasque personas est porrigendum. *L. 3. §. 1. ff. b. t.*

## T I T. VI.

### *De Collatione.*

#### §. XIII.

Collatio-  
nis ratio.

**I**mpetrata bonorum possessione contra tabulas, emancipati melioris sane conditionis fuissent, quam sui. Quum enim hi vivo patre omnia huic acquirerent; (*P. I. §. CXLVI, 3.*) illi sui juris facti sibi interea adquisiverant. Ne itaque sui injuria adficerentur: jussit Prætor emancipatos bona sua conferre. *L. 1. pr. §. 5. 6. L. 2. §. 6. ff. b. t.*

#### §. XIV.

Qualis o-  
lim fue-  
rit & ho-  
die sit?

Pertinebat itaque collatio ad bonorum possessionem contra tabulas, & hinc soli emancipati conferebant suis, non sui suis, nec emancipati emancipatis. *d. L. 1. §. 5. 6. L. 2. §. 5. ff. b. t.* Conferebant etiam non modo profectitia, sed & adventitia bona, & reliqua omnia, exceptis castrensibus & quasi castrensibus. *Paull. Recept. Sent. V, 9. 4.* Sed id mutatum jure novo, cautumque ut omnes descendentes, sive instituti, sive

ab intestato venientes, cujuscumque gradus, sibi invicem conferant, L. 17. L. 19. C. h. t. Nov. XVIII. cap. 6. sed non nisi bona profectitia. L. ult. C. h. t.

§. XV.

Itaque hodie COLLATIO est actus, quo descendentes, hereditatem adscendentium adituri, bona omnia ab his profecta in communem hereditatem inferunt, & cum reliquis communicant. Ex qua definitione facile patet. I. Solos descendentes conferre, ut æqualitas inter liberos servetur. L. 17. C. ff. h. t. II. Conferenda esse bona omnia profectitia, nisi speciatim excepta. III. Collationem vel re fieri, vel cautione, vel imputatione.

Ejus definitio, & de ea axiomata.

§. XVI.

Quum itaque descendentes conferant, ut æqualitas servetur; (§. XV, 1.) consequens est, 1) ut perinde sit, cujus sexus gradusve sint. L. 17. L. 19. C. h. t. Nov. XVIII. cap. 6. 2) Ut nepores & ea, quæ parentes eorum acceperunt, conferant, licet heredes non existant parentibus. L. 7. ff. L. 17. L. 19. C. h. t. 3) Ut collationi inter adscendentes, collaterales, extraneos heredes plane non sit locus: d. L. 17. L. 19. C. L. 1. pr. §. 5. ff. h. t. L. ult. C. comm. utr. jud. multoque minus, 4) inter legatarios & fideicommissarios. L. 12. L. 16. C. h. t.

Qui conferant.

§. XVII.

Quumque omnia profectitia conferenda sint; (§. XV, 2.) consequens est, 1) ut nec adventitia nec castrensia vel quasi castrensia

Quid?

bona in censum veniant. *L. ult. C. h. t. L. r. §. 15. ff. L. 15. C. ff. h. t. 2*) Ut hic respiciatur ad tempus mortis ejus, de cujus successione queritur. *L. 6. L. 20. pr. C. h. t.*

## §. XVIII.

Quæ eō-  
ferri non  
debeant?

Quandoquidem vero speciatim excepta non conferuntur; (§. XV, 2.) sciendum est, excipere leges nostras *L. sumtus in studia, peregrinationem vel dignitatem filiorum factos*, quippe qui ad bona quasi castrensia pertinent, (P. I. §. III. CLXXXIII.) *L. 50. ff. fam. arc. L. 1. §. 16. ff. L. 12. L. 17. h. t.* nisi vel pater filio imputari voluerit hos sumtus, *L. 50. ff. fam. arc.* vel filius studiis nuncium miserit, aut pecuniam male perdiderit, plus vini quam olei consumendo. *arg. L. 1. §. 23. L. 2. §. 2. ff. h. t. II.* Quæ ex pietate ad redimendum captivum data. *L. 17. C. de postlim. III.* Data ex liberalitate, quæ pater apud liberos manere voluit. *L. pen. §. 1. C. h. t. IV.* Eegata & fidei commissa, vel mortis causa donationes, sive relicta. *L. 1. §. 19. ff. L. 12. L. 13. L. 15. C. h. t. V.* Ea, ex quibus factus quis non est locupletior. *L. 1. §. 23. ff. h. t.*

## §. XIX.

Quomodo collatio fiat?

Denique ex tertio axioma (§. XV, 3.) sequitur, defungi aliquem posse hac obligatione conferendi, 1) si rem ipsam communicet, qualis tempore mortis fuit. *L. 1. §. 12. ff. h. t.* vel 2) si tantum ex portione sua remittat, quantum ipse deberet communicare, *L. 1. §. 1. 13. ff. h. t.* vel 3) si denique recte eo nomine satisfecerit, vel pignora dederit coheredibus, *L. 1. §. 9. ff. h. t.*

§. XX.

Denique ex caussa collationis satis pater, cessare eam, 1) si pater ipse bona inæqualliter dividerit *L. 39. §. 1. ff. fam. etc.* 2) Si idem collationem fieri prohibuerit. *Nov. XVIII. cap. 9.* 3) Si, qui conferre teneretur, contentus acceptis, hereditatem repudiet, modo reliqui salvam habeant legitimam. *Nov. XCII. cap. 1.*

Quando cesset?

TIT. VII.

De dotis collatione.

§. XXI.

Inter ea, quæ conferri debent, sunt etiam DOS, & quidem PROPECTITIA, (§. XIV.) *L. 1. pr. ff. h. t. L. 12. L. 19. L. ult. C. de collat. DONATIO propter nuptias, L. 29. C. de inoff. test. L. ult. C. de collat.* aliaque filio filiave nuptiarum caussa data. *L. 8. ff. h. t. Nov. XVIII. cap. VI.* Et hic pleraque eadem sunt, ac in reliquis collationibus.

Dotis collatio utri fiat?

§. XXII.

Id tantum singulare habet hæc collatio, quod, factò divortio, non plus confert filia, quam ex dote recuperavit. *L. 1. §. 6. ff. h. t.* nisi per uxorem jam majorem steterit, quo minus maritum, jam ad inopiam vergentem, in tempore excusserit. *Nov. XCVII. Cap. ult.*

Quomodo conferat filia?

## T I T. VIII.

*De conjungendis cum emancipato liberis ejus.*

## §. XXIII.

Quo casu con-  
jungan-  
tur cum  
emanci-  
pato li-  
beri  
ejus?

**A**liquando pater emancipabat filium, liberis ejus in sua potestate retentis, (P. I. §. CLXXXI.) Eo casu, agnita bonorum possessione, non solus pater emancipatus, sed simul cum eo admittebantur liberi in partem dimidiam. \* *L. 1. pr. §. 7. 13. L. 3. ff. h. t.*

\* Idque edictum non ex vetustis, sed a Juliano de novo insertum est edicto perpetuo, a se compilato. (P. I. §. LIII.) *L. 3. ff. h. t. Add. Fberlin. de Orig. jur. Cap. X. §. II. pag. 85.*

## §. XXIV.

An hujus  
edicti  
usus sit?

Sed postquam Justinianus, *Nov. CXVIII. cap. 1.* filios emancipatos liberis eorum, in potestate avi relictis, indistincte prætulit, hujus edicti hodie nullum plane usum esse, satis manifestum videtur.

## T I T. IX.

*De ventre in Possessionem mittendo, & curatore ejus.*

## §. XXV.

Venter  
quo casu  
imposse-  
sionem  
mittatur  
ex edi-  
cto?

**V**entri, præterito testamento paterno, Prætor dabat bonorum possessionem contra tabulas, eique constituerebat curatorem, administraturum bona, & alimenta ac cibaria matri pro facultatibus defuncti

mulierisque dignitate subministraturum. *L. 1. §. 17. 19. ff. h. t.* Eaue possessio tam diu durabat, donec aut pareret, aut abortum faceret, aut eam prægnantem non esse constaret. *L. 1. §. 27. ff. h. t.* Sed postremo casu, si per calumniam se prægnantem dixerit, fructus restituerebat. *L. 1. §. ult. L. 3. ff. h. t.*

§. XXVI.

Et hæc tamen quidem edictalis est hæc bonorum possessio. Potest tamen & decretalis esse, si, quæ in possessionem itura est, uxor vel nurus fuisse, vel uterum gerere negetur. *L. 1. §. 14. 15. L. 7. §. 1. ff. h. t.*

Quantum  
ex decreto?

§. XXVII.

Ceterum quamvis soli præterito ventri daretur hæc bonorum possessio, (§. XXV.) ad eoque exheredato tantum querela inofficiosa competeret: (§. 2. *Inst. de querel. inoff.*) hodie tamen & exheredato dabitur, quia in ventrem non cadit ingratitude, ob quam exheredationem permisit Justinianus. *Nov. CXV. cap. 3. Vid. Vvesemb. Parat. h. t. Carpz. Part. III. Const. 17. Def. ult.*

Ufus ho-  
dier nus.

T I T. X.

*De Carboniano editto.*

§. XXVIII.

Quemadmodum ventri superiore Edicto subvenerat Prætor: ita si jam nato impuberi, sive præterito, sive ab intestato venturo, *L. 3. pr. ff. h. t.* controversia moveatur, an inter liberos sit? *Cn. Papius*

Carbonianum  
Edictum  
quale?

**Carbo** Prætor, causa cognita, interposito-  
que decreto honorum possessionem se ei da-  
turum promisit, questione præjudiciali ad  
pubertatem dilata. \* *L. 1. pr. §. 1. L. 3. pr. §.*  
*§. sequ. ff. h. t.* modo adversario idonee cau-  
tum sit, de bonis illi victori restituendis.  
*L. 1. C. h. t.*

\* Ne autem quod in pupilli favorem sancitum,  
in ejus odium detorqueatur: recte college-  
runt veteres, si liqueat, litem pro impu-  
bere decidi posse, eam cognitionem ad pu-  
bertatis tempus non esse differendam. *L. 3.*  
*§. 1. ff. h. t.* Id quoque notandum, insti-  
tuta post pubertatem actione principali,  
puberem rei partes sustinere, *L. 6. §. 6.*  
*ff. h. t.*

### §. XXIX.

Quæ si  
cautio  
non præ-  
stetur?

Quum ergo cautione opus sit, (§. XXVIII)  
eamque non tam facile semper præstet im-  
pubes; eo casu æquum est, 1) adversarium  
extraneum \* simul in possessionem mitti. *L.*  
*1. §. 1. L. 5. §. 2. ff. h. t.* 2) Huic etiam admi-  
nistrationem permitti, si idonee caverit, 3)  
eo vero non cavente, curatorem constitui,  
qui bona administret. *L. 5. §. 1. 2. ff. h. t.*

\* Adversarius enim, qui ex liberis est, semper  
una mittitur. *L. 5. princ. ff. h. t.*

Effectus.

### §. XXX.

Pupillus, missus in possessionem, inde a-  
limenta, sumtus studiorum, aliaque neces-  
saria impendia capit pro modo facultatum,  
*L. 5. §. 3. L. 6. §. 5. L. 15. ff. h. t.* eaque omnia  
postea lucratur, licet adpareat, eum inter li-  
beros

beros haud esse, L. 5. §. 3. ff. h. r. Et inde facile patet bonorum possessionem standam non esse, si evidenter probetur, impuberem non filium, sed subdititium esse. L. 1. §. ult. L. 2. §. 4. 5. ff. h. r.

T I T. XI.

De bonorum possessione secundum tabulas.

§. XXXI.

**H** Actenus de bonorum possessione contra tabulas: sequitur, ea, quæ SECUN-  
**DUM** TABULAS datur ex edicto Prætoris, I. quoties tabulæ tempore mortis testatoris extiterint, ex iisque constat, aliquem esse heredem scriptum. (§. VIII.) II. Si istæ tabulæ non minus quam septem testium signalis firmatæ. (P. V. §. III.) III. Si heres scriptus, jure civili non sit prohibitus. (§. I.)

Requisita bonorum possessionis secundum tabulas.

§. XXXII.

Ex primo itaque axiomate (§. XXXI, 1.) patet, 1) tabulas requiri supremas. L. 1. §. 1. ff. h. r. 2) Duabus exstantibus tabulis simul signatis, in quibus diversi heredes scripti, bonorum possessionem ex utroque codice, quasi ex uno dari. L. 1. §. 6. ff. h. r. 3) Duobus signatis exemplaribus, si unum perierit, sufficere, modo alterum extiterit. L. 1. §. 6. ff. h. r. 4) Minus autem sufficere extitisse exemplum, si authenticum perierit. L. 1. §. 7. ff. h. r.

Primum.

§. XXXIII.

Ex altero axiomate (§. XXXI, 2.) inferimus, non

Secundum.

non quidem alias sollemnitates internas requiri; 2) oportere tamen testatorem eo tempore, quo testabatur moriebaturque, jus testamenti factionis habuisse. *L. 1. § 8. ff. h. t.* 3) Hoc edictum Prætoris non pertinuit se ad testamenta nuncupativa, quamvis postea & secundum nuncupationem bonorum possessio dari cœperit, modo septem testes adfuissent. *L. 8. §. ult. ff. L. 2. C. h. t. L. ult. pr. C. de codicill.* 4) Multa alia testamenta, in se infirmata, servare Prætorum posse, veluti α) in quibus filius præteritus, sed vivo patre mortuus. *L. 2. pr. ff. h. t. L. 17. ff. de ini. rupt. β) Si testator capite diminutus, & postea restitutus sit. L. 1. §. 8. ff. h. t. L. 6. §. 12. de ini. rupt. irr. modo arrogatus postea, ubi sui juris factus, voluntatem suam de novo declararit. L. 11. §. 2. ff. h. t. γ) Si, testamento rupto, postumus ante testatorem mortuus sit. L. 12. pr. ff. de injust. rupt. δ) Si supremas tabulas testator incidit, ut priores supremas relinqueret. L. 11. §. 2. ff. hoc tit.*

### §. XXXIV.

**Tertium.**

Denique ex tertio axioma colligimus, 1) hanc bonorum possessionem dari heredibus scriptis, ex qua parte scripti sunt, *L. 2. pr. §. 3. 4. L. 12. ff. h. t.* non autem incapacibus, quamvis Prætor id beneficium etiam quibusdam, qui jure civili heredes scribi non poterant, e. g. postumis alienis, concederet. *pr. Inst. de bon. possess. L. 2. §. 1. L. 12. ff. h. t.*

### §. XXXV.

§. XXXV.

Casibus quibusdam, paullo ante (§.XXXII, *Ufus hodie*) (§.XXXIII, 3. 4.) recensitis, etiamnum *diernus.* locus est bonorum possessioni secundum tabulas. Reliquis ea non est usu recepta. Nec amplius sufficiunt tabulae, septem signis firmatae, postquam testamenta juris civilis & Praetorii a temporibus Theodosii in unam ac perpetuam formam conflata sunt. (P. V. §. IV.) §. 3. *Inst. de test.*

T I T. XII.

*Si a parente quis manumissus sit.*

§. XXXVI.

**P**arens, qui emancipaverat filium, ob veterem venditionis ac manumissionis ritum, erat veluti emancipati patronus. *Inst.* §. CCXXXIV.) Hinc parens, a filio emancipato praeteritus, exemplo patroni petere poterat bonorum possessionem contra tabulas, *L. 1. ff. h. t.* & ita consequi portionem legitimam, immo & datam hereditatem, si turpis persona esset instituta. *L. 3. ff. h. t.*

*Bon possessio emancipatori data.*

§. XXXVII.

Sed quemadmodum jam olim cessabat haec bonorum possessio, 1) si parens vel in poenam coactus esset emancipare, *L. ult. ff. h. t.* vel 2) pro emancipatione accepisset pecuniam, *L. 1. §. 3. ff. h. t.* vel 3) filius esset miles: *L. 1. §. 4. ff. h. t.* ita hodie ob *Nov. CXV. cap. IV.* plane nullus hujus bonorum possessionis usus est.

*An hodie ejus usus sit?*

T I T. XIII.

*De bonorum possessione ex testamento militis.*

§. XXXVIII.

Quomodo ex testamento militis bon. possessio datur?

**S** Equitur jam singulare privilegium MILITUM, aliorumque, qui in *hostico loco* (ita enim legendum videtur omnino pro *hosticolo*, Vid. V. A. Corn. a Bynkersh. *Obs.* IV, 20.) versantur, *L. un. pr. ff. h. r.* Quum enim militum testamenta, quocumque modo facta, valeant; (P. V. §. LXXVII,) non poterat non, hæc principia sequutus, Prætor edicere, se quidem secundum tabulas militis, in militia, aut intra annum post missionem defuncti, bonorum possessionem daturum, non autem contra ejusdem tabulas. *L. un. pr. ff. h. r. L. 29. §. 3. ff. de testam. mil.*

T I T. XIV.

*De jure patronatus.*

§. XXXIX.

Connexio.

**R** Edit Digestor ad bonorum possessionem contra tabulas. Qualem quum & patronus petere possit contra tabulas liberti: doctrina de JURE PATRONATUS hic inferitur, & aliquot titulis sequentibus tractatur.

§. XL.

Quis patronus & juris patronus

Est autem PATRONUS, qui servum, sive suum, sive alienum, ex justa servitute manumittit. *L. 8. §. 1. ff. de in jus voc.* Quum itaque

itaque servus ante manumissionem sit res, <sup>funda-</sup>  
non persona: (P. I. §. CXXII.) adeoque <sup>mei tunc</sup>  
libertus manumittenti id debeat, quod per-  
sona factus sit: inde prono alveo fluebat axio-  
ma: Patronus liberto loco parentis, vel sal-  
tim loco agnati est.

\* Constitutio Græca apud Cujac. *Obs.* XX,  
34. Δοκοῦσι συγγενεῖς εἶναι τῶν ἐλευθερομετων οἱ  
ἐλευθεροῦντες αὐτοὺς. *Agnati libertorum vi-*  
*dentur, qui illos manumiserunt.* Et patro-  
norum nomina libertos adoptasse, tan-  
quam filios, observat Lactant. *Divin. Inst.*  
*IV, 3.*

§. XLI.

Quum ergo liberto patronus sit loco pa- <sup>Quomo-</sup>  
tris; (§. XL.) pater autem & emancipare <sup>do cessat</sup>  
possit filium, (P. I. §. CLXXVIII.) & ali-  
quando in poenam patria potestate privari,  
si filium contra pietatem tractarit; (P. I. §.  
CLXXXI.) faecile patet, & jus patronatus  
expirare. I. si patronus libertum male tracta-  
rit, veluti capitis accusando, *L. 9. §. ult.*  
*L. 10. ff. h. r.* ei inopi alimenta denegando,  
*L. 5. §. 1. ff. h. r.* jusjurandum, ne matrimo-  
nium ineat, imponendo contra *L. Æliam*  
*Sentiam. L. 6. pr. §. ult. ff. h. r.* Add Comm.  
nostr. *ad L. Jul. & Pap. II, 17. p. 306.* II. Si ju-  
ri suo renunciaverit patronus: quamvis &  
tunc salva esset reverentia patrono debita,  
salvum jus, libertum ingratum in servitutum  
revocandi. *L. 3. C. de bon. lib.*

## T I T. XV.

*De obsequiis parentibus & patronis  
prestandis.*

## §. XLII.

Obsequium quid? **Q**Uandoquidem patroni loco parentum sunt; (§. XL.) consequens est, ut utriusque paria fere debeantur OBSEQUIA. Est vero OBSEQUIUM Ictis, *πάσα αἰδώς καὶ τιμὴ* omnis reverentia ac honor, ceu vocabulum *ὀφείσιον* interpretatur Justinianus Nov. LXXVIII. V. d. Huber. *Præh. h. t.*

## §. XLIII.

In quo consistat? Ex quo consequitur, 1) ut parentum ac patronorum persona liberis ac libertis semper sancta videri debeat. *L. 9. ff. h. t.* 2) Ut liberi & liberti parentes & patronos nec sine venia in jus vocare, (P. I. §. CCLXXIX, 2.) *L. 4. §. 1. L. ult. ff. de in jus voc. nec* 3) actionem famosam adversus eos movere, *L. 2. L. 5. §. ff. h. t. nec* 4) ab iis iusjurandum calumniæ exigere possint. *L. 7. §. 3. ff. h. t. Cui legi obstat L. 34. §. 4. ff. de iurejur. de qua vid. Cujac. Obs. IX. 37. 5) Ut patrono æque ac patri competat beneficium competentia. L. 7. pr. ff. h. t. L. 16. ff. de rejud. 6) Ut illi egentes alendi sint a libertis & liberis. *L. 1. §. 18. 20. ff. de agn. & al. lib.**

## §. XLIV.

An unquam cesset? Denique quum id obsequium ex grati animi memoria proficiscatur, consequens est, 7) ut istud nulla status conditione mutetur: ad eoque 8) & a liberis militibus præstandum sit

in parentibus, L. 1. pr. ff. h. t. & a libertis patronis, qui juribus patronatus renunciarunt. (L. XLI, 2.) L. 3. C. de bon. libert.

L I B E R XXXVIII.

T I T. I.

De operis libertorum.

§. XLV.

**E**X gratiani memoria, quam retinere decebat libertos, repetenda est obligatio OPERARUM, BONORUM, MUNERUM. DONUM erat qualiscumque liberalitas: MUNUS donum cum causa, veluti natalitium, nuptialitium. L. 194. 214. ff. de verb. signif. & ibi Jo. Goedd. OPERÆ denique sunt diurnum officium. L. 1. ff. h. t.

Quid dona, munera, opera?

§. XLVI.

Quæ vero operæ in officio personæ consistunt, uti adesse, comitari, OFFICIALES; quæ in artificio, & veluti pecuniaria præstatione, e. g. scribere, vestimenta conficere, FABRILES adpellantur, L. 6. ff. L. 9. §. 1. ff. h. t.

Operæ quotuplices?

§. XLVII.

Quum ergo officiales operæ in officio personæ; fabriles, dona, munera in præstatione pecuniaria consistant; (§. XLVI.) consequens est, 1) ut operæ officiales natura & indistincte debeantur, (§. XLII.) L. 26. §. 12. ff. de cond. indeb. 2) Ut eadem debeantur

Earum differentia.

foli

foli patrono, neque ad heredes transmittantur. L. 9. §. 1. L. 6. ff. h. t. 3) Ut fabriles contra, dona, munera, non debeantur, nisi promissæ, siue stipulatione, siue solemnibus verbis concepto iurejurando. L. 3. pr. L. 5. L. 7. pr. ff. h. t. Cai. Inst. III, 2. 4. 4) Ut eadem & aliis recte cedantur, L. 9. §. 1. ff. h. t. & ad heredes transeant. L. 6. ff. h. t.

§. XLVIII.

Quando hæ obligationes cessent?

Cessabant tamen hæ obligationes, I. si patronus eas remisisset. L. 41. ff. h. t. Obsequium infirmitatemque liberti, L. 15. L. 17. L. 24. ff. h. t. & III. ex lege Julia & Papia, si libertus duos filios unumve quinquennem in potestate haberet. L. 37. pr. ff. h. t. Vid. Comm. nostr. ad L. Jul. & Pap. II, 10. p. 227. sequ.

T I T. II.

De bonis libertorum.

§. XLIX.

Quid de bonis liberti sanxerint Leges XII. Tab.

Quum patronus liberto loco agnati esset; (§. XL.) non abs re cautum fuerat a Decemviris, ut liberto, intestato mortuo, nullis relictis suis heredibus, patronus succederet. pr. Inst. de success. lib. Ex qua lege sequebatur, 1) ut & naturales & adoptivi liberti liberi patrono anteferrentur. 2) Ut liberto semper integrum esset, patronum testamento excludere.

§. L.

Quid Prætor.

Quod quum sæpius forte an fieret, Prætor cavuit, 1) ut libertus cogeretur patrono partem

bonorum dimidiam relinquere . 2 ) Ut, ea non relicta , patrono hujus partis bon. possessio daretur contra tabulas . 3 ) Ut eandem portionem acciperet patronus , suo herede relicto adoptivo . 4 ) Ut soli liberi naturales patronum excluderent . §. 1. *Inst. eod. Ulp. tit. ult. §. 1. 3.*

§. LI.

Adjecit lex Papia Poppæa , ut & liberis naturalibus paucioribus , quam tribus , a liberto centenario relictis , in portionem virilem , sive testato sive ab intestato , admitteretur patronus . §. 2. *Inst. de success. libert.* Sed Justinianus denique in bonis liberti centenarii minoris jus nullum succedendi patrono reliquit , si testamentum fecisset . Ab intestato patronum ex asse admisit , liberis non exstantibus . In bonis centenario majoribus liberis præferri jussit patronis , liberis non exstantibus , patronos ex asse vocavit ; condito testamento , patrono tertiæ partis bonorum possessionem permisit . Vid. *Comm. ad L. Jul. & Pap. II. ult.* Sed hæc hodie nullius usus esse facile adparet .

Quid L. Julia & Papia Poppæa & Justinianus?

T I T. III.

*De libertis universitatis .*

§. LII.

**Q**uia civitates & municipia habebant servos publicos : ii sane manumissi liberti fiebant universitatum . Et hinc æque universitatibus bonorum possessionem contra tabulas libertorum dabat Prætor , ac contra libertorum privatorum . *L. un. ff. h. e.*

Ius universitatis in bonis liberti sui .

## T I T. IV.

*De adsignandis libertis.*

## §. LIII.

SC. de  
adsignā-  
dis liber-  
tis.

**Q**uum patronus liberto, tanquam proximo agnato, ab intestato succedere (§. XLIX.) consequens erat, ut, patrono mortuo, idem jus succedendi competere ejus liberis gradu proximis. Ulp. *Fragm. XXVII, 1. XXIX, 1.* Paull. *Recept. Sent. III, 1. L. 23. §. 1. ff. de bon. libert.* Id tamen ea habebat exceptionem, nisi patronus uni e liberis suis \* libertum adsignasset, ut is sola jura patronatus haberet, quod licebat per Sctum, Velleio, Rufo & Ostorio Scapulo. *Coff. factum anno V. C. DCCXCVIII. p. Inst. h. t. L. 1. pr. §. 1. seq. ff. h. t.*

\* Immo & emancipatis, ceu visum Modestino *L. 9. ff. h. t.* Cur ergo Justinianus *Inst. h. t.* perimi ait adsignationem, si filius emancipetur? Respondeo, posse patrem emancipato adsignare: sed, si suum, emancipavit, emancipavit, mutasse videtur voluntatem. Merill. *Obs. VII, 13.*

## §. LIV.

Jura ad  
signata  
rit.

**Q**uum itaque is, cui adsignatus libertus fuerit, solus patronatus juribus fruatur; (§. LII.) sequitur, 1) ut solus, exclusis fratribus, in bonis liberti succedat, eoque extincto, liberi ejus. 2) Ut reliqui fratres nihil juris in liberti bonis habeant, nisi extincto sine liberis eo, cui libertus adsignatus fuerat,

*Si quid in fraud. patr. fact. sit. Pars VI. 143*  
rat, pr. Inst. h. t. Sed & hanc hodie extra  
usum esse, facile unusquisque intelligit.

## T I T. V.

*Si quid in fraudem patroni factam sit.*

### §. LV.

**Q**Uum patrono ex bonis liberti veluti legitima quaedam portio debeatur; (§. XLVIII. *equ.*) liberti autem, saepe patronos illa portione privati, vel alienando bona efficerent, ut essent centenariis minores, & tunc IN FRAUDEM LEGIS alienasse videantur; vel facta alienatione nihilominus manerent centenarii, & tunc alienasse dicerentur in FRAUDEM PATRONI: priore casu ipso jure nulla erat alienatio; (P. I. §. C, 4.) posteriore alienata revocari patrono poterant. L. 16. ff. de jure patron. Vid. Comm. nostr. ad L. Jul. & Pap. II, 22. p. 352. sequ.

Quid in fraudem legis vel patroni alienare?

### §. LVI.

Quod si igitur libertus dolo malo fecit, (non si is, qui a libertis accepit, in dolo sit, L. 1. §. 4. ff. h. t.) ut alienando minus haberet, quam patronus habere poterat: huic, testato mortuo libertis, datur actio FAVIANA; intestato, CALVISIANA, contra quemcumque possessorem, etiam b. f. L. 1. §. 4. ff. h. t. ejusque heredes, L. 1. §. 26. cod. ad res, in fraudem patroni alienatas, revocandas cum omnibus accessionibus, vel iis non restitutis, ad id, quod interest, vel quantum patronus in litem jurarit. L. 1. §. ult. L. 2. ff. L. 1. §. 1. ff. h. t.

Actiones patrono competentes.

• Non

\* Non ergo. locus est actioni, 1) si libertus occasionem acquirendi neglexit, L. I. §. 6. ff. h. r. 2) si alienatio fuerit necessaria, aut saltem remuneratoria, L. I. §. 9. 10. ff. h. r. multoque minus, 3) si consensu patroni facta. L. II. ff. h. r.

## T I T. VI.

*Si tabula testamentum nulla exstabit, unde liberi.*

## §. LVII.

Gradus bon. poss. ab intestato.

**S** Equuntur bonorum possessiones AB INTESTATO. (§. V.) Quumque Leges XII. Tab. primo omnium vocarent suos, deinde agnatos, hinc gentiles: (Inst. §. DCXCI.) hunc ordinem sequutus Prætor primo vocabat LIBEROS, hinc LEGITIMOS, postea COGNATOS, postremo VIRUM & UXOREM. \* L. I. §. 1. ff. b. r. §. 2. Inst. de bon. poss.

\* Immo olim per octo gradus dabatur bonorum possessio: 1) liberis, 2) legitimis, 3) decem personis, quas Prætor extraneo manumissori præferebat, 4) cognatis, 5) familiæ patroni, 6) patrono, patrônæ, eorumve liberis, si forte ex præcedentibus edicti partibus non essent vocati, 7) viro & uxori, 8) cognatis manumissoris. Ulpian. Fragm. XXVIII, 7. §. 2. Inst. eod. Vid. Antiqu. Rom. III, 10. p. 57.

## §. LVIII.

Unde liberi?

Liberis itaque primo omnium dat bonorum possessionem, & quidem emancipatis, quia eorum rationem non habuerant Leges XII.

XII. tabularum: L. 1. §. 7. 9. L. 2. L. 4. ff. h. t. suis autem, si eo beneficio uti velint. L. 1. §. 6. 9. L. 7. pr. ff. h. t. Sed ne illis quidem eo remedio opus est, post Nov. CXVIII. cap. 1.

T I T. VII.

Unde legitimi.

§. LIX.

**L**iberis non exstantibus, vocabat LEGITIMOS id est agnatos, & quidem gradu proximos. L. 1. L. 3. ff. h. t. Qui quum ab ipsa lege XII. Tabb. vocarentur: (Inst. §. DCXCIII. sequ.) supervacua videri potest hæc pars edicti. Immo eos tantum ideo videtur vocasse, ne præteriisse videretur. Huber. Prælect. Dig. h. t. Unde legitimi.

T I T. VIII.

Unde cognati.

§. LX.

**M**Agis necessaria bonorum possessio erat COGNATIS, quos lex XII. tabularum non admittebat. L. 1 pr. ff. h. t. L. 2 L. ult. C. unde legit. Admittebat autem Prætor gradu proximos, usque ad sextum gradum, eoque jure & agnatos vocabat, si essent capite minuti. L. 1. §. 3. seqq. L. 2. ff. h. t. §. 1. sequ. Inst. de succ. cogn. L. 8. ff. de suis & legit. her. Sed, nec eo beneficio opus est hodie ob Nov. CXVIII. cap. 5. Unde cognati.

## T I T. IX.

*De successorio edicto.*

## §. LXI.

Ratio e-  
dicti suc-  
cessorii.

**Q**UUM creditorum interfit, hereditatem non nimis diu jacere, (P. V. §. LXIX.) & hinc Prætor quoque bonorum possessionibus agnoscendis certum temporis præfixisset spatium; (§. VII.) ut eo facilius procederet negotium, Prætor edicto successorio concesserat, 1) ut, si unus intra definitum tempus non peteret, ejus pars personis ejusdem gradus accresceret 2) Ut, nemine ex prior gradu petente, posteriores intra legitimum tempus ordine admitterentur, §. 4. 5. *Inst. de bon. poss. L. 1. pr. §. 8. seq. ff. h. r. ad- eoque* 3) proximo omittente non amplius hereditas fisco cederet tanquam caduca. *L. 2. ff. h. r.*

## T I T. X.

*De gradibus & adfinibus & nominibus eorum.*

## §. LXII.

De gra-  
dibus &  
adfinita-  
tibus ubi  
agatur.

**I**Mmiscuit hic Digestor tractatum DE GRA-  
DIBUS COGNATIONIS & ADFINI-  
TATUM. Sed modum computandi gradus  
alibi ostendimus. (*Inst. §. CLII. seq.*) *Affini-  
tas*, quia ad successionem non prodest, hu-  
non pertinet. Nomina cognationum ex sche-  
matibus vel typis, quos *arbores consanguini-  
tatis*

Patris vocant, rectius addiscuntur. Unde non immoramur doctrinæ parum utili.

T I T. XI.

Unde vir & uxor.

§. LXIII.

**V**iro & uxori beneficio Prætoris opus non erat, si hæc in manum convenerat. Tunc enim uxor fiebat, *κοινωνὸς ἀπάντων χρημάτων τε καὶ ἱερῶν*, *particeps omnium bonorum & sacrorum*. Dionys. Halic. II. p. 95. & mortuo marito succedebat tanquam filiafamilias. Gell. Noct. Att. XVIII, 6. Maritus autem bona omnia uxoris nomine dotis accipiebat. Cic. Topic. cap. IV. (P. IV. §. CLIX. \*)

Successio conjugū antiqua.

§. LXIV.

Ex quo autem rarior fieri cœpit in manum conventio, Prætor edixit, ut cognatis demum deficientibus, vocentur ab intestato conjuges, qui mortis tempore in justo matrimonio vixerunt. L. un. pr. ff. h. t. §. 2. Inst. de bon. poss.

Ex edito unde vir & uxor.

T I T. XII.

De veteranorum & militum successione.

§. LXV.

**H**ucusque Prætoris beneficium pertinebat. Nemine enim ex his petente bonorum possessionem, fiscus bona vacantia occupabat. L. 1. pr. L. 2. ff. de success. edit. Heredes militis damnati fisco præferuntur.

Huic tamen in bonis castrensibus præfert Prætor heredes, a milite vel veterano, ob delictum militare damnato, institutos, itemque heredes ejusdem legitimos & cognatos ad quintum gradum usque. *L. I. L. 2. ff. h. t. L. II. ff. de test. mil.*

T I T. XIII.

*Quibus non competit bonorum possessio.*

§. LXVI.

Indignis  
nec be-  
norum  
p. possessio  
datur.

**Q**UUM bonorum possessio sit beneficium, eo sane indigni sunt, quos lex a successione excludit ob delictum. Unde axioma: Quibuscumque HEREDITAS tanquam indignis eripitur, ( P. V. §. CXCVIII. sequ.) iisdem nec BONORUM POSSESSIO datur. *L. 12. §. 1. ff. de bon. possess.* Exemplum ejus, qui dolo malo fecit, ne testamentum, in sui suorumve factum, mutaretur, est in *L. un. ff. h. t.*

T I T. XIV.

*Ut ex legibus, senatusve consultis bonorum possessio detur.*

§. LXVII.

Bon. pos-  
sessio ex-  
traordi-  
naria.

**H**ACTENUS de ordinaria bonorum possessione: sequitur EXTRAORDINARIA, quæ non ex Edicto Prætoris, sed ex legibus senatusve consultis extra ordinem datur. (§. IV.) Nam & secundum hæc se bonorum possessionem daturum Prætor pollice-

*Quis ordo in possess. servetur. Pars VI. 149*  
dicebatur iis, quibus lex aliqua nova eam  
speciatim delatam vellet. *L. un. pr. ff. h. r.*

T I T. XV.

*Quis ordo in possessionibus servetur.*

§. LXVIII.

**E**X his ergo, quo ORDINE bonorum Ordo  
bon. pos-  
sessionis. possessio detur, facile patet. Idem  
puta, qui in hereditate. Quemadmodum  
enim testamentarius heres excludit legiti-  
mum; (P. V. §. II.) ita primo Prætor dat  
bonorum possessionem testato, & quidem  
primo *contra tabulas*, deinde *secundum ta-  
bularum*. Hinc ab intestato vocat liberos, le-  
gitimos, cognatos, conjuges, & prior  
gradu omittente, proxime sequentem ex edi-  
cto successorio admittit. (§. LXI.) *L. 1. pr.  
§. 1. ff. h. r.*

T I T. XVI.

*De suis & legitimis heredibus.*

§. LXIX.

**E**T hæc quidem de hereditatibus, lega-  
tis, fideicommissis, & bonorum pos-  
sessionibus dicta sunt. Duobus postremis  
hujus libri titulis agitur de SUCCESSIONE  
AB INTESTATO, cui locus est, quo-  
ties non exstat testamentum. (P. V. §. II.)  
De hac successione ita cautum fuerat Le-  
gibus XII. Tabularum: **AST SI INTESTA-  
TO MORITUR, CUI SUUS HERES  
NEC ESCIT, AGNATUS PROXIMUS,**

Lex XII.  
Tab. de  
succes-  
sione ab in-  
testato.

FAMILIAM HABETO . SI AGNATUS  
NEC ESCIT , GENTILES FAMILIAM  
HABENTO. Ulp. *Fragm. XXV, 1. L. 9. §. 2.*  
*ff. de lib. & postum.*

## §. LXX.

Ejus fun-  
damen-  
tum iure  
veteri .

Ex quo patet: fundamentum hujus succes-  
sionis fuisse conservationem familiarum .  
V. A. Corn. van Bykersh. *Obs. II, 1.* Ex quo  
fluunt axiomata: I. LIBERI primi omnium  
vocantur: II. His non exstantibus AGNA-  
TI, id est, per virilis sexus personas co-  
gnatione juncti, & eodem cognomine uten-  
tes. III. Nec his exstantibus GENTILES,  
id est agnati ejusdem nominis non cognomi-  
nis. (*Inst. §. CCXX.\**) Cie. *Topic. cap. VI.*  
Denique IV. ex his omnibus non nisi, qui  
ejusdem familiarum manserunt, admittuntur.

## §. LXXI.

Successio  
liberico-  
rum .

Quum itaque LIBERI primi omnium vo-  
centur; (§. LXX, 1.) consequens est, 1) ut  
nihil intersit, sive sint naturales sive adopti-  
vi. §. 2. 7. *Inst. de her. qua ab int. L. 1. §. 9.*  
*ff. h. t. 2*) Ut filiarum æque vocentur ac filii.  
3.) Ut proximi gradu succedant in capi-  
ta, remotiores in stirpes. §. 6. *Inst. eod.*  
Juncto autem axioma IV. facile adpa-  
rer, SUOS tantum, (P. V. §. LXXVIII.)  
non item emancipatos a lege vocari. §. 9.  
*Inst. eod.*

## §. LXXII.

Agnato-  
rum &  
gentilium .

Quumque alterum gradum AGNATI &  
tertium GENTILES tenerent; (§. LXX, 2. 3)  
consequens erat, 1) ut agnati excluderent  
gentiles. 2) Ut & per adoptionem agnati  
admit-

admitterentur. §. 1. 2. *Inst. h. t.* 3) Ut proximus in utroque gradu excluderet remotiorem, & 4) propiore omittente, remotiori non esset locus, nisi eum Prætor admitteret ex edicto *unde cognati*. §. 7. *Inst. eod.* Denique ex axioma IV. erat, (§. LXX, 4.) quod 5) agnati in infinitum; agnatæ non ultra sorores admitterentur, quodque 6) capite minuti successionis jure exciderent, quamvis & illas & hos Prætor ex Edicto *unde cognati* vocaret. §. 3. *Inst. h. t.* §. 1. *Inst. de succ. cogn.*

T I T. XVII.

*Ad Senatusconsultum Tertullianum  
& Orphitianum.*

§. LXXIII.

**E**X his ergo satis patet, inter matrem & SC. Tertullianū. liberos nullam fuisse jus succedendi. Illa enim nec agnata erat, nec gentilis. (§. LXX.) At primum sub Hadriano SCto Tertulliano cautum, ut 1) mater, non avia, ingenua trium; libertina quatuor liberorum jus habens, 2) liberis intestato mortuis, sive legitimis, sive vulgo quæsitis succederet, 3) si non essent propiores. §. 1. 2. 3. *Inst. h. t. L. 2.* §. 1. *sequ. ff. h. t.*

\* Matri enim præferbantur nepotes ex defunctis filiis vel filiabus, pater, fratres germani, & consanguinei, immo & sorores, non tamen simpliciter, sed ita, ut hæc cum matre

152 *Pand. Lib. XXXVIII. Adpend.*  
& fratribus germanis & consanguineis simul  
admitterentur.

§. LXXIV.

SC. Or-  
phit a-  
hum.

Quum ergo mater nec agnata, nec genti-  
lis esset; (§. LXX. & LXXIII.) consequens  
erat, ut ei nec liberi succederent. Postea ta-  
men Marci Antonini temporibus Vettio Ju-  
liano Rufo & Cornelio Scipione Orphito  
Coss. (Vid. Henr. Noris. *Epist. Cons. p. 462.*)  
cautum, ut legitima hereditas matris, sive  
ingenuæ sive libertinæ, liberis, tam legiti-  
mis quam vulgo quæsitis, ab intestato defer-  
retur. *pr. C. §. 3. Inst. h. t. L. 1. pr. §. 1. sequ.*  
*L. 6. ff. h. t.* Id quod postea constitutionibus  
Principum & ad nepotes neptesque produ-  
ctum est. *§. 1. Inst. h. t.*

A D P E N D I X

*De successione ab intestato secundum  
Justiniani Novell. CXVIII.*

§. LXXV.

Successio-  
nis ab  
intestato  
hodiernæ  
funda-  
mentum.

**T**alis erat successio vetus ex lege XII. Ta-  
bularum. At Justinianus novum plane  
jecit successionis in causa intestati funda-  
mentum. Quum enim successio ex XII. Tab.  
ad familiæ conservationem esset comparata;  
(§. LXX.) Justinianus eos ab intestato voca-  
vit, quos defunctus quam maxime amasse  
præsumeretur. Id quod & aliis gentibus pla-  
cuisset observat Grot. *de I. B. C. P. II, 73.*

§. LXXVI.

§. LXXVI.

Quum ergo, recte observante Aristotele *Ethic. ad Nicom. VIII, 12.* amor soleat primum DESCENDERE, deinde, si non habeat, quo descendat, ADSCENDERE, ac denique, si nec adscendere possit, ad LATUS divergere; (*Inst. §. DCCXLII.*) eundem ordinem & Justinianus in hac Novella putavit observandum, ita tamen, ut & conjugum, ac postremo loco fisci haberet rationem.

Diverſi  
ejus gra-  
dus.

§. LXXVI.

Ex quo fundamento sequitur, 1) ut hodie quinque sint successionis gradus: DESCENDENTIUM, ADSCENDENTIUM, COLLATERALIUM, CONJUGUM & FISCI. 2) Ut discrimen inter suos & emancipatos, agnatos & cognatos, quod ad successionem, sit sublatum, adeoque 3) & nullus fere amplius bonorum possessionis, in eorum gratiam repertæ, usus superſit.

Illic re-  
cenſiti.

I. De ſucceſſione deſcendentium.

§. LXXVIII.

Primo itaque ſucceſſio DESCENDIT, adeoque LIBERI primi omnium veniunt. Quumque illi ſint vel LEGITIMI, vel LEGITIMATI, vel ADOPTIVI vel ILLEGITIMI; (*P. I. §. CLI. ſequ.*) de LEGITIMIS observandum axioma: Legitimi omnes cujuſcumque ſexus & gradus, ſine discrimine ſuitatis & emancipationis, \* (*§. LXXVII, 2.*) ſuccedunt adſcendentibus quibuſcumque, mo-

Libero-  
rum na-  
turalium  
legitimo-  
rum ſuc-  
ceſſio.

do eos nemo antecedit, a quo vel ex qua sint  
geniti. *Nov. CXVIII. cap. 1.*

\* Ex quo patet, cessare hodie bonorum possessionem *unde liberi*: (§. LVIII.) & quia & ordinario jure matri succedunt liberi, cessare etiam successionem ex *SC. Orphitiano* (§. LXXIV.)

### §. LXXIX.

Forum-  
den por-  
tiones.

Quum ergo remotiores etiam admittantur, modo eos parentes non antecedant; (§. LXXVIII.) consequens est, 1) ut hi semper succedant, jure parentum pramortuorum in se transmissio, adeoque 2) primi gradus liberi succedant in capita, 3) ulteriorum in stirpes, jure representationis, (*Inst. §. DCCLVI.\**) sive soli sint, sive cum gradu prioribus concurrant. *Nov. CXVIII, 1. 4*) Ut liberi ex diversis nati matrimoniis, suo singuli parenti separatim, communi communiter succedant, salvo prioris matrimonii liberis eo, quod ex prioris matrimonio tantum jure usufructus ad communem parentem pervenit. (*P. IV. §. CLXXVIII, 7.*) *L. 2. C. de sec. nupt.*

### §. LXXX.

Successio  
legitima-  
torum.

Ex LEGITIMATIS 1) ii, qui per subsequens matrimonium in patriam potestatem reducti sunt, eodem succedunt jure, ac legitimi. §. 2. *Inst. de her. ab intest.* 2) Per rescriptum Principis legitimati admittuntur, si in hunc finem facta legitimatio, sique soli sint. *Nov. LXXXIX. cap. 9. Legi-*

timis

legitimis exstantibus salvam iis esse jubent legitimam. (P.I. §. CLX.) Gail. Obs. 11, 142.

§. LXXXI.

ADOPTIVI, cujuscumque generis, eodem jure succedunt patri, ac naturales; (P.I. §. CLXXV.) §. 14. *Inst. de succ. ab intest.* §. 2. *Inst. de adopt.* exceptis tamen feudis 2.F. 26.

Adopti-  
vor. m.

§. LXXXII.

ILLEGITIMI, quia patrem civiliter non habent, (P.I. §. CLIV, 7.) tantum succedunt 1) matri, sed indistincte cum legitimis, (P.I. §. CLIV, 8.) L. 2. ff. un. de cogn. nisi mater illustris, & filius vulgo quæsitus, cum legitimis concurrere velit. L. 5. C. ad SC. Orphit. 2) Patri succedunt tantum naturales, si soli existant, & quidem in sextantem, cum matre dividendum. Nov. LXXXIX. cap. 12. §. 4. 3) Ex adulterio vel incestu nati nihil capiunt, ac ne alimentis quidem digni habentur. Nov. LXXXIX. cap. ult.

Illegiti-  
morum.

II. De successione adscendentium,

§. LXXXIII.

DEFICIENTIBUS liberis ad ADSCENDENTES devolvitur liberorum intestatorum hereditas. (§. LXXVII, 1.) Et tunc observanda axiomata; I. Successio ordinariæ est reciproca. II. Cum adscendentibus admittuntur germani germanorumque liberi.

De suc-  
cissione  
adscen-  
dentium  
axiomata.

\* Ordinariæ, inquam. Nam exceptionem jam supra vidimus in adoptatis ab extraneis. Hi enim succedunt ab intestato patri

adoptanti. (§. LXXXI.) At pater non succedit liberis, in quos nihil potestatis habet. (P. I. §. CLXXV.) §. 2. *Inst. de adopt.* Ita & impubes arrogatus arrogatori quidem succedit, non autem arrogator impuberi, si intra pubertatem moriatur. (P. I. §. CLXXI, 4. a)

## §. LXXXIV.

Quomodo adscendentes succedant?

Quum vero adscendentibus adplicari nequeat definitio juris repræsentationis, quam alibi dedimus; (*Inst.* §. DCCXLVI. \*) consequens est, 1) ut generatim propior excludat remotiorem. *Nov. CXVIII. cap. 2*) Ut pater & mater soli superstites luctuosam hereditatem inter se æqua lance dividant. 3) Ut alteruter parentum solus superstes solidum capiat, avosque excludat. 4) Ut, si soli superstites sint adscendentes remotiores, illi succedant in lineas. \* *Nov. CXVIII. cap. 2. v. si autem.*

\* Ita scilicet, ut pars hereditatis dimidia lineæ paternæ; dimidia maternæ per leges detur. *Nov. CXVIII. cap. 2.*

## §. LXXXV.

Qui cum illi concurrant?

Quandoquidem etiam cum adscendentibus concurrunt fratres germani, germanorumque liberi: facile patet, 1) eos æque ac adscendentes admitti in capita. 2) Germanorum liberos cum germanis concurrere in stirpes jure repræsentationis. *Nov. CXXVII. cap. 1.* 3) Si cum his non concurrant, eos plane excludi: (vid. Dn. Huber. *Prel. ad Inst. p. m. 254.*) quamvis praxis fere alia sit. Vid. *Sand. Dec. V, 8. 5.*

## §. LXXXVI.

§. LXXXVI.

Quum porro successio fore sit reciproca; (§. LXXX, 1.) consequens est, 1) ut legitimatis eodem modo succedant adscendentes: 2) adoptivis non nisi paterni, modo plena sit adoptio. (§. LXXXIII. \*) 3) Ut illegitimis non nisi materni adscendentes heredes esse possint.

An & legitimatis a adoptivis & illegitimis succedant adscendentes.

III. De successione collateralium:

§. LXXXVII.

Ubi defunt adscendentes: ibi ad latus divergere diximus successionem. (§. LXXVI.) Ergo tertius gradus successionis est COLLATERALIUM. Ubi observandum, I. primos omnium vocari fratres ac sorores, germanos germanasque, eorumque liberos. II. his non exstantibus proximis esse consanguineos, vel uterinos, eorumque liberos. III. Fratres ac sorores in capita; eorum liberos, si cum propioribus gradu concurrant, in stirpes; sin soli succedant, in capita admitti. Nov. CXVIII, 3. IV. Concurrentibus consanguineis & uterinis, illos in bonis a patre profectis; hos in bonis maternis præferri, in reliquis succedere æqualiter. Nov. LXXXIV.

Successio fratrum eorumque liberorum.

§. LXXXVIII.

Quid vero si vel fratres vel sorores, eorumque aut earum liberi, non existent? Tunc regula valet V. Propior indistincte excludit remotiorem, cessante penitus jure representationis. Nov. CXVIII. cap. 9.

Reliquorum collateralium.

§. LXXXIX.

## §. LXXXIX.

Quibus  
succedat  
adoptivi  
& illegi-  
timi?

Ceterum ex hoc facile patet, quibus col-  
lateralibus succedant *adoptivi & illegitimi*.  
Illi enim, quia adoptio tantum jura agna-  
tionis tribuit, non cognationis, (P. I. §.  
CLXXVII, 2.) tantum patris adoptivi pro-  
pinquis; L. 10. §. 1. C. de adopt. hi tantum co-  
gnatis a matre succedunt.

## IV. De successione conjugum.

## §. XC.

Successio  
conju-  
gum.

**N**ULLI exstantibus cognatis, Prætor con-  
juges vocat Edicto UNDE VIR ET  
UXOR. (§. LXIV.) Sed & cum aliis he-  
redibus jure novo admittuntur conjuges pau-  
peres, & quidem in quartam bonorum  
partem, si tres aut pauciores liberos co-  
gnatosve heredes reliquit conjux dives præ-  
mortuus; in portionem autem virilem, si  
plures. Id quoque notandum, conjuges  
portionem suam capere jure proprietatis,  
si cum cognatis concurrant; jure usufruc-  
tus, si cum liberis. Nov. LIII. cap. 6. Nov.  
CXVII. cap. 5. Auth. Præterea C. unde vir &  
uxor.

## V. De successione fisci.

## §. XCI.

Fisci.

**P**ostremo bona vacantia devolvuntur ad  
fiscum, L. 1. L. 4. C. de bon. vac. dummo-  
do intra quadriennium a die scientiæ agno-  
scantur. L. 1. §. 2. ff. de jure fisci. Fisco ta-  
men

men præferuntur collegia decurionum, navi-  
culariorum, cohortalium, fabricensium in  
bonis vacantibus collegæ sui. *tit. C. de hered.  
detur. navic.*

§. XCII.

Tale est jus Romanorum. Statuta hic mi-  
nime variant. Ubi jus Saxonicum valet, fi-  
lii præcipuas habent *res expeditorias*, *das De-  
er-Gemette*, veluti equum, gladium, tor-  
quem, ahenum, pulvinar, mappam & man-  
tile: Filiabus & filiis clericis ibi concedun-  
tur *res mensiles*, *die gerabe*, veluti mundus,  
ornatus, vestes, lecti, lana, linum. Vid.  
Carpz. *Part. II. Const. XIV. Def. LVIII. LX.* In  
Austria ascendentes plane non succedunt.  
Finstervv. *Obs. II, 119.* Maxime differunt sta-  
tuta circa successionem conjugum. Unde  
eam diversitatem hic referre non fert insti-  
tuti ratio. Vid. Richteri, Strykii aliorum-  
que opera de *successione ab intestato*: Konlii de  
*successione conjugum*, & aliorum.

Ufus ho-  
diermus.

---

L I B E R XXXIX

T I T. I.

*De operis novi nunciatione.*

§. XCIII.

Totus hic liber partim ad tractatum de  
damnis infestis, partim ad donationes  
pertinet. Imminet aliquando damnum ab  
opere faciendo, aliquando a jam facto. Prio-  
re casu datur NOVI OPERIS NUNCIA-

Novi o-  
peris  
nuncia-  
tio quid?

TIO.

**TIO**, quæ est legitima prohibitio facta ei, qui contra pristinam formam opus novum facere conatur, eum in finem, ut non pergat donec vel causa plane cognita, vel satisfidatum sit. *L. 1. §. 11. ff. h. t.*

## §. XCIV.

Ex qua definitione jam fluunt axiomata :

De ea  
axiomata.  
12.

I. Novi operis nunciatio pertinet ad opera futura, & solo conjuncta. \* *L. 1. §. 2. 12. ff. h. t.* II. Fit vel privatim vel publice, *L. 5. §. 10. L. 16. ff. h. t.* III. ab eo, cujus ex jure in re interest. IV. Nunciatur ædificanti contra pristinam formam. *L. 3. §. 5. ff. h. t.* V. Nunciatur eo fine, ut aut desistat ab ædificando, aut de moliendo opere cautionem præstet.

\* Modo mora periculum aliquod non adferat. Hinc novi operis nunciationi non est locus, si quis rivos vel cloacas velit reficere, purgare, vel ædes vitiosas fulcire. *L. 5. §. 11. 12. ff. h. t.*

## §. XCV.

Quando  
illi locus  
fit?

Quum itaque ad opera futura & solo conjuncta pertineat hoc remedium; (§. XCIV, 1.) consequens est; 1) ut cesset edictum opere jam perfecto, & hinc 2) potius tunc interdicto *quod vi aut clam*, similibusve sit experiendum. *L. 1. §. 1. ff. h. t.* 3) Ut ne tunc quidem novi operis nunciationi locus sit, si quis messem faciat, arborem succidat, vineam putet. *L. 1. §. 12. ff. h. t.*

## §. XCVI.

Quomo-  
do no-

Quumque tum privata tum publica au-  
cto-

toritate novum opus nunciari possit; (§. vult opus nunciatur? XCIV, 2.) facile redditur ratio, 1) cur aut Prator adeundus, ejusque decretum imperandum, *L. 5. §. 10. L. 15. ff. h. t.* aut 2) privatim ædificanti sive verbis, sive manu averfa, vel jactu lapilli, \* novum opus nunciandum fuerit. *L. 20. §. 1. ff. quod vi aut clam. L. 5. §. 10. ff. h. t.* 3) Cur publica auctoritate opus fuerit adversus ædificantem in nostro; privata adversus ædificantem in suo. *L. 5. §. 10. L. 1. §. 6. ff. h. t.* 4) Cur nunciatio & die feriato fieri possit. *L. 1. §. 4. ff. h. t.*

\* In Florentino est *ictu lapilli*. Quod quidem *ictu* vel *jactu* glossographo, sed præter rem, adscribit Hotoman. *Observ. II, 4.* Fuit hic ritus vis quædam festucaria & civilis, qua, projecto in opus novum lapillo, ædificans non minus desistere cogebatur, ac si verba legitima pronunciasset: *Denuncio tibi, ne quid in illo loco novi operis, me invito facias.* Vid. Cujac. *ad L. 81. ff. de verb. signif. & in Paratit. h. t.* Unde falluntur, qui sequenti Alexandrum Raudensem, *de Analog. cap. 7. num. 14.* jactum lapilli esse putant materiæ aut lapidum dispersionem: veluti Brunnem. *ad L. 5. §. 1. ff. quod vi aut. clam.*

### §. XCVII.

Quum porro novum opus nuncient ii, quorum ex jure in re interest; (§. XCIV, Qui nunciare possunt? 3.) consequens est, ut novum opus nunciare possint 1) domini, *L. un. §. 3. ff. de re-miss.* quique 2) loco dominorum sunt, bonæ fidei possessores, *L. 136. ff. de reg. irr.* 3) superficia-

ficiarii, & emphyteutzæ. *L. 3. §. 3. ff. h. t. 4)*  
 li, quibus servitus constituta. *L. un. §. 3. de  
 remiss. 5)* Creditoris, quibus est jus pigno-  
 ris. *L. 9. ff. h. t.*

## §. XCVIII.

Quive  
 non pos-  
 sia?

Ex eodem patet, 6) jus nunciandi non  
 esse conductoribus, colonis, aliisque, qui-  
 bus tantum jus ad rem est, *L. 3. §. 3. ff. h. t.*  
 multoque minus 7) iis, quorum plane non  
 interest, nisi novum opus nuncietur juris pu-  
 blici tuendi causa. *L. 3. §. ult. L. 4. ff. h. t. 8)*  
 Non posse nunciare, nisi qui de calumnia  
 juraverint. *L. 5. §. 14. ff. h. t.*

## §. XCIX.

Cui nun-  
 cietur.

Quumque nunciatio fiat ædificanti con-  
 tra pristinam formam; (§. XCIV, 4.) con-  
 sequens est, 1) ut nihil intersit, siue ipse  
 nuncietur, siue iis, qui ejus nomine in re  
 presenti sunt, siue fabris & opificibus. *L.  
 5. §. 3. L. 10. L. 11. ff. h. t. 2)* Ut ex pluri-  
 bus dominis uni nunciare sufficiat. *L. 5.  
 §. 5. eod. 3)* Ut socius socio, in re com-  
 muni ædificanti, non hoc remedium, sed  
 judicium communi dividendo in promptu sit.  
*L. 3. §. 2. L. 28. ff. comm. divid.*

## §. C.

Quo ef-  
 facta?

Denique ex ultimo axioma (§. XCIV, 5)  
 patet, 1) ædificantem, facta ipsi nuncia-  
 tione, ab opere inchoato abstinere debere,  
 donec vel remissio fiat a Præatore, vel satis-  
 datum sit. *L. 8. §. 4. L. 20. §. 1. ff. h. t. 2)* Si  
 quid contra factum, id destruendum esse,  
*L. 20 pr. §. sequ. ff. h. t. eoque nomine com-  
 pete-*

petere interdictum restitutorium. 3) Eum, qui satisfecit, vel per quem non stat, quominus satisfecit, in ædificando pergere posse, eoque nomine ei competere interdictum prohibitorium adversus eum, qui ædificaturum impedit, *L. 26. §. 9. seq. ff. h. r. modo nunciante intra tres menses jus suum non probaverit. L. un. C. h. r.* 4) Nunciante mortuo, (aliud in nunciato,) aut rem alienante, successorem de novo nunciare debere. *L. 8. §. 6. 7. ff. h. r.*

## T I T. II.

*De damno infecto & sugrundis & protectionibus.*

### §. CI.

**H**Atenus de damno, quod ex opere Quid damnum infectum *faciendo* videtur imminere. (§. XCIII) Si quid damni ex opere jam *facto* metuamus: in mundo nobis est remedium, quo cautionem **DAMNI INFECTI** \* exigere possimus. Est autem **DAMNUM INFECTUM**, quod nondum factum est, quodque futurum veremur, *L. 2. ff. h. r.* sive id periculum ex ædibus, ruinam minantibus, sive ex sugrundis & protectionibus, sive ex furno, *L. 24. §. 7. ff. h. r.* sive ex sterculino, secundum parietem meum facto, *L. 17. §. 2. ff. si serv. vind.* sive ex suffossis fundamentis, vel aliunde immineat. *L. 5. §. 1. L. 6. L. 7. §. 1. 2. L. 13. §. 2. L. 47. ff. h. r. L. 19. §. 1. L. 30. §. 2. ff. h. r.*

\* Qua

\* *Qua cautione ideo opus est, ut vicinum ex stipulatu convenire possimus. Alioquin enim, si quid mihi damni illatum sit, actionem nullam habeo, nisi ut vicinus aut ruderat tollat, aut ea mihi relinquat. L. 7. §. 1. 2. ff. h. t. Quum itaque sæpe periculum in mora esset: etiam municipalibus magistratibus concessum fuerat, ut caveri juberent, & in possessionem mitterent. Quin adversus negligentiores magistratus prodita erat actio in factum ad id, quod intererat. L. 4. pr. §. seq. ff. h. t.*

§. CII.

Quid de eo Prætor edixerit?

Eam in rem edixerat Prætor. I. se iussurum, damni infecti nomine ei, cujus interest, in eum diem, quem causa cognita staturerit, cautionem præstari. II. Si ita non caveatur, se in ejus bona immissurum eum, cui cavendum erat. III. Adversus eum, qui nec cavit, nec in possessionem missum admisit, se actionem in factum daturum. IV. Si ab eo, qui in possessionem missus est, & alius vicinus cautionem damni infecti exigat, neque ea præstetur, se illum vicinum simul in possessione ire iussurum. Habes veluti nucleum prolixi & verbosi Edicti, cujus verba exstant in *L. 7. pr. ff. h. t.*

§. CIII.

Cautio damni infecti quibus & a quibus præstanda.

Ex prima edicti parte (§. CII, 2.) patet, 1) cautionem hanc actione extraordinaria & subsidiaria *damni infecti* peti posse. *L. 33. ff. h. t.* 2) Eam præstandam omnibus, quorum periculo res est, *L. 18. pr. ff. h. t. modo* 3) de calumnia jurarint. *L. 13. §. 3. ff.*

*h. t.*

*h. t.* 4) Cautionem exigi posse ab omnibus qui in re, unde damnum imminet, jus habent. *L. 13. §. 1. L. 19. pr. ff. h. t.* 5) Non tamen ei locum esse, si damnum metuatur ex vitio rei naturali, *L. 24. §. 2. seq. L. 43. ff. h. t.* nec 6) si damnum inde metuatur, quod alter in re sua suo jure utitur veluti puteum fodiendo. *L. 24. §. ult. L. 25. L. 26. ff. h. t.*

§. CIV.

Ex iisdem Edicti verbis discimus, 7) <sup>Qualis illa sit?</sup> cautionem hanc reum proprio nomine nulla repromissione, alieno satisfactione præstare. *L. 7. pr. L. 13. pr. §. 1. L. 15. §. 2. ff. h. t.* 2) Eam cautionem non in infinitum, sed in certum diem, a Prætoris finiendum \* concipi *L. 13. §. ult. L. 14. ff. h. t.* 3) Tempore illo elapso, iterum ex arbitratu Prætoris de integro esse cavendum. *L. 15. pr. eod.* 4) Cautionem hanc aliquando præstari sub exceptione, si controversia oriatur, an dominus sit. *L. 31. §. 1. L. 22. ff. h. t.* 5) Præstita cautione, factoque intra finitum tempus damno, competere actionem ex stipulatu ad id, quanti res est, si modice, æstimeretur. *L. 25. §. 1. L. 28. L. 39. §. ult. L. 40. ff. h. t.*

\* De eo tamen opere, quod in flumine publico ripave factum, satisfidandum erat in annos decem, idque tempus Prætor ipso edicto expresserat. *L. 15. §. 2. ff. h. t.*

§. CV.

Ex altera edicti parte (§. CII, 2.) ad- Immissio  
paret, 1) eum, cui non cavetur arbitratu Præ- ob cau-  
toris, immittendum esse in possessionem rei non præ-  
rui. sitam.

ruinosæ . L. 4. §. 1. L. 15. §. 11. ff. h. t. 2) Eam missionem tantum ex primo decreto fieri, & non dominium tribuere, nec dominum compossessione excludere. L. 15. §. 16. 20. 30. ff. h. t. 3) Si tamen in contumacia persistat reus, actorem post intervallum etiam mitti posse ex secundo decreto, ita ut respectu tertii statim fiat dominus ratione domini ipsius, dominium usucapione adquirat. L. 15. §. 16. L. 44. §. 1. ff. h. t.

## §. CVI.

Quid si quis in possessionem vel non amissus, vel admittus sit?

Tertia & postrema edicti parte (§. CII, 3.) docemur, 4) actione in factum conveniri eum, qui neque cavit, neque in possessionem missum admisit, ejusve heredem, in tantum, quantum præstari oporteret, si de ea re cautum fuisset. L. 15. §. ult. L. 16. L. 17. pr. §. 1. 2. ff. h. t. 5) In possessionem missum, si exactam a se cautionem non præstet, itidem pati debere, ut alius in compossessionem mittatur, L. 15. §. 15. ff. h. t.

## §. CVII.

Ususodiernus.

Hodie quamvis hujus cautionis usum aliquem esse posse, facile largiamur: eum tamen vere frequentari in foro, negant omnes, etiam qui alias jure Romano favent quam maxime. Vid. Huber. *Prælect. h. t.* §. 4. Nam in Germania mandatis pœnalibus domini adigi solent ad ædes ruinosas reficiendas. Alibi ædes ruinosas a magistratu cum onere reficiendi venditas esse, refert Ant. Mathzi *de Auctionib.* l. 5. 9. §. 1. 19. 60.

T I T. III.

De aqua & aqua pluvia arcenda.

§. CVIII.

**A**D damnum infectum, & ex opere jam perfecto imminens, pertinet etiam sequens Edictum, cujus duas partes fuisse, inscriptio tituli indicat. Altera de AQUA cautum fuisse videtur, 1) ne jus aquæ cuiquam concederetur, nisi consentientibus dominis. *L. 8. sequ. ff. h. t. 2)* Ne aqua ex flumine navigabili, *L. 10. §. ult. h. t. neque 3)* per viam publicam duceretur. *L. 18. ff. h. t. Huber. Prælect. ff. h. t. §. 1.*

Edictum  
de aqua.

§. CIX.

Altera edicti pars pertinet ad damnum, quod ob opus manu factum ab AQUA PLUVIA, (id est non aqua imbrī collecta, sed ea, quæ de cœlo venit, & loci vitio vel manu nocet, Cic. *Topic. cap. IX.*) metuitur. De eo enim promiserat Prætor, exemplo Decemvirorum, \* se aquæ pluvie arcendæ actionem daturum. *L. 1. pr. §. 1.2. ff. h. tit.*

Itemque  
de aqua  
pluvia.

\* Nimirum jam legibus XII. Tabularum ea de re cautum fuisse, ex *L. 21. pr. ff. de statu lib. & L. 22. §. ult. ff. h. t.* discimus. Legem in Tabula VIII. ita restituit Jac. Gothofredus: **SI AQUA PLUVIA MANU NOCET**, Prætor arcendæ aquæ arbitros

tros tres addicito, **NOXÆQUE DOMINO CAVETOR.** Add. *L. 5. ff. ne quid in loco publico*, & *Cic. Topic. Cap. IX.*

## §. CX.

Quando hæc actio datur ?

Quum ergo hæc actio datur ob opus manu factum : (§. CIX.) consequens est, 1) ut illa non pertineat ad casum, si aqua sine facto & sola natura noceat. *L. 1. §. 1. ff. h. t.* 2) Ut intelligatur tale opus, quod ita quis manu fecerit, ut aliter flueret aqua, quam natura solebat; aut ut citatior flueret, aut plane redundaret. *d. L. 1. §. 1. ff. h. t.* 3) Ut nec opus, agri colendi & fructuum causa; *L. 1. §. 3. sequ. h. t.* nec 4) publica auctoritate; *L. 2. §. 3. L. 23. ff. h. t.* nec 5) ante tempus immemorabile factum huc pertineat. *L. 2. pr. ff. h. t.*

## §. CXI.

Cuius contra quem ad quid ?

Deinde ex fine hujus actionis patet, 1) eam dari domino agri, cuius cuiusdam damnum imminet, *L. 1. §. 17. ff. h. t.* 2) contra eum, qui in suo opus fecit, *L. 3. §. 3. L. 4. §. 2. ff. h. t.* ejusque quemcumque successorem, *L. 12. ff. h. t.* 3) ad id, ut opus restituatur, & quidem, si dominus fecit, ejus impensis; si alius, impensis actoris; (*L. 6. §. 7. ff. h. t.*) nec non 4) ad damnum omne, post litem contestatam datum, resarciendum. *L. 9. §. 6. L. 11. §. 3. ff. h. t.*

\* Nam, si ædificio vel prædio urbano damnum imminet, prædii dominus habet actionem negatoriam, intenditque vicino jus non esse stillicidium vel Pumen immittendi. *L. 1. §. 17. ff. h. t.*

## §. CXII.

§. CXII.

Quare actio pluviz arcendæ est actio personalis, L. 6. §. 5. ff. h. t. in rem scripta, (§. CXI, 2.) competens domino agri, cui nocere aqua possit, (§. CXI, 1.) non ei, qui dominium in alium transtulit. L. 6. §. 4. ff. h. t. adversus dominum, qui in suo ædificavit, omnemque successorem, (§. CXI, 2.) ad id, ut opus restituatur, omneque damnum, post litem contestatam datum, reparciatur. (§. CXI, 3. 4.)

Actio  
hujus  
descri-  
ptio.

T I T. IV.

De Publicanis, & vectigalibus, & commissis.

§. CXIII.

**A**D damnum etiam pertinent publicano- rum exactiones, de quibus non modo sacri scriptores, Matth. XVIII, 17. Luc. III, 12. 14. sed & historici & leges nostræ conqueruntur. Tacit. Ann. XIII, 50. 51. L. 12. pr. ff. h. t. L. 9. ff. ad L. Rhod. de jact. \* Sunt autem publicani, qui publico fruuntur, dum publica vectigalia conducere. L. 1. §. 1. L. 12. §. 3. ff. h. t. L. 16. ff. de verb. signif. De iis ergo edixerat Prætor, si publicani, eorumve familia, vel alii eorum nomine, aliquid vi ademerint, aut si damnum injuria dederint, aut furtum fecerint, neque restituerint, se intra annum in duplum, post annum in simplum judicium daturum; item si, a quos ea res pertinet, non exhibeantur, se in

Publica-  
ni qui &  
de iis  
dictum.

170 *Pand. Lib. XXXIX. Tit. IV.*  
*dominos sine noxa deditioe iudicium daturum.*  
*L. 1. pr. L. 12. §. 1. ff. h. r.*

\* Jac. tamen Gothofredus in *ὑπομνήματι de Imperio maris Cap. IV. pag. 24. Συμμοίαι* hic non publicanos, sed servos publicos intelligendos monet. Poterant fortassis & hi *τελευταίον*, quamvis ipsa conductio fieret a lautissimis ac splendidissimis Equitibus Romanorum, quos tanquam praesidia atque ornamenta reip. passim laudat Cicero, veluti *pro lege Manil. Cap. VII.*

§. CXIV.

Actio ad-  
ve sus  
publica-  
nos.

Ex quo Edicto sequitur, 1) ut hæc actio detur adversus plures pro rata, & si qui non solvendo sint, adversus reliquos in solidum. *L. 6. ff. h. r.* 2) Ut non detur adversus heredes, nisi in quantum ad eos pervenit. *L. 4. pr. ff. h. r.* 3) Ut servi, qui tale quid fecerint, abscisse sint exhibendi, alias sine noxae deditioe in solidum conveniri possint domini. *L. 1. §. ult. L. 3. pr. ff. h. r.* 4) Ut dupli poenam evitare liceat reis, si ante litis contestationem ablatum restituant. *L. 1. §. 4. L. 5. ff. h. r.* 5) Ut præter hanc actionem rei poenæque persequutoriam (*L. 5. §. 1. ff. h. r.*) læso competant actiones vi bonorum raptorum, furti, legis Aquiliæ; *L. 1. §. 4. ff. h. r.* immo & extraordinaria persequutio ad vindictam atque animadversionem publicam. *L. 9. §. 5. ff. h. r.*

§. CXV.

Vestigialium de-  
bitio,

Quum vero vectigalia conducerent publicani; (§. CXIII.) per ea intelliguntur omnes

omnes redditus publici, ut portoria, decumæ, scriptura, Cic. *pr. L. Manil. cap. vi.* vicesimæ hereditatum, redditus salinarum, metallorum & innumeri alii. *L. 17. §. 1. de verb. signif. L. 13. L. 15. ff. h. t. V. C. Petr. Burmann. de Vectig. Pop. Rom.* Speciatim autem pensiones, pro vectis eVectisque mercibus solvendæ. *L. 3. L. 6. C. de vectigal.*

§. CXVI.

Quia ergo sunt redditus publici; (§. XCV.) per se patet, 1) esse ea a summis tantum Imperantibus indicenda. *L. 10. ff. h. t. 2.)* Aliis nova vectigalia constituentibus, merito exsilii poenam irrogari. *L. 10. ff. h. t. L. pen. L. ult. C. vect. nov. inf.*

Quis ea indicat?

§. CXVII.

Ex eodem inferimus, 3) perinde esse, five ea per quæstores exigere malint Imperantes, five vetere instituto ea aliis locare. *L. 203. ff. de verb. sign. 4)* Ea conducere posse omnes, etiam mulieres, *L. 47. ff. de jur. fisci. quin & filios familias: L. 3. §. 1. ff. ad SC. Maced. Celeb. Huber. Pral. h. t. §. 7.* non autem magistratus, *L. un. C. quib. ad cond. prad. fisci. Clerici, Nov. CXXIII. cap. 6.* milites, *L. 31. L. ult. C. loc. cond. tutores & curatores nondum redditis rationibus. L. un. C. ne tut. vel cur. vectig. cond. minores, L. 45. §. ult. ff. de jur. fisci. reliquatores & debitores reip. vel fisci. L. 9. §. 2. 3. ff. h. t.*

Quis ea conducere possit?

§. CXVIII.

Qui vectigalia pendere debeant, quique immunes, quæque res eo onere exemptæ sint, denique quantum præstari e mercibus oportet,

Quomodo conducantur?

teat, \* summi Imperantis: est statuere, neque cum ea in re obligant leges Romanæ. Id tamen receptum, ut locatio fiat proposito Edicto, *L. 3. C. de loc. prad. civ. & vectigalia* iis addicantur, qui plurimum licitando obtulerunt, *L. 4. C. de vectig.* quive ad idoneam cautionem præstandam parari sunt. *L. 1. C. de locat. prad. civ.*

\* Apud Romanos *immunes* erant fiscus, *L. 9. §. ult. ff. h. t. navicularii* suas merces vehentes, *L. 6. C. de vect.* legati exterarum gentium, merces ex solo Romano in patriam deferentes. *L. 8. C. de vectig.* professores & studiosi. *L. 6. L. 11. C. de Prof. & med. Auth. habita C. ne fil. pro patre.* Deinde merces, unde vectigalia non solvebantur, itidem erant variæ, veluti, quæ victus & amictus sui & familiæ causa inferebantur, *L. 5. C. de vectig.* quæ ad usum Præsidis, exercitusve advehebantur. *L. 4. §. 1. L. 9. §. 8. ff. h. t. res ad agriculturam pertinentes. L. 5. C. de vectig.* Denique *quantitas* vectigalium apud Romanos erat ordinarie octava pars mercium. *L. 7. C. de vect. L. 2. C. de eunuch.* Unde *octavaris* *L. 8. C. de vectig.* de quibus vid. Bræchæus ad *L. 17. §. 1. ff. de verb. sign.*

## §. CXIX.

Quid cõ-  
missum ?

Si quis merces, quas vehit, non profiteretur, & sic publicanos defraudat, omnia una cum navi vel vehiculo in commissum cadunt, & a fisco occupantur. *L. 11. §. 2. L. 14. ff. h. t. L. 3. C. de navit. fact.* *L. 11.*

*C. de*

C. de vectig. Unde COMMISSA sunt, quæcumque oh dolum vectoris & omittam professionem a fisco vindicantur. L. 14. ff. h. tit.

§. CXX.

Ex qua definitione patet, 1) requiri Quando dolum malum. L. 8. L. 11. §. 2. ff. h. t. ad res in commifsum ca- adeoque 2) errorem justum & non adfecta- dant? tum merito eatenus excusare, ut dupli solutione errans defungi possit. L. 16. §. 10. ff. h. t. 3) Ob eandem causam merito excusari pupillos, intra 30. dies vectigal solventes, L. 7. §. 1. ff. h. t. minores hæctenus ut ex justa causa restituantur, L. 16. §. 9. h. tit. L. 9. §. pen. ff. de min. milites. L. 3. C. de vectig. professos, sed, indulgente publicano, non solventes. L. ult. §. 12. ff. h. t. 4) Multo magis absolvendos, qui ob necessitatem adversæ tempestatis merces exposuere. L. ult. §. 8. ff. h. t.

§. CXXI.

Ex eadem definitione patet, 5) in com- Quæ res missum cadere res tantum vectoris, non alienas, L. 8. §. 1. L. 11. §. 2. L. 14. ff. h. t. adeoque, 6) socio uno merces celante, ejus tantum portionem committi. d. L. 8. §. 2. ff. h. t.

§. CXXII.

Denique ex ea inferimus: 7) fisco vel publicanis dari rei vindicationem, adversus Quæ a- omnes rerum commissarum possessores, (L. 14. ff. h. t.) ut res istæ cum accessionibus fisco tionem a fisco per- tradantur. Ex quo simul patet, 8) re sine do- tantur? lo possessoris peremta, cessare hanc actionem.

*L. 2. C. de veltig.* Id vero singulz est, 9) quod eadem quinquennio expiret. *L. 2. C. de veltig.*

## T I T. V.

*De donationibus.*

## §. CXXIII.

Donatio  
quid?

**U**Ltimos libri titulos occupat tractatus de DONATIONIBUS. (§. XCIII.) DONATIO autem est liberalitas, in accipientem, nullo jure cogente, collata. *L. 15. §. 2. L. 29. pr. ff. h. t.* Unde quomodo a legatis & fideicommissis differant donationes, facile patet.

## §. CXXIV.

Donatio  
inter vi-  
vos, &  
mortis  
caussa?  
& de iis  
axioma-  
ta.

Quemadmodum vero vel sine respectu ad casum mortis, vel propter mortis suspicionem donamus: ita donatio prior INTER VIVOS; posterior MORTIS CAUSA fieri dicitur. *L. 2. seq. ff. de mort. caus. don. I.* Illa est pactum legitimum, & statim traditione transfert dominium: II. Hæc inter pactum & ultimam voluntatem quodammodo fluctuat.

## §. CXXV.

Vel sim-  
plex vel  
relata.

Deinde donatio vel ex mera fit liberalitate, vel sub modo. Illam doctores SIMPLICEM; hanc RELATAM vocant, eoque referunt dotis dationem, donationem propter nuptias, donationem remuneratorem, & quæcumque ad certum finem sunt. *L. 1. pr. §. 1. ff. h. t.*

## §. CXXVI.

## §. CXXVI.

Quum itaque donatio inter vivos sit pactum legitimum; (§. CXXIV, 1.) sequitur, 1) ut solo consensu utriusque perficiatur, §. 2. *Inst. h. t. L. 19. §. 2. ff. h. t.* adeoque 2) nihil hodie intersit, siue traditio intercedat, *L. 1. pr. L. 6. ff. h. t.* siue stipulatio, *L. 33. ff. h. t.* siue nudum pactum etiam tacitum, modo probari possit, vere factam esse donationem. *L. 25. ff. de prob. L. 7. pr. ff. h. t.*

Donatio inter vivos quomodo fiat?

## §. CXXVII.

Ex eodem patet, 3) donationes ab omnibus fieri posse, qui possunt pacisci, ac dominium rerum suarum transferre, §. 40. *Inst. de rer. divis.* ac proinde facile reddi posse rationem, 4) cur non valeant donationes inter patrem & filium, (P. I. §. CCCLXIX, 1.) *L. 1. §. 2. ff. pro don. nisi vel filio in castra eunti donetur, L. 4. C. fam. eru.* vel donatio patris morte confirmetur. *L. 25. C. de don. inter vir. & ux.* Cur 5) nec raræ sint donationes conjugum. (P. IV. §. CCXVII, 1.) 6) Cur nec filiis familias, nisi permittente patre, vel ex peculio castrensi, quasi castrensi ac adventitio extraordinario, donare liceat. *L. 7. pr. §. 1. 2. 3. L. 7. §. 1. ult. ff. h. t. Nov. CXVII. cap. 1. §. 1. 7)* Cur denique non donent tutores, curatores, procuratores, *L. 22. L. 46. §. ult. ff. L. 16. C. de adm. tut.* nec 8) perduellionis rei, *L. 31. §. ult. ff. h. t.* nec 9) olim capitis damnati. (*Inst. §. LXXXIII. \* 4.) L. 15. ff. h. t.*

Qui possunt donare?

## §. CXXVIII.

Quumque de dominio transferendo hic Quasres?

agatur; (§. CXXIV.) consequens est, 1) ut donari possint res omnes, quæ sunt in commercio, 2) etiam alienæ, eateus, ut ufucapi possint, *L. 9. §. ult. L. 18. §. ult. ff. h. tit.* 3) etiam bona omnia præsentia & futura, *L. 35. §. 4. C. h. t.* modo non sit inofficiosa donatio, quam liberi in legitima læsi merito querela inofficiosa donationis rescindunt. *L. 5. L. 7. C. de inoff. donat.*

## §. CXXIX.

Insinuatio donationis.

Quamvis autem hæc dubio careant: tamen quia donatio est liberalitas, (§. CXXIII.) eaque aliquando degenerat in profusionem, cui ratio non constat: *L. 27. C. h. t. prudenter cautum*, ut quod ultra D. solidos donatum, non valeat, nisi actis intervenientibus facta sit insinuatio. \* *L. 36. §. ult. C. h. t.*

\* Ex sine tamen hujus constitutionis facile reddideris rationem, cur insinuationem non requirant donationes a Principe, vel Principi factæ, vel quæ pro redemptione captivorum, vel restitutione ædium, incendio vel ruina consumptarum, factæ, *L. 34. L. 36. pr. §. 1. 2. C. h. t. nec non dos, L. ult. C. de jure dot. & donatio rerum mobilium militi facta. L. 36. §. 1. C. ff. h. t.* Addit Gail Obs. II. 39. donationes jurejurando confirmatas: sed ex falso juris canonici principio, quod supra profligavimus. (P. III. §. XVI, 5.)

## §. CXXX.

Ejus facta.

Quandoquidem ergo donatio est pactum legitimum, & dominium traditione demum transfertur; (§. CXXIV, 1.) consequens est, 1)

ut a Justiniano perperam referatur ad modos acquirendi civiles.\* (*pr. Inst. ff. h. t. 2*) Ut prout vel stipulatio accessit, vel non accessit, aut condictio ex stipulatu, *pr. Inst. de verb. obl.* aut condictio ex lege 35. C. *de donat.* (P. I. §. CCCLV. \*) possit institui, salvo tamen donatori beneficio competentiæ, L. 12. L. 33. *pr. ff. h. t.* & salva creditoribus prærogativa. L. 12. *ff. h. t.* L. 19. §. 1. L. 49. *seq. ff. de re jud.*

\* Perperam, inquam, Justinianus: at recte Cajus, quem is sequutus est. Tempore Caji non poterat a traditione sejungi donatio, ac proinde vere erat modus acquirendi. Monuimus id in *Addit. ad Vinn. pr. Inst. h. t.* Sed rem omnem luculenter exposuit Illustris Acad. Hal. Cancellarius Jo Petr. a Ludewig, collega olim, quem honoris causa nomino, conjunctissimus, in *Dissertatione de donatione & barbaro ejus adnexu, acceptatione.* Quam una cum aliis ob elegantiam in hoc Belgio nostro recusum iri speramus.

### §. CXXXI.

Denique cum donatione dominium valide transferatur: inferendum inde, revocari non posse donationem semel rite factam. L. 3. 4. 5. C. *h. t.* Ex æquitate tamen revocationem concedunt leges 1) ob insignem ingrati- tudinem donatarii, veluti si ab eo verbera, infidias, damnum, injuriam, perfidiam passus sit donator, §. 2. *Inst. ff. h. t. L. ult. C. de rev. don.* (quo casu tamen non heres, sed ipse donator jus revocandi habet, L. 7.

Quando revocari possit.

*E. ult. C. cod. 2*) ob supervenientiam liberorum. *L. 3. C. de rer. donat.* Quam causam, ad solas patronorum donationes pertinentem ad alios proferre solent doctores. Tiraquell. *ad h. l. 8. C. de revoc. don.* Add. Merill. *Obs. II, 34. 3*) ob legitimam liberis deminutam. (§. CXXVIII. 3.)

T I T. VI.

*De mortis causa donationibus & capionibus.*

§. CXXXII.

Quid donatio mortis causa?

**H**Æc de donatione inter vivos : sequitur MORTIS CAUSSA DONATIO, quam propter mortis suspicionem fieri diximus; (§. CXXIV.) sive quis sola cogitatione mortalitatis donet, sive periculo motus ita donet, ut tunc demum res ejus fiat, si mors fuerit insequuta : qualis est donatio Telemachi apud Homer. *Odysf. P. v. 77. sequ.* Nam tertia species, qua quis imminente periculo commotus ita donat, ut statim irrevocabiliter fiat accipientis, quamque ad donationes mortis causa referri videmus in *L. 1. L. 13. §. 1. L. 35. §. 4. ff. h. t.* magis est donatio morientis, quam mortis causa. *L. 42. §. 1. ff. h. t.*

§. CXXXIII.

Conventio eius cum pactis. 2

Quum ergo donatio mortis causa inter pacta & ultimas voluntates veluti fluctuet; (§. CXXIV, 2.) cum pactis id commune habet, 1) quod a præsentem in præsentem & acceptantem, non etiam in ignorantem conver-

tatur,

tatur, L. 38. ff. h. t. 2) Quod subsistat, licet adita non sit hereditas. arg. L. 25. L. 32. ff. h. t. 3) Quod, permittente patre, & a filio familias fieri possit. L. 25. §. 1. ff. h. t.

§. CXXXIV.

Contra plurima communia habet cum legatis, ad quorum exemplum fere per omnia redacta est. L. 15. L. 17. L. 35. L. 37. pr. ff. h. t. Ex quo consequitur, 1) ut non indigeat insinuatione. L. ult. C. h. t. 2) Ut dominium transferat sine traditione, sed revocabile, quoad donator vivit. L. 20. L. 30. ff. h. t. §. 1. Inst. h. t. L. 2. ff. de Publ. in rem act. 3) Ut non nisi quinque adhibitis testibus fieri possit. L. ult. §. ult. C. de codic. 4) Ut in ea locus sit substitutioni, L. 10. ff. L. 1. C. h. t. cautioni Mucianæ, Nov. XXII. cap. 44. juri adcrefcendi, L. un. §. 14. C. de caduc. coll. immo & quartæ Falcidiz. L. 2. C. h. t.

Cum ultimis voluntatibus.

§. CXXXV.

Ex quo etiam non obscurum est, quomodo a mortis causa donatione differat **MORTIS CAUSSA CAPIO**, quæ est acquisitio etiam propter mortem alterius obveniens, e. g. si quid alicui alienæ mortis causa donatum. L. 8. L. 11. L. 18. pr. L. 31. pr. L. 38. h. t. Unde nasci posse actionem in factum colligimus ex L. 3. §. ult. ff. de cond. caus. dat. caus. non sequ.

Mortis causa capio.

## L I B E R XL.

## T I T. I.

## De Manumissionibus.

## §. CXXXVI.

De ma-  
numis-  
sionibus  
brevissi-  
me ager-  
dam.

**T**Otus liber XL. Pandectarum in causis præjudicialibus, ac potissimum in doctrina de manumissionibus & juribus libertinorum versatur. Quorum omnium quum hodie nullus sit usus, & historicam harum rerum enarrationem jam in Institutionibus (*Inst. §. XCIII. seqq.*) habeas: fas erit, paucis hic lectorem ad elementa illa nostra remittere.

## § CXXXVII.

Quid  
manu-  
missio?

Servi Romanis erant res. (P.I. §. CXXXIII, 1.) Quemadmodum itaque unusquisque rerum suarum dominio abdicare potest: ita & domino licebat servum suum manumittere. Itaque MANUMISSIO est *de manu*, id est, potestate, *datio*, *pr. Inst. de libert.*

## §. CXXXVIII.

Quoer-  
plus?

Illam manumissio olim fiebat tantum *sollemniter*, CENSU, VINDICTA, TESTAMENTO. Cic. *Topic. cap. II.* Ulpian. *Fragm. J. (Inst. §. XCV, XCVII. sequ.)* Postea Constantinus loco manumissionis *per censum* adinvenit manumissionem in SACROSANCTISECCLESIIIS. (§. *Inst. §. XCV. XCVIII.*) Quin & reperti multi modi manumittendi *non sollemnes*, per EPISTOLAM, inter AMICOS, per CONVIVIUM, per NO-

MINATIONEM FILII, alique complures.  
(Inst. §. XCVI. CI. sequ.)

T I T. II.

De manumissis vindicta.

§. CXXXIX.

**P**er antiquus modus manumittendi, qui fiebat per VINDICTAM, Liv. II, 5. erat actio legis, (P. I. §. XXXIV.) qua servus a domino circumactus & alapam passus enunciatis verbis sollempnibus, a lictore virga percutiebatur, & sic liber abibat. (Inst. §. C. Antiq. nostr. Rom. I, 5, 4. seq. p. 101.)

Manumissionis per vindictam rursus.

§. CXL.

Quum ergo cesset actio legis: (§ CXXXIX.) consequens erat, 1) ut fieri posset apud magistratum, apud quem erat legis actio, veluti Cofs. Prætorem, Procos. & legatum Aug. pro Cofs. aliosque. L. 2. pr. de offic. procos. 2) Ut non opus esset tribunali, sed recte manumitteretur servus, quando magistratus in balneum, vel gestandi aut ludorum gratia prodibat. L. 7. ff. h. t. §. 1. Inst. de libertin.

Coram quibus & quomodo ita manumissum est

T I T. III.

De manumissionibus, quae servis, ad universitatem pertinentibus, imponuntur.

§. CXLI.

**E**X eodem axiomate, quod manumissio per vindictam esset actio legis, (§. CXXXIX.)

Universitas servus

seque-

vos per  
syndicū  
manu  
mittebāt.

sequebatur, (P. I. §. XXXV, 3.) ut manumitti non posset per procuratorem, L. 3. C. de vind. Universitatibus tamen & collegiis id indulgebatur, ut manumitterent per Syndicos. L. 1. ff. b. t. L. 3. C. de serv. reip.

## T I T. IV.

*De manumissis testamento.*

## §. CXLVII.

Manu-  
missio  
per testa-  
mentum.

**Q**uia paterfamilias poterat legare super pecunia tutelave suæ rei, (P. V. §. II. \*) & servus erat inter res domini; (P. I. §. CXXXIII, 1.) consequens erat, ut servus TESTAMENTO manumitti & libertatem consequi posset, modo 1) is tempore scripti testamenti & mortis testatoris in ejus dominio fuisset. L. 35. ff. L. 2. C. b. t. & 1) testamentum valeret, ex eoque heres existeret, \* L. 23. pr. ff. L. 2. C. b. t. et si vel unus adfuerit, L. 1. §. 8. ff. si is, qui test. lib.

\* Si heres in fraudem libertatum, omissa causa testamenti, ab intestato possidere hereditatem mallet, libertas nihilominus compete-  
tebat L. 23. pr. ff. L. 12. C. b. t. Immo aliquando ipsi manumisso bona libertatum servandarum causa addicebantur. (Inst. §. DCCXXXII. seq.)

## §. CXLIII.

Quom-  
plex?

Testamento manumittebatur vel directe, si ipse testator liberum esse jubebat servum: vel per modum fideicommissi, si heredi id negotium daret. §. 2. Inst. de sing. reb. per fid. rel. Ulp. Fragm. II, 7.

T I T. V.

De fideicommissariis libertatibus.

§. CXLIV.

**Q**UUM ergo testator vel libertatem directo daret, vel heredis fieri id committeret; (§. CXLIII.) consequens erat, 1) ut priore casu libertinus nullum patronum haberet, atque inde *Orcinus* diceretur: §. 2. *Inst. de sing. reb. per fideic. rel.* posteriore manumissus heredi jura patronatus deberet, (*Inst.* §. CXII, 1.) exceptis operis, nisi heres esset testatoris filius. *L. 5. C. de op. lib. L. 33. ff. h. t.* 2) Ut fideicommissio & servus testatoris, & heredis, & legatarii, & cujuslibet extranei manumitti possit. *d. §. 2. Inst. de sing. reb. per fid. rel.*

Fideicommissaria libertas.

T I T. VI.

De ademptione libertatis.

§. CXLV.

**I**N eo quoque similis est hęc manumissio testamentaria reliquis ultimis voluntatibus, 1) quod semel data testamento vel codicillis adimi possit. *L. un. ff. h. t.* 2) Quod aliquando tanquam indigno adimitur, si hic in fraudem *L. Papię* tacitam fidem testatori accommodarit. (*P. V. §. CXCVIII, 7.*) *L. un. ff. h. t.*

Ademptio libertatis.

## T I T. VII.

*De statu liberis.*

## §. CXLVI.

Statu liberorum  
conditio.

**Q**uemadmodum vero legatum æque ac fideicommissum vel pure, vel sub conditione, vel in diem relinqui poterat; (P.V. §. CII.) ita & libertas. Si qui ergo statutam & destinatam in tempus vel conditionem libertatem habebant, ii dicebantur **STATU LIBERI**. *L. 1. pr. ff. h. t.* Quamvis itaque vere servi essent, *L. 9. pr. L. 29. pr. ff. h. t.* ob spem tamen libertatis in quæstionibus & pœnis paullo benignius habebantur. *L. 14. ff. de quasi. L. 9. §. ult. ff. de pœn. (Inst. §. LXXXIV.)*

## T I T. VIII.

*Qui sine manumissione ad libertatem perveniunt.*

## §. CXLVII.

Qui ipso  
jure fiant  
liberi?

**U**nusquisque quidem rerum suarum dominio se potest abdicare; (§. CXXXVII.) sed non eodem privari invitus, nisi in pœnam, vel ex lege, vel ob pactum antecedens. Inde & servi quidam ipso jure libertatem consequiebantur, puta 1) ea lege venditi, donati, ut manumitterentur. *L. 1. L. 3. L. pen. L. ult. ff. h. t.* 2) Prostituti contra conditionem venditioni adjectam; *L. 6. §. 1. ff. h. t.* 3) Qui domini necem detexerunt, *L. 5. ff. h. t.*

Qui & a quibus manumissi. Pars VI. 185  
 ff. h. r. vel 4) facinorosos detulerint. L. 1.  
 2. 3. 4. C. pro quib. causis. serv. pro pram. libert.  
 accip. 5) Ob gravem infirmitatem a dominis  
 expositi. L. 2. ff. h. r.

## T I T. IX.

Qui & a quibus manumissi liberi non fiunt,  
 & ad Legem Æliam Sentiam.

### §. CXLVIII.

**E**rant casus, quibus manumissi liberi non fierent, veluti 1) oppignorati, L. 4. L. 26. L. 27. §. 1. ff. h. r. 2) manumitti prohibiti. L. 9. §. 2. ff. h. r. 3) Qui relegati in urbe hæserunt. L. 2. ff. h. r. 4) Qui domino libertatem vi extorserunt. L. 9. pr. ff. h. r. 5) Manumissi intra sexagesimum diem a muliere, cum dies dicta ob adulterium. L. 12. pr. §. 1. seq. L. 13. L. 14. pr. §. 1. ff. h. r.

Qui manumissi liberi non fiunt

### §. CXLIX.

Præcipue tamen libertatibus impedimentum excitabat lex ÆLIA SENTIA, (Inst. §. CVI.) dum 1) manumissiones in fraudem creditorum nullas esse jubebat; (Inst. §. CXVI. seqq.) 2) dum minores viginti annis vetuit manumittere, nisi vindicta, ad consilium, & ex justa causa. (Inst. §. CXX. seq.) Alia hujus legis capita explicavimus in Comment. nostro ad L. Jul. & Papiam passim.

Lex Ælia Sentia.

### §. CL.

Nec minus inimica manumissionibus erat lex FUSIA CANINIA. (Inst. §. CXXIII. seq.) Sed uti hanc sustulit Justinianus: §. un. Inst. h. r. ita & posteriori capiti legis Æliæ

Fusia Caninia. Utrique derogavit Justinianus.

Sen-

Sentia eatenus derogavit, ut unicuique, qui modo XVII. annorum esset, liceret libere manumittere. (*Inst. §. CXXII.*) *§. ult. Inst. qui & ex quib. causis man. non poss.*

## T I T. X.

*De jure aureorum annulorum.*

## §. CLI.

Jus aureorum annulorum.

**M** Anumissi erant libertinae conditionis. Ad ingenuitatem tamen adspirabant, partim consequuti JUS AUREORUM ANNULORUM, \* quod a Principe impetrabant consentiente patrono; *L. 3. ff. b. t.* partim RESTITUTIONE NATALIUM.

\* *Jus aureorum annulorum* primo habebant Legati ad exteris gentes missi, deinde Senatores, postea Equites Romani & Tribuni. Hinc porro ad plebeios hoc jus beneficio Principum porrectum: denique etiam ad libertinos. *Ferreis* annulis promiscue omnes utebantur. *Annuli argentei*, ab Exsenatore gestati, meminit *Plin. Hist. nat. XXXIII, 12.* Rem omnem luculenter exposuere *Lips. Elef. II. 8.* & *Kirchmann. de Annul. cap. XV. seq.* Ex quibus patet male vulgo ex *Isidori. Orig. XIX, 32.* colligi, *liberos* usos annulis aureis, *libertinos* argenteis, *servos* ferreis.

T I T. XI.

De natalibus restituendis .

§. CLII.

**E** Rat autem RESTITUTIO NATALIUM beneficium Principis, quo ita ingenui fiebant libertini, ac si nunquam in iusta servitute fuissent. L. 2. L. 3. ff. h. t. Unde & *παλληγορευσιαν* vocat Justinianus. Differabant tamen jus aureorum annulorum & natalium restitutio, quod illud salvo jure patronatus concederetur; L. pen. L. ult. ff. L. 2. C. de jur. aur. ann. contra hæc & ipsa jura patronatus tolleret. L. 2. L. 3. L. ult. ff. h. t.

Restitutio natalium .

§. CLIII.

Sed jus aureorum annulorum ipsamque restitutionem natalium mira liberalitate libertinis omnibus dedit Justinianus, salvo licet jure patronatus. Nov. LXXXVIII. cap. 1. 2.

Jus novum .

T I T. XII.

De liberali causa .

§. CLIV.

**S**æpe de statu nascebantur quæstiones vel actiones præjudiciales. Quoties itaque quærebatur liber quis esset antervus? vocabatur id LIBERALIS CAUSSA, vel *judicium liberale*. L. 24. §. 3. ff. h. t. Quamvis vero multa in favorem libertatis statuissent Romani, veluti 1) ut hæc actio sit perpetua, L. ult. C. de long. temp. præscr. qua pro lib. 2) utque statim ad supremos judices devolve-

Liberali causa quid



veretur: *L. ult. C. ubi caus. stat.* difficilior  
rem tamen illam reddebat ADSERTIO.

## §. CLV.

Adsertio  
sublata.

Quum enim servus non haberet personam  
standi in iudicio, ( *P. I. §. CCXCVI, 4.* ) &  
conditio hominis, ad libertatem proclamantis,  
adhuc incerta esset: constitutum erat,  
1) ut pro eo ADSERTOR ageret, veluti  
pater, cognatus, vel quilibet extraneus,  
*L. un. C. de a/sert. toll.* 2) Ut parentes, liberi  
& cognati, aliquem liberali causa manu  
adserturi, etiam invito eo, qui in servitute  
erat, audirentur. *L. 1. seq. ff. h. t.* Sed Justinianus  
adsertione sublata iis, qui ex libertate  
in servitutem vocantur, arbitrium dedit, an  
per se an per alios causam agere malint: ad  
libertatem autem proclamantes ipsos causam  
agere iussit. *L. un. C. de a/sert. toll.*

## T I T. XIII.

*Quibus ad libertatem proclamare  
non licet.*

## §. CLVI.

Qui se  
proci  
participandi  
caussa  
venundandi  
passi

**N**emo se olim poterat in servitutem ad-  
dicere. Addicto vero proclamare li-  
cebat ad libertatem. Hinc miræ fraudes,  
multis se pretii participandi causa venunda-  
ri patientibus. Exemplum est apud Plaut.  
*Pers. III, 1. v. 15. IV, 3. v. 9.* Sed postea SC.  
cautum, ut si major XX. annis huiusmodi quid  
fecisset, ei ad libertatem proclamare haud  
liceret. *L. 1. L. 3. ff. h. t. L. 7. pr. §. 1. de lib. caus.*  
( *Inst. §. LXXXIII.* )

T I T. XIV.

*Si ingenuus esse dicetur.*

§. CLVII.

**U**TI præjudicialis actio dabatur de causa liberali; (§. CLV.) ita & , si quis ex libertina conditione ingenuitati se adsereret, vel, qui ingenuum se ferebat, a patrono libertus esse diceretur. *L. ult. ff. h. t.* Priori actioni olim quinquennium præfinitum erat a die manumissionis computandum. *L. 2. §. 1. 2. L. 4. ff. h. t.* Sed eam perpetuam esse jussit Justinianus in *L. ult. C. ubi caus. stat.*

Actio præjudicialis de ingenuitate & libertinitate.

T I T. XV.

*Ne de statu defunctorum post quinquennium quaratur.*

§. CLVIII.

**I**N hujusmodi actionibus præjudicialibus aut in deteriorem conditionem alicujus status retractabatur, aut in meliorem se quis vindicare conabatur. Hanc operam & defuncto unusquisque præstare poterat quocumque tempore. *L. 1. §. ult. L. 3. ff. h. t.* Priore casu ne fisco quidem, nedum privato, de statu defuncti agere licebat. *L. 1. pr. ff. h. t.*

Quocumque tempore post quinquennium de statu defunctorum quaratur vel non?

## T I T. XVI.

*De collusione detegenda.*

## §. CLIX.

**C**OLLUSIO dicebatur prævaricatio ejus, qui ita cum servo aut liberto simulate contenderat, ut pro libero ingenuove absolveretur. Quo ipso cum aliquando amplissimus ordo inquinaretur: S<sup>C</sup>to sub Domitiano cautum est, ut qui collusionem detexisset, ac probasset, ei iste homo, si servus esset, addiceretur. *L. 1. ff. h. t.* Cui delationi Marcus Imp. quinquennium continuum a die, quo lata fuerat sententia, præfinivit. *L. 2. pr. §. 1. 3. ff. h. t.*

Collusionem detegentis præmiū.

## L I B E R X L I.

## T I T. I.

*De acquirendo rerum dominio.*

## §. CLX.

**L**ibrum hunc quadragesimum primum, & aliquot sequentes, Digestores destinarunt DOMINIO & POSSESSIONI. Et hoc quidem primo *de acquirendo rerum dominio*, quem satis accurate alibi dedimus enucleatum. (*Inst. §. CCCXXXI. sequ.*)

Connectio.

## §. CLXI.

DOMINIUM est jus in re corporali, (P. II. §. LXXVIII.) ex quo facultas de ea disponendi, eamque vindicandi nascitur, nisi vel

Domini-  
um quid,  
& quo-  
tuplex?

vel lex, vel conventio, vel testatoris voluntas obsistat. (*Inst. §. CCCXXXV.*) *L. 21. C. mand. L. ult. C. de reb. alien.* Ubi illa facultas disponendi & vindicandi in una persona ita conjuncta est, ut ea utraque in solidum uti possit, dominium hoc vocatur **PLENUM**; ubi ita divisa inter duas, ut altera omnem utilitatem cum jure vindicandi; altera aliquid ex disponendi facultate habeat; **MINUS PLENUM**, \* idque hinc in **UTILE & DIRECTUM** dispescitur. (*Inst. §. CCCXXXVII.*)

\* Tale dominium divisum animadvertimus in **FEUDO**, **EMPHYTEUSI**, **SUPERFICIE**, quamvis alii, peroffi vocabulum a doctoribus inventum, has species ad usumfructum, & quidvis aliud potius, quam dominium utile, referre malint. Nos in verbis sumus faciles.

### §. CLXII.

**Dominia rerum cujuscunque generis**, Ejus  
causae. quum non natura, sed a gentibus distincta sint, *L. 5. ff. de inst. & jur.* debent suas causas habere. *Ex causa vel proxima sunt, vel remota.* *Remota* tantum **TITULUM & jus ad rem**; \* *proxima* ipsum **DOMINIUM & jus in re** tribuunt, & hinc **MODI ADQUIRENDI** vocantur. (*Inst. §. CCCXXXIX.*)

\* Hinc est, quod in acquisitione *derivativa*, praeter titulum ad transferendum dominium habilem requiritur **TRADITIO**. *L. 20. C. de pact.* Quod quamvis ex jure naturali non possit demonstrari: *Grot. de I. B. & P. II, 6, 1. 2.* jure tamen civili expetitur est.

Citra

Citra traditionem tamen vel dominium vel aliud jus in re acquiritur I. per *pactum hypothecæ*, (P. IV. §. II, 2.) L. 1. pr. ff. de *pign. act.* II. per *ultimas voluntates* (P. V. §. CCXXXI, 2.) L. ult. ff. de *serv. leg.* L. 10. §. 1. ff. *quemadm. serv.* III. per *adjudicationem* in tribus judiciis divisiis. (Inst. §. CCCXXXIX. \*\*) §. ult. Inst. de *offic. jud.* IV. per *promissionem servitutum negativarum*, quæ sui natura nec traditionem nec quasi traditionem admittunt. (P. II. §. CLVIII, 2.)

## §. CLXIII.

Modi acquirendi vel naturales vel civiles.

*Tituli* qui sint ad transferendum dominium habiles, mox videbimus. (Tit. IV. sequ.) Jam de MODIS ADQUIRENDI videndum. Hi prout aut ipso *jure gentium*, aut *jure civili* introducti sunt, ita vel NATURALES, vel CIVILES adpellantur. §. 12. Inst. de *rer. divis.*

## §. CLXIV.

Naturales vel originarii vel derivativi.

NATURALIBUS dominium vel primum adquirimus, quum antehac res in nullius fuerit dominio; vel illud ab alio in nos transfertur. Priores acquirendi modos ORIGINALIOS; posteriores DERIVATIVOS vocat Grot. de I. B. & P. II, 3, 1. Originariis vel SIMPLICITER ipsam rei substantiam, vel SECUNDUM QUID ejus accessiones atque incrementa nanciscimur. Puffendorff. de I. N. & G. IV, 6, 1.

## §. CLXV.

Et hinc naturales sunt occupatio,

Si *simpliciter* ipsam rei substantiam, in nullius antea dominio constitutam, adquirimus, dicitur OCCUPATIO; si *secundum quid*

quid, quæ rei accedunt, nostra facimus, AC-  
CESSIONE; denique ubi dominium ab alio  
in nos transfertur, TRADITIO, qui sunt  
tres illi modi acquirendi naturales, ad quos  
reliqui omnes commode referuntur.

pati, ac-  
cessio, &  
traditio.

§. CLXVI.

OCCUPATIO ergo est adprehensio re-  
rum corporalium nullius, \* cum animo sibi  
habendi. L. 3. pr. ff. h. t. Ex qua definitione  
fluunt axiomata: I. Quæ nullius sunt, ce-  
dunt occupanti. L. 3. pr. ff. h. t. II. Occupa-  
tio fit animo actuque corporali simul. III.  
Quæ adprehendi custodiaque coerceri ne-  
queunt, ea nec occupari possunt. L. 3. §.  
2. ff. h. t.

Occupatio quid?  
& de ea  
axiomata.

\* Res nullius autem sunt, quæ vel nunquam fue-  
re in dominio §. 12. 22. Inst. de rer. divis. vel  
pro derelictis habitæ; eoque animo abjectæ  
sunt, ut eas dominus in numero rerum  
suarum amplius habere nolit. §. 46. Inst.  
eod. L. 1. L. 2. §. 1. L. 5. §. 1. ff. pro de-  
relict.

§. CLXVII.

Quandoquidem ergo OCCUPATIO  
pertinet ad res nullius, (§. CLXVI.) res  
nullius autem habebantur non modo feræ  
bestiæ, & res aliæ a nemine adhuc occupa-  
tæ, verum etiam personæ, & res hostium: \*  
facile patet, tres esse occupationis species, VE-  
NATIONEM, OCCUPATIONEM BEL-  
LICAM, & INVENTIONEM.

Ejus spec-  
cies.



\* Vid. L. 1. §. 1. ff. de acqu. vel amitt. Possess.  
Eleganter Pufendorff. de l. N. & G. IV, 6,  
Hein. Pand. T. II. I 14. scri-

14. scribit: Sciendum est, per statum hostilem, uti cetera jura pacifica, ita & effectum dominii abrumpi haecenus, ut non amplius quis teneatur ab istis rebus manus abstinere, nisi qua humanitas suaserit. In bello ergo res hostium in ordine ad alium hostem redduntur veluti domino vacuae: non quod hostes per bellum ipso jure rerum suarum domini esse desinant, sed quia illorum dominium non obstat hosti, quominus eas res auferre sibi que habere possit, Prosus uti ad rei vacuae dominum sola adprehensio sufficit.

## §. CLXVIII.

Vena io  
quid?

VENATIO est occupatio ferarum bestiarum. L. 1. ff. de acqu. rer. dom. FERÆ bestiae dicuntur, quae libere vagantur, nec sine vi occupantur, quo & pavones, columbas, apes referunt jura nostra. §. 14. 15. Inst. de rer. divis. quamvis commodius bestiae dividi possint in mansuetas, quales sunt omnia animalia domestica; mansuefactas, id est, domi nostrae cicuratas, & feras. (Inst. §. CCCXLV,\*)

## §. CLXIX.

De ea a-  
xiomata.

De his ergo axiomata notanda: I. Ferae bestiae sunt nullius, L. 1. §. 1. L. 3. pr. ff. h. t. §. 12. Inst. de rer. divis. II. Mansuetas animalia sunt in dominio, uti & mansuefacta, quamdiu hae animum redeundi nondum deposuerunt. L. 4. L. 5. §. 6. ff. h. t.

## §. CLXX.

Quid ju-  
ris circa  
ferarum  
venatio-  
nem?

Quum ergo ferae bestiae sint nullius; (§. CLXIX, 1.) sequitur, 1) ut cedant occupanti. L. 1. §. 1. L. 3. pr. ff. h. t. 2) Ut non sufficiat vulneratio, sed opus praeterea sit adprehensione, sive manu, sive instrumento

vena-

venatorio facta. L. 5. §. 1. L. 55. ff. h. t. 3) Ut nihil intersit, siue in nostro fundo ceperimus feram, siue in alieno, modo non prohibeamur ingressu fundi a domino. L. 3. §. 1. ff. h. t. L. 16. ff. de ser. prad. rust.

§. CLXXI.

Ex posteriore axiomate colligimus, 1) eum, qui mansueta alterius animalia occupat, furtum committere. L. 5. §. 6. L. 44. ff. h. t. 2) Mansuefactum æque ac ferum animal nostrum esse desinere, simul ac hoc evaserit custodiam nostram \*, & difficilis sit persecutio, L. 3. §. 2. ff. h. t. illud vero animum revertendi posuerit. L. 4. L. 5. §. 5. ff. h. t. §. 15. Inst. de rer. divis.

Quæ circa occupationem animalium mansuetorum & mansuetorum.

\* Id quod singulare est in animalibus. Alioquin enim jus in re est perpetuum, non momentaneum, ( Inst. §. CCCXXXIII. 1. ) adeo ut servus etiam ex fuga retrahi, & a domino vindicari possit. Grot. de I. B. & P. II. §, 3. & pecora, a lupis erepta, nostra maneant. L. 8. §. ult. ff. fam. ercisc.

§. CLXXII.

OCCUPATIO BELLICA est occupatio personarum, & rerum hostilium, tanquam rerum nullius. (§. CLXVII. \*) Ex qua definitione fluit, 1) ab hostibus capta \* statim victoribus adquiri; L. 5. §. ult. L. 7. pr. ff. h. t. non tamen 2) militibus stipendiariis, sed reip. cujus auspiciis bellum geritur, L. pen. ff. ad L. Jul. pecul. nisi ex mobilibus quædam his ultro concedantur in præmium virtutis, vel

Occupatio bellica.



illi jussu atque auctoritate Imperatoris prædam egerint. *L. 36. §. 1. C. de donat. 3*) Hosti idem jus esse quod nobis, adeoque *4*) non prius res captas nostras esse, quam illas intra præsidia nostra pertulerimus. *L. 5. §. 1. ff. de capt. & postlim.*

\* Non ergo in bello civili: quia in eo non sunt justii hostes. Hinc nec capta hujusmodi bellis fiunt capientium, *Grot. de I. B. & P. III, 6, 27.* & Vespasianus victor bello civili legit recuperatores, per quos rapta bello restituerentur. *Sueton. Vesp. cap. X.* Multo minus itaque bello civili capti homines in servitutem redigebantur, sed tantum proscripcio habebat locum. Immo plerumque captivos in bello civili ideo interfectos legimus, quia in servitutem redigi non poterant. *Grot. ibid. III, 7, 5, 3.*

### §. CLXXIII.

Inven-  
tio. **INVENTIO** denique est occupatio rerum inanimatarum, quæ vel natura nullius, vel pro derelictis habitæ sunt. (§. CLXVI. \*) *L. 1. §. 1. L. 3. §. 3. ff. de acquir. vel amitt. poss.* Ex qua definitione patet, *1*) ita acquiri posse gemmas, lapillos, margaritas, in littore maris repertas. §. 18. *Inst. de rer. dom. L. 3. pr. ff. h. t.* non autem *2*) res amissas, §. 47. *Inst. ff. h. t.* nec *3*) oves & pecora a lupis erepta, (§. CLXXI, \*) *L. 8. §. ult. ff. fam. ercisc. nec 4*) bona naufragorum. *L. 21. §. 1. ff. de acqu. poss. Auth. Navigia C. de furt.*

### §. CLXXIV.

§. CLXXIV.

Res nullius etiam est **THESAURUS**, id est vetus depositio pecuniæ, cuius non exstat memoria. *L. 31. §. 1. ff. h. tit.* Sed quum apud veteres adquisitio thesauri inter occupationem & accessionem fluctuaret: §. 39. *Inst. h. t. L. 31. §. 1. ff. h. t.* has sententias ita conciliavit Hadrianus, (vid. *Spartian. Hadrian. Cap. XVII.*) ut utrumque acquirendi modum conungeret.

In primis thesauri.

§. CLXXV.

Ex eo itaque principio sequebatur, 1) ut, si quis in loco suo sine artibus odiosis thesaurum invenerit, is totus inventori cederet. §. 29. *Inst. de rer. div. L. 63. pr. ff. h. t. L. un. C. de thesaur.* 2) Ut thesaurus, in loco alieno vel publico, casu fortuito inventus, merito inter inventorem \* & loci dominum dividatur: *d. §. 39, L. 63. pr. ff. h. t.* non autem, si data opera quæsitus sit in fundo alieno; *L. un. C. de thesaur.* nec si artibus magicis quæsitus: Quo casu fisco cedit. *d. L. un. C. eod.*

Quid iuris in thesauro invento?

\* Quid vero si mercenarius, ad effodiendam cellam subterraneam conductus, thesaurum reperit? Vid. V. A. Corn. van Bynkersh. *Obs. II, 4. p. 122.*

§. CLXXVI.

Alter' modus acquirendi originarius est **ACCESSIO**, qua adquirimus, si quid vel natura, vel industria nostra nostrorumve, vel utraque rei nostræ accedit incrementi. ( §. CLXV. ) Unde recte in **NATURALEM**,

Accessio quid & quorum plex?

## LEM, INDUSTRIALEM, &amp; MIXTAM dividitur.

## §. CLXXVII.

De accessione naturali axiomata.

Quamvis itaque, quod *natura* rei nostræ accedit, incrementum nostrum fiat; (§. CLXXVI.) subtilius tamen veteres philosophati sunt, simulque ad istius incrementi originem respexerunt. Unde axiomata: Incrementum, quod vel nullius ante fuit, vel incertæ originis, rei nostræ adjunctum nostrum est. II. Quod ad alium pertinuit, manet in ejus, cujus antea fuit, dominio.

## §. CLXXVIII.

Fœtura &amp; insula nova.

Ex iis axiomatibus sequebatur, 1) ut quidquid ex *ventre nostro* nascitur, nostrum sit. §. 19. *Inst. de rer. div.* §. ult. *Inst. de jur. person.* 2) Ut *insula*, in mari nata, sit nullius, & cedat occupanti; L. 7. §. 3. *ff. h. t.* in flumine nata adquiratur iis, qui prope ripam prædia possident, pro modo prædiorum: & quidem, si in medio flumine nata sit, iis, qui utrinque agros habent communes; si propius ab alterutra ripa emerit, domini agrorum, in hac ripa sitoræ propria sit\* §. 22. *Inst. de rer. div.* L. 7. §. 3. L. 29. *ff. de acqu. rer. dom.* 3) Ut ager, in insulæ formam redactus, prioris domini maneat. L. 7. §. 4. L. 30 §. 2. *ff. h. t.*

\* Genuina ratio est, quia si insula in medio flumine nata, particula ab utriusque ripæ agris: si ad alteram ripam, ex illius ripæ agris avulsæ censentur. (§. CLXXVII, 1.) Ager,

ger, a flumine circumdatus, jam antea fuit in domino, ergo & manet. (§. CLXXVII. 2. )

§. CLXXIX.

Alluvio & vs fluvialis.

Eodem modo sese res habet in ALLUVIONE & VI. FLUMINIS. Quia enim 1) illa est agri nostri incrementum latens atque incertæ originis ; (§. CLXXVII, 1.) §. 20. *Inst. h. r.* hinc nostra fit. \* *L. 7. §. 1. ff. h. r.* 2) Hæc autem, quia semel simulque partem terræ fundi nostri adjungit, §. 21. *Inst. h. r.* non mutat dominium, (§. CLXXVII, 2) nisi prior dominus interea, dum pars avulsa cum fundo nostro coaluit, arboresque in fundum nostrum radices egerunt, eam non vindicavit. *L. 7. §. 2. ff. h. r.*

\* Modo ager noster sit arcifinius. *L. 16. ff. h. r. L. 1. §. 6. de flum.* Qui agri sint arcifinii, alio loco exposuimus. (*Inst. 9. CCCLVIII. \**)

§. CLXXX.

Denique ex his axiomatibus (§. CLXXVII, 1. 2.) facile reddimus rationem, 1) cur alveus, a flumine derelictus, similiter sit eorum, qui utrimque prædia possident, pro modo prædiorum; *L. 7. §. 5. ff. h. r.* 2) inundatio autem speciem fundi non mutat. *L. 7. §. 6. ff. h. r. §. 24. Inst. de rer. divis.*

Aveus derelictus.

§. CLXXXI.

Multa in his omnibus hodie aliter se habent. Quia enim, quæ Romanis Jctis res nullius visæ sunt, hodie in territoriis, per universitatem quæsitis, ipsius populi esse censentur, populus autem eas tanquam res, quæ

Ufus harum ad quæstionum hodiernus.

divisionem non commode admittunt, Imperantibus tanquam jure regalia concesserit: hinc plerisque locis *venationes, inventio rerum in litore maris, itemque nova insula, aluviones majores, alvei derelicti* sunt Principum, vel eorum, quibus Princeps ea per modum investituræ vel privilegii concessit.

## §. CLXXXII.

De accessione industriali axiomata.

Hæc de accessione *naturali*. Quum vero etiam, quod *industria nostra* rei nostræ accedit, nostrum fiat; (§. CLXXVI.) consequens est, I. ut hic semper accessorium sequatur suum principale. L. 26. §. 1. ff. h. t. II. Ut tamen non patiatur æquitas, alterum cum alterius damno locupletiolem fieri.

## §. CLXXXIII.

Cui adquirantur accessiones per inclusionem, adferruminationem, in texturam, in adificationem, scripturam, picturam?

Ex prioræ axiomate inferimus, 1) gemmam auro nostro **INCEUSAM** nobis cedere. L. 19. §. 13. ff. de aur. arg. leg. 2) Rem, per **ADFERRUMINATIONEM** rei meæ adjunctam, meam fieri. L. 27. pr. ff. h. t. 3) Purpuram, vestimento nostro **INTEXTAM**, accessionis vice cedere vestimento. §. 26. Inst. h. t. 4) Quod solo **INÆDIFICATUR**, solo cedere. L. 7. §. 10. 12. ff. h. t. §. 29. Inst. de rer. divis. 5) **SCRIPTURAM** cedere chartæ. L. 9. §. 1. ff. h. t. 6) Idem etiam placuisse acutioribus in **PICTURA**, L. 23. §. 3. ff. de rei vind. quamvis Justinianus, aliorum sequutus sententiam, ob artis dignitatem, tabulam picturæ cedere iusserit. §. 34. Inst. h. t.

## §. CLXXXIV.

## §. CLXXXIV.

Ex altero axioma ( §. CLXXXII, 2. ) col- Quæ 2-  
 legerunt, 1 ) tribus prioribus casibus domi- ctio ad-  
 nis materiæ adjunctæ, contra eos, qui in bo- versus  
 na fide sint, dari actionem ad exhibendum, incul-  
*L. 23. §. 5. ff. de rei vind. vel conditionem* tem ad-  
 sine causa; §. 26. *Inst. de rer. divis.* si hi ma- feruntur  
 la fide possideant, actionem furti & condi- nantem,  
 ctionem furtivam. *d. §. 26. eod.* intexen-  
tem de-  
tur.

## §. CLXXXV.

Nec minus inde patet ratio, 2 ) cur domi- Quæ 2 l-  
 no materiæ, qua alter in suo ædificavit, con- versus æ-  
 tra ædificantem decur actio DE TIGNO difican-  
 JUNCTO in duplum; & cur 3 ) diruto tem vel  
 ædificio, a malæ fidei possessore præterea dominiã  
 materiam vel vindicare, vel ad exhibendum solis  
 agere possit. §. 29. *Inst. de rer. div.* 4 ) Cur,  
 si quis sua materia in alieno solo ædificavit, is  
 in possessione bonæ fidei constitutus, \* do-  
 minium soli, ædificium vindicaturum, exce-  
 ptione doli mali repellat donec pretium per-  
 solverit; 5 ) malæ autem fidei possessor do-  
 minium materiæ amittat. §. 30. *Inst. eod. L. 7.*  
 §. 12. *ff. h. t.*

\* Si enim, qui ædificavit, non possidet, nulla  
 prodita est actio: quamvis, quum pro ædi-  
 ficante eadem militet regula æquitatis, ( §.  
 CLXXX, 2. ) ei actio in factum merito danda  
 sit. ( *Inst. §. CCCLXVI. \** )

## §. CLXXXVI.

Denique ex hoc æquissimo axioma ( §. Quæ 2 l-  
 CLXXXII, 2. ) consequitur, 6 ) ut & scri- versus  
 benti contra dominum chartæ, & 7 ) do- dominiã  
 mino tabulæ contra bona fide pingentem de- chartæ,  
tur.

vel pin-  
gentem ? tur actio in factum, L. 23. §. 5. ff. de rei vind. 8)  
contra mala fide pingentem in mundo sit actio  
furti, & conditio furtiva, vel actio in rem  
utilis. §. 34. Inst. de rer. div. L. 9. §. 2. ff. h. t.

## §. CLXXXVII.

Adquisi-  
tio per  
specifica-  
tionem . Accessionis *industrialis* species etiam est  
SPECIFICATIO, qua quis ex aliena mate-  
ria suo nomine novam speciem facit. Sed  
quum inter diversæ sectæ Ictos disceptaretur,  
formane an materia pro accessorio ha-  
benda sit: Merill. *Obs. I*, 21. Justinianus 1)  
iis accessit, qui, si res ad priorem formam  
reduci posset, dominum materiæ, sin redu-  
ci nequirit, specificantem præferabat. §.  
25. Inst. de rer. divis. 2) Domino materiæ  
specificantem posteriore casu in tantum te-  
neri voluit, in quantum factus sit locupletior.  
L. 23. §. 5. ff. de rei vind.

## §. CLXXXVIII.

Per com-  
mixtio-  
nem &  
confu-  
sionem . Eodem pertinent COMMIXTIO rerum  
aridarum, & CONFUSIO liquidarum.  
De quibus cautum, 1) ut *confusa commix-*  
*taque* utriusque domini voluntate commu-  
nia sint. L. 7. §. 8. ff. h. t. 2) Ut res, unius  
voluntate *confusa*, fiant confundentis; sin  
commixtio unius voluntate facta, unusquis-  
que suam materiam vindicare possit. L. 5. pr.  
ff. de rei vind. 3) Ut idem obtineat, si res  
calu fortuito *confusæ commixtæve* sint. §. 24  
Inst. h. t.

## §. CLXXXIX.

Accessio  
mixta  
per ratio-  
nem & Denique quum quod & naturæ beneficio.  
& industria rei nostræ accedit, nobis acqui-  
ratur; (§. CLXXVI.) consequens est, 1)

ut quod in agro nostro *factum* est, nostrum sit *implantatio*  
deductis impensis. 2) Ut arborum & plan-  
tarum dominium ex radice æstimandum sit.  
\* §. 36. *Inst. de rer. div.* adeoque 3) arbor vel  
planta solo implantata solo cedat, si radices  
egerit, antea autem possit a domino vindi-  
cari. *L. 7. §. ult. ff. h. t. §. 31. Inst. de rer. di-  
vis.* 4) Ut arbor, si in confinio posita sit, ejus,  
cujus in fundum radices egit, adeoque com-  
munis pro indiviso, si in utriusque fundum  
radices egerit. *L. 7. §. ult. L. 8. pr. ff. h. t. §. 5)*  
Ut eruta semper pro diviso communis habeat-  
tur. *L. 19. ff. de comm. divid.*

\* Antea enim non potest pro accessorio soli  
haberi, quia commode separari potest. Vid.  
*L. 9. §. 2. ff. de damn. inf.* Ceterum tam sub-  
tiliter non philosophantur Germanicæ origi-  
nis gentes, quæ potius ad stipitem & ramos  
respiciebant. *Jus Sax. Prov. II. 52.* Ita &  
Belgis videtur. *Huber. Præl. Inst. h. tit. §.*  
*XLI.*

§. CXC.

Denique ad accessiones *mixtas* & FRU-  
CTUUM PERCEPTIONEM referimus. Is  
enim, qui rem alienam bona fide non in-  
terrupta & justo titulo possidet, loco do-  
mini est. *L. 48. pr. ff. h. t.* Quemadmodum  
ergo dominus fructus omnes, tanquam ac-  
cessionem rerum suarum, capit: ita & bo-  
næ fidei possessor fructus percipiendo suos  
facit. *L. 23. pr. §. 1. L. 48. pr. ff. h. t.*

§. CXCI.

Positis itaque his principiis, facile patet, e) *Quis*  
I 6 nihil *fructus*

fructus fa-  
ciat b. f.  
policitor.

nihil interesse, siue naturales sint fructus, si-  
ue industriales: neque ob stare nobis §. 35.  
*Inst. de rer. divis. L. 45. ff. de usur. 2*) Bonæ  
fidei possessorem fructus suos facere perci-  
piendo, adeoque 3) exstantes restituere  
cogi domino supervenienti: non autem 4)  
consumptos, quantumvis iis sit factus locu-  
pletior. *L. 22. C. de rei vind. L. 4. §. 2. ff. fru-  
regund.*

### §. CXCI.

Modus  
adquiren-  
di deriva-  
tivus per  
traditio-  
nem.

Vidimus modos acquirendi naturales *origi-  
narios*. Sequitur DERIVATIVUS, qualis est  
sola TRADITIO. (§. CLXV.) *Hac* vero est  
modus acquirendi naturalis, quo dominus,  
qui jus & animum alienandi habet, rem cor-  
poralem ex justa causa in accipientem trans-  
fert. §. 40. 42. *Inst. de rer. divis.*

### §. CXCI.

Ea quo  
modo  
fiat?

Quum ergo tradantur res corporales, (§.  
CXCI.) sequitur, 1) ut rerum incorpora-  
lium nulla sit traditio, sed quasi traditio, cu-  
jus loco est ex parte concedentis patientia,  
ex parte accipientis usus vel exercitium. *L. 1.  
§. ult. ff. de servit. rust. prad. L. ult. ff. de serv.*  
2) Ut traditio rei mobilis fiat emanu in ma-  
num; rei immobilis inductione in fundum  
pradiumve. *L. 8. ff. de adqu. poss. L. 3. §. 1.  
ff. eod.* 3) Ut possessio tradenda sit vacua.  
*L. 3. §. 1. ff. de alt. emt.* 4) Ut perinde sit,  
sive ipsa res tradatur, sive signum aliquod  
rei, quæ traditio vocatur, SYMBOLICA  
*L. 1. §. pen. ff. de adqu. poss.* 5) Ut  
sufficiat etiam demonstratio e longinquo,  
id

id est traditio LONGA MANU, L. 79. ff. solut. vel 6) fictio, rem tradi, quam jam ex alia causa accipiens possidet, quæ est BREVI MANU traditio. §. 34. Inst. h. t.

### §. CXCIV.

Quumque traditionem fieri oporteat a domino alienandi jus habente; (§. CXCII.) consequens est, 1) ut & procurator tradere possit, si mandato instructus sit. L. 9. §. 4. ff. h. t. 2) Ut non dominus non transferat tradendo dominium, sed tantum conditionem usucapiendi. 3) Ut pupillus aliique qui alienare non possunt, dominium traditione non transferant. pr. §. 2. Inst. quib. alien. lic.

### §. CXCIV.

Denique quum in tradente etiam alienandi animus & justam causam esse oporteat: (§. CXCII.) consequens est, 1) ut sine titulo non transferatur dominium. L. 31. pr. ff. h. t. §. 40. Inst. de rer. divis. 2) Ut in emptione ne quidem sufficiat titulus, nisi & venditori pretium solutum, vel hic emptoris fidem sequutus sit. §. 51. Inst. de rer. divis. L. 19. ff. de contr. emt. 3) Ut omnino sufficiat animus transferendi dominium, quamvis persona accipiens incerta sit. Quo pertinet *jactus missilium*. \* §. 45. Inst. de rer. divis.

\* Potest tamen hæc adquisitio missilium etiam ad occupationem referri. Jacta enim missilia sunt eo animo, ut, qui spargit, ea nolet in rebus suis habere. Ergo pro derelictis habentur, (§. CLXVI. \*) adeoque cedunt

occupanti. (§. CLXVI, 1.) De ritu spargendi missilia vid. Vinn. ad §. 45. *Inst. de rer. divis.*

### §. CXCVI.

Modi ad-  
quirendi  
civiles. Et hi quidem sunt modi acquirendi *naturales*. CIVILES sunt vel UNIVERSALES, veluti I. *Hereditatis adquisitio*, II. *Bonorum possessio*, III. *Arrogatio*, IV. *Aditio bonorum libertatum conservandarum* causa, de quibus supra jam actum: vel SINGULARES, veluti I. *Usucapio*, de qua titulo hujus libri tertio. II. *Donatio*, de qua libro XXXIX. III. *Legatum*, & IV. *Fideicommissum singulare*, de quibus libro XXX. & sequentibus plura diximus.

## TIT. II.

*De acquirenda vel amittenda possessione.*

### §. CXCVII.

Posses-  
sionis de-  
finitio.

**H**ACTENUS de dominio. Sequitur POSSESSIO. (§. CLX.) *Possidere* veteribus est *habere, tenere, detinere, κρατῆν, κατέχειν*. Idque verbum non a *positione sedium*, L. 1. pr. ff. b. t. sed a *possum* & *federe* ductum est. \* Unde POSSESSIO in sensu naturali & grammatico est nuda rei detentio, L. 2. §. 1. ff. pro hered. sive aliquo jure in re, extra-dominium, sive nullo fundamento nitatur. L. 12. pr. ff. b. t. L. 37. ff. de adqu. rer. dom. l. 15. §. 3. *quæ satisfd. cog.* In sensu civili & juridico detentio rei corporalis

*De adquir. vel amitt. poss. Pars VI. 207*  
lis cum animo sibi habendi. L. 1. §. 9. ff. de  
vi & vi. arm. L. 2. §. 1. ff. pro hered.

\* Quæ notio potentiae etiam est in Græco  
ἐξουσία, quod & possessionem & potestatem  
significat. Et hinc est, quod & Horatius  
Od. 1, 3. v. 1.

*Sic se diva potens Cyprî.*

dixit pro: *quæ possides Cyprum, Κύπρου ἐξουσία,*  
& Epod. XVIII, v. 1. *Silvarumque potens*  
*Diana, pro possidens silvas.* Add. Muret.  
Epist. III, §7.

### §. CXCVIII.

Qui hunc animum sibi rem habendi ita Divisio.  
habet, ut non aliter credat, quam se esse  
se dominum, is **BONÆ FIDEI**; qui non  
ignorat, se dominum non esse, **MALÆ**  
**FIDEI** possessor dicitur. Ita & **NON**  
**VITIOSA** possessio est, ubi quis nec **VI**,  
nec **CLAM**, nec **PRECARIO** possi-  
det; \* **VITIOSA** contra, ubi vitiorum  
horum aliquod adest. L. 3. §. 2. ff. h. r. De-  
nique quæ justo titulo nititur, **IUSTA** :  
quæ eo destituta est, **INJUSTA** possessio  
adpellatur. L. 3. §. 5. ff. h. r.

\* Donat. ad verba Ter. Ennuch. II, 3.

*Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario*  
*fac iradas. Secundum jus, inquit, loquun-*  
*tus est. Nam his tribus mala fide aliquid pos-*  
*sidesur.*

### §. CXCIX.

## §. CXCIX.

An sit  
jus in re?

Non ergo possessio est *juris*, sed *facti* \*  
*L. 29. ff. h. t. L. 19. ff. quib. ex caus. mai. Ad.*  
 eoque *falli* videntur, qui possessionem *jus*  
*in re* vocant. Divisionem enim *juris in re*  
 & ad *rem* ad petitoria, non possessoria ju-  
 dicia pertinere, recte observavit B. Huber.  
*Digress. IV, 10, 4.*

\* Potest quidem & *juris* esse, quatenus effe-  
 ctus aliquis inde emergit, puta facultas se  
 in possessione tuendi, & amissam recupe-  
 randi: ipsa tamen possessio meri facti est,  
 quippe detentio rei corporalis, & jus il-  
 lud inde natum momentaneum est, re-  
 que ablata expirat. *L. 7. L. 15. ff. h.*  
*tit.*

## §. CC.

De pos-  
sessione  
axioma-  
ta.

Jam facile intelliguntur axiomata: I. Pos-  
 sessionem **ADQUIRIMUS** animo & corpo-  
 re simul. *L. 3. §. 1. L. 8. L. 51. ff. L. 4. C. h. t.*  
 II. Possessio solo animo **RETINETUR**,  
 quamdiu alius eam non adprehendit. *§. 1.*  
*Inst. de interd. L. 3. §. 7. L. 30. §. 5. ff. h. t.* III.  
 Quemadmodum ea acquiritur, ita & ordi-  
 narie **AMITTITUR**. *L. 8. ff. h. t. L. 153. ff.*  
*de reg. jur.*

## §. CCI.

Quis  
possessio-  
nem ad-  
quirat?

Quum itaque possessionem animo & cor-  
 pore simul **ADQUIRAMUS**; (§. CC, 1.)  
 consequens est, 1) ut acquirere eam pos-  
 sint omnes, qui animum sibi habendi ha-  
 bere possunt, adeoque 2) etiam pupilli  
 infantia majores, etiam sine tutoris aucto-  
 ritate, (P. IV. §. CCCXXXVI, 1.) *L. 32.*

§. 2. ff. h. r. non autem 3) furiosi. L. 5. ff. de reg. jur. L. 1. §. 3. ff. h. r. 4) Ut & tutores, curatores, procuratores. L. 18. pr. ff. h. r. L. 1. C. h. r. modo id eo animo faciant ut nobis adquirant, L. 1. §. 20. ff. h. r. multoque magis 5) liberi & servi, in potestate nostra constituti, possessionem nostro nomine adprehendere possint. L. 1. §. 5. L. 4. ff. h. r.

### §. CCII.

Ex eodem axioma discimus, 1) proprie possessionem adprehendi posse rerum corporalium, adeoque 2) incorporalium tantum esse quasi possessionem. L. 10. ff. si serv. vind. L. 23. §. 2. ff. ex quib. caus. mai. 3) Adprehendi posse possessionem rerum, non personarum liberarum, L. 23. §. 2. ff. h. r. quamvis earum possessio semel acquisita b. f. retineri possit, donec ad libertatem proclament. 4) Acquiri non posse possessionem rerum, commercio hominum exemptarum, L. 30. §. 1. ff. h. r. multoque minus 5) jam ab aliis possessarum, vel quarum non est vacua possessio. L. 2. L. 3. C. L. 3. §. 5. ff. h. r.

Quarum rerum?

### §. CCIII.

Denique ex hoc primo axioma consequitur, 1) possessionem hereditatis quidem ipso jure ad heredes transire, sed esse adprehendam. L. 23. pr. L. 30. §. 5. ff. h. r. 2) Sufficere qualemcumque adprehensionem, vel ingressum in rem immobilem, adeoque 3) nec opus esse, ut quis omnes glebas circumambulet, L. 3. §. 1. L. 48. L. 2. C. h. r. nec 4) inutilem esse adprehensionem fictam, veluti acceptis clavibus, adposita custodia. L. 1. §. 21.

Quomodo?

non!

L. 51. ff. h. r. 5) Animum & causam possessionis adesse oportere, & eam quidem non erroneam, sed veram, L. 34. pr. ff. h. r. nec 6) sibi quemquam eam possidendi causam mutare posse. L. 3. §. 19. L. 19. pr. ff. L. 5. C. h. r. L. 33. §. 1. ff. de usurp. & usuc.

## §. CCIV.

Quid constitutum possessorium?

Et hinc (§. CCIII, 4.) facile intelligitur, quid sit **CONSTITUTUM POSSESSORIUM**, nempe fictio juris, qua is, qui se constituit nomine alieno rem possidere, quam detinet, fingitur, eam tradidisse alteri, isque possessionem transtulisse iterum in constituentem. Ex qua definitione inferimus, 1) possessorium constitui posse vel per conventionem *expressam*. L. 18. pr. ff. h. r. vel *tacite*, si venditor ante rei traditionem eam conducat ab emtore. L. 77. ff. de rei vind. vel usumfructum retineat. L. 28. C. de donat. 2) Eam causulam non involvere reservationem dominii. V. A. Zach. Hub. *Obs. rer. iud.* XXVII, 92. 3) Ejus hunc esse effectum, ut emtor absque novo traditionis actu desinat possidere, & quasi minister corpore suo duntaxat alienæ possessioni incumbat. L. 18. pr. ff. h. r.

## §. CCV.

Quomodo possessio retineatur?

Quumque possessio semel acquisita solo animo **RETINEATUR**. (§. CC, 2.) consequens est, ut & per alium, veluti per inquilinum, colonum, commodatarium, depositarium, usufructuarium possidere possimus, L. 3. §. 12. L. 9. ff. h. r. 2) Ut tamen hoc cesset, si quis, veritus vim majorem, redire

nolit. *L. 7. L. 25. §. 2. fin. ff. h. r. 3*) Ut & servum nostrum fugitivum tamdiu possideamus, quamdiu ille a nemine alio possidetur. *L. 15. ff. h. r. 4*) Ut ex rigore juris possessionem retinere non possit furiosus: quamvis utilitatis causa receptum sit, ut possessionem, ante furorem adquisitam, retinere possit. *L. 4. §. 3. ff. de usurp. L. 44. §. 6. cod. L. 27. ff. h. r.*

### §. CCVI.

Denique quum possessio eodem modo ordinarie \* amittatur, quo acquisita est; (S. CC, 3.) consequens est, 1) ut possessionem amittamus vel per traditionem, *L. 3. §. 9. ff. h. r.* vel 2) per derelictionem. *L. 44. §. ult. ff. h. r.*

Quomodo amittatur?

\* *Ordinarie* dicimus. Nam & ab invito amittitur, si quis rem perdidit, & ignorat, ubi sit & tertius possessionem invasit, *L. 25. pr. & L. 44. ff. h. r.* vel si res vi aut furto ablata, *L. 7. L. 15. ff. h. r.* vel si Praetor alium in possessionem rerum nostrarum immisit. *L. 30. §. 2. ff. h. r.* An etiam, si depositarias rem depositam furti faciendo causa contrectavit? Distinguit Paulus *L. 3. §. 18. ff. h. r.* sed absolute affirmat Papinianus *L. 47. ff. h. r.* Vid. tamen Huberi *Prælect. Pand. ff. h. r. §. 4.*

### §. CCVII.

Ceterum possessionis effecta sunt plurima. *Ejus effecta.* Nam 1) liberat a probatione & editione tituli. (P. IV. §. CXX, 8.) *L. 11. C. de per. her. L. 28. C. de rei vind.* 2) In pari causa me-

melior est conditio possidentis, L. 2. §. 9. ff. *uti poss.* & hinc 3) pro rei possessore in dubio pronunciandum. L. 125. L. 128. ff. *de reg. jur.*  
 4) Potest possessor se privata auctoritate in possessione tueri. L. 1. C. *unde vi*, ac de jicientem confestim iterum de jicere L. 3. §. 9. ff. L. 17. ff. *de vi & vi arm.* 5) Possessor b. f. fructus perceptos lucratur. (§. CCX. sequ.) 6) Idem rem, justo titulo, per tempus lege definitum possessam, usucapione suam facit. Unde proxime agitur *de usucapione*.

## T I T. III.

*De usurpationibus & usucapionibus.*

## §. CCVIII.

Usucapionis fundamentum.

**Q**Uæ ergo inter præcipua effecta possessionis est USUCAPIO: (§. CCVII, 6.) ejus fundamentum jam paullo ante ostendimus. Quum enim, quæ nullius sunt, cedant occupanti, (§. CLXVI, 1.) & res pro derelictis habitæ pro rebus nullius habeantur: (§. CLXVI. \*) nihil sane æquius est, quam id, quod quis b. f. & justo titulo tempore longo possedit, & ab altero non est vindicatum, possidenti adquiri. Grot. *de I. B. & P.* II, 4.

## §. CCIX.

Definitio usucapionis.

Itaque USUCAPIO nihil aliud est, quam *adjectio* (vel, uti apud Ulpian. *Fragm.* XIX, 8. & Isidor. *Orig.* V, 25. legitur, ADEPTIO) *dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti.* L. 3. ff. *h. r.*

## §. CCX.

§. CCX.

Ab hac vero olim differebat quam maxime PRÆSCRIPTIO, quæ erat exceptio, qua iis, qui longo vel longissimo tempore rem possederat, sese adversus dominum tuebatur, \* & dominium aliquod bonitarium adquirebat. Eaque in præscriptionem LONGI & LONGISSIMI TEMPORIS dividebatur.

Et præscriptio- nis.

\* *Usucapio* enim dominium Quiritarium ad- jiciebat: ( §. CCIX. ) *præscriptio* tantum exceptionem & bonitarium dominium. *Ill*a ad res tantum corporales & fundos Ita- licos; *hæc* ad jura etiam & prædia provin- cialia pertinebat. *Ill*a in mobilibus annum, in immobilibus biennium; *hæc* indistincte X. annos inter præsentis, XX. inter ab- sentes requirebat. *L. un. C. de usuc. transf.* Et hinc præscriptio inventa videtur, ve- luti in usucapionis supplementum, ut, quæ usucapi non possent, præscribi pos- sent.

§. CCXI.

Sed Justinianus, sublato discrimine usu- capionis & longi temporis præscriptionis, utramque in unam veluti massam conflavit, *L. un. C. de usuc. transf.* adeoque hodie di- stinguendæ. I. USUCAPIO *vel longi tem- poris præscriptio*, & II. PRÆSCRIPTIO LONGISSIMI TEMPORIS, veluti in illius supplementum inventa. ( §. CCX. \* )

Usucapio & præscriptio longi temporis in unum conflata.

§. CCXII.

DE USUCAPIONE ergo, vel longi tem- Axioma- ta.

temporis præscriptione, notanda axiomata: I. Usucapio est modus civilis acquirendi dominium. (§. CXCVI.) II. Ea nocet iis, qui in inquirenda re sua fuere negligentiores; (§. CCVIII.) *L. 1. fin. ff. b. t.* III. Ea requirit possessionem bonæ fidei justam, (§. CXCVIII.) ac per tempus lege definitum non interruptam. IV. Quæ usucapi, vel longo tempore præscribi nequeunt, ea præscribi possunt tempore longissimo. (§. CCXI.)

## §. CCXII.

Quum itaque usucapio sit modus acquirendi dominium juris civilis; (§. CCXII, 1.) consequens est, 1) ut usucapere possint, quicumque possunt dominium acquirere, etiam filii familias & impuberes. *L. 4. §. 1. 2. ff. b. t. 2)* Ut is modus acquirendi olim non pertinuerit ad peregrinos, adversus quos ex *Lege XII. tabularum* æterna erat auctoritas. *Macrob. Saturn. 1, 16.*

## §. CCXIV.

Ex eodem axiomate primo patet, 1) usucapi posse res omnes, quæ acquiri, & in dominio esse possunt, non autem 2) res hominum commercio exemptas, *L. 9. ff. b. t.* nec 3) vitio possessas, (§. CXCVIII. \*) nec 4) eas, quarum alienatio lege vel testamento prohibita. *tit. C. ne rei domini. vel templor. vind. long. temp. except. summor. L. 3. C. quib. non obst. long. temp. præscr. L. 12. L. 24. ff. b. t.* Nec 5) incorporales olim res usucapi potuisse per legem Scriboniam. *Cic. pro Cæcin. cap. XXVI. L. 4. §. ult. ff. de usucap.* Quod tamen pri-

primum per Prætozem L. 10. ff. si serv. vind.  
ac postea per Justinianum emendatum est.  
L. ult. C. de long. temp. præscript.

§. CCXV.

Quumque usucapio & longi temporis  
præscriptio noccat iis, qui in inquirenda re sua  
fuere negligentiores; (§. CCXII, 2.) sequi-  
tur, 1) ut præscribi nequeant res meræ fa-  
cultatis, nisi alterius prohibitio & agentis  
patientia accesserit. L. 2. C. de servit. 2) Ut  
agere non valenti non currat præscriptio,  
L. 1. §. 2. ff. C. de ann. exc. & hinc 3) ea nec  
pupillo currat, L. 48. pr. ff. de acqu. rer. dom.  
nec 4) minori, excepta præscriptione lon-  
gissimi temporis, adversus quam restitutio-  
nem in integrum petere tenetur. L. 5. C. in  
quib. causis, in int. rest. 5) Ut, alienata a ma-  
rito re dotali, vel a patre re ex peculio adven-  
ticio filii familias, præscriptio a finito demum  
matrimonio ac soluta patria potestate curre-  
re incipiat. Auth. Nisi tricennale C. de bon.  
matern.

Quibus  
non cur-  
rat præ-  
scriptio?

§. CCXVI.

Ex tertio axiomaie (§. CCXII, 3.) di-  
scimus, requiri ad usucapionem 1) B O-  
NAM FIDEM, ut ignoret possessor, rem  
esse alienam, potiusque existimet, eum, a  
quo causam habet, tanquam dominum  
jus alienandi habuisse. L. 109. ff. de verb.  
sign. Et quidem quum hic de bona fide aga-  
tur ejus, qui rem traditam accepit: facile  
patet, sufficere, bonam fidem in initio adfuis-  
se, nec mala fide superveniente interrumpi  
usu-

Ad usu-  
capionē  
requiri-  
tur B O-  
NA FI-  
DES.

usucapionem, \* *L. 48. §. 1. ff. de adqu. rer. dom. L. un. C. de usuc. transf. secus ac in fructuum perceptione. (§. CXG.) L. 23. §. 1. ff. de adqu. rer. dom.*

\* Aliter jure canonico, ubique fere, quod ad hoc caput attinet, recepto. *cap. ult. X. de prescript.* Nam id requirit bonam fidem perpetuam & non interruptam. Juris civilis æquitatem præclare defendunt J.Cti eximii, *Henr. Coccejus in Dissertationibus binis de finibus bonæ fidei in prescript. de jure Canonico, & Inst. Henn. Boehmer. Jur. Eccles. Protest. II. 26, 52.* Juris autem Pontificii causam egit *L. B. de Lynker in Diss. bona fide in prescriptionibus tam jure civili quam canonico.*

## §. CCXVII.

JUSTUS  
TITU-  
LUS.

Neque ex eodem axioma ( §. CCXII, 3. ) obscurum est, requiri II. JUSTUM TITULUM, seu causam ad transferendum dominium habilem. \* ( §. CLXII. ) Unde consequitur, 1 ) ut non sufficiat opinio erronea justæ causæ. *L. 27. ff. h. t. nisi error sit justus. L. 11. L. 14. ff. pro emtor. L. ult. §. 1. ff. pro suo, nec 2 ) contractus simulatus & fictus, L. 1. C. plus val. quod agitur, nec 3 ) titulus revocabilis, veluti mortis causa donatio. L. 13. pr. ff. de mort. caus. don.*

\* In servitutibus tamen usus unius, alteriusque patientia loco tituli est. *L. 2. C. de servit.*

REI  
QUALI-  
TAS.

## §. CCXVIII.

Juncto axioma primo ( §. CCXII, 1. ) perspicuum fiet, III. etiam id requiri, ut

RES

RES fit usucapionis CAPAX. Unde inferendum, usucapionem non procedere 1) in rebus hominum commercio exemptis, L. 9. L. 45. ff. b. t. nec 2) in rebus furtivis, & vi possessis, quarum vitium ad omnes possessores ambulat, nec prius purgatur, quam res in potestatem domini scientis reversa sit: L. 4. §. 6. 12. sequ. L. 33. pr. §. 2. ff. §. 3. Inst. b. t. L. 84. ff. de furt. nec denique 3) in rebus alienari prohibitis, veluti, fiscalibus, L. 18. L. 24. §. 1. ff. §. 4. Inst. b. t. dominicis, tit. C. ne rei dom. civitatum, ecclesiarum, Nov. CXI. & CXXXI, Cap. 6. pupillorum, & minorum, L. 3. C. quib. non objic. long. temp. præscr. & similibus.

§. CCXIX.

Porro ex tertio axioma ( §. CCXII, 3.) discimus. IV. & TEMPUS LEGE DEFINITUM requiri. Quod in unum conflata usucapione & longi temporis præscriptione, ( §. CCXI.) hodie in rebus mobilibus est triennium; in immobilibus decennium inter præsentis, & vicennium inter absentes. \* ( §. CCX. \*) L. un. C. de usuc. transf. Ex quo consequitur, ut, domino pro parte absente, pro parte præsentis, absentis anni duplicentur. Nov. CXIX. cap. 8.

TEM-  
PUS LE-  
GE DE-  
FINI-  
TUM.

\* Et hic quidem, puta in usucapione rerum, dies ultimus coeptus pro adimpleto habetur. L. pen. pr. ff. de div. ac temp. præscr. & L. 6. ff. b. t. secus ac in præscriptione actionum temporalium. ( §. CCCLXIV, \* 3.) L. 6. ff. de obl. & act.

## §. CCXX.

CONTI-  
NUA  
POSSES-  
SIO.

Denique ex illo axiomate (§. CCXII, 3.)  
fluit V. ultimum requisitum, CONTINUA  
& non interrupta auctoris & successoris  
POSSESSIO. L. 3. ff. h. r. L. 25. ff. eod. Ex  
quo patet, 1) possessionem antecessoris  
prodesse etiam successori, & *universali* qui-  
dem, modo defunctus possessionem b. f.  
coeperit, (§. CCXVI, 1.) sive heres in bo-  
na, sive in mala fide fuerit: \* §. 7. *Inst. h.  
tit.* *alt. singulari*, si & ipse & auctor in bo-  
na fide sint, L. 13. ff. *de adqu. possess.* nisi  
ipse successor, in b. f. constitutus, usuca-  
pionem a se inchoare malit. L. 5. ff. *de di-  
vers. & temp. prescr.*

\* Ergo heres ita transit in jura & vitia defun-  
cti, L. 11. ff. *de div. & temp. prescr.* ut ne  
a sua quidem persona usucapionem inchoa-  
re possit. §. 7. *Inst. h. r. L. 11. C. de adqu.  
possess.* Contra successori singulari non nocet  
mala fides auctoris, si ipse a se inchoet usu-  
capionem, quia non transit in jura & vitia  
decessoris.

## §. CCXXI.

Usurpa-  
tio quid?

Nec minus inde patet, 2) non precede-  
re usucapionem, si quis, nondum impleta  
usucapione, vel *naturaliter* possessione de-  
jectus, L. 5. ff. h. r. L. 15. ff. *de adqu. vel amitt.  
poss. vel civiliter* libello judici oblato, in  
jus vocatione & litis contestatione interpel-  
latus sit: L. pen. & ult. C. *de annal. exc.* L. 10.  
C. *de adqu. possess.* quo casu tamen, sequu-  
ta postea sententia absolutoria, etiam lite  
pendente continuatam esse possessionem, in-  
tel-

telligitur. L. 2. ff. pro don. L. 1. L. 9. C. de præscr. long. temp. Et hæc quidem interruptionem usucapionis vocare solemus **USURPATIONEM**. L. 2. ff. h. t. Gell. lib. 3.

§. CCXXII.

Hactenus de usucapione & longi temporis præscriptione. Quia autem, quæ usucapi vel longo tempore præscribi nequeunt, præscribi possunt tempore longissimo; (§. CCXXII, 4.) prodita est præscriptio **TRIGINTA, QUADRAGINTA, CENTUM** annorum, nec non **IMMEMORIALIS**.

Præscriptio longissimi temporis.

§. CCXXIII.

Et quidem **TRIGINTA ANNORUM** præscriptione opus est, si res usucapi nequeunt 1) ob auctoris malam fidem. (§. CCXX, \*) *Novell. CXIX. cap. 7. Nov. CXXXI. cap. 6. Auth. mala fidei C. d. long. temp. præscr. 2)* Ob tituli defectum, v. g. si heres rem, in hereditate repertam, bona fide possederit. *L. ult. C. pro hered. L. 8. §. 1. C. de præscr. XXX. vel XL. ann. 3.)* Ob rei vitium, Unde ita præscriptione adquiruntur res furtivæ, & vi extortæ, b. f. possessæ ab alio, *L. 8. §. 1. C. eod. res minorum, L. 3. C. quib. non objic. long. temp. præscr. L. ult. C. in quib. causis. in integr. rest. nec non est, res adventitiæ filiorumfam. Nov. CXXXII. cap. 24.*

Triginta annorum.

§. CCXXIV.

**QUADRAGINTA** annis opus est in præscriptione 1) rerum fiscalium & patrimonialium principis, *L. 4. C. de præscr. XXX. vel XL. ann. L. ult. C. de fund. patr. Princ. 2)* rerum immobilium civitatum & ecclesiasti-

Quadragesima & centum annorum.

catum. *Aut. quas actiones C. de SS. Eccl. L. 24. C. eod. Nov. CXI. cap. 6. CENTUM annis præscribuntur res Ecclesiæ Romanæ. Auth. Quas actiones C. de S. S. Eccles.*

## §. CCXXV.

Immemorialis.

**PRÆSCRIPTIONI IMMÉMORIALI** non est tempus aliquod lege præfinitum; sed ita vocatur præscriptio, cujus in contrarium non existat memoria. *L. 2. §. 1. 7. L. 23. §. 2. ff. de aqu. & aqu. plu. Intra hanc hominum memoriam præscribi dicunt regalia: quamvis id vix procedat contra Principem, arg. L. 6. C. de præscr. XXX. vel XL. ann. & nunquam in domanialibus. cap. 33. X. de jurejur.*

## §. CCXXVI.

Usus hodiernus.

Hæc fere eodem modo & hodie obtinent nisi quod jure Saxonico res mobiles anno & die, id est, anno, sex hebdomadibus & 3) diebus; immobiles autem XXX. annis, anno & die, adeoque XXXI. annis, sex hebdomadibus & tribus diebus præscribuntur. *Jus prov. Sax. l. 28. & 29. Aliæ gentes Europæ fere tricennem præscriptionem receperunt, imitata veteres Germanos, quibus anni XXX. erant sæculum. Plin. Hist. Nat. XVI, 44.*

*Pro soluto.*

## §. CCXXVII.

Titulus pro soluto.

Hætenus de *usucapione & præscriptionibus*. Quum autem in usucapionibus & longi temporis præscriptionibus requiratur justus titulus; (§. CCXXVII.) de his titulis agitur

tur

tur in sequentibus. Talis est I. titulus PRO SOLUTO, cui locus est, quoties vel verus debitor rem alienam, vel non debitor rem suam in solutum dedit, alterque eam bona fide accepit. L. 46. L. 48. ff. h. t.

T I T. I V.

Pro Emptore.

§. CCXXVIII.

**A**lter titulus est II. PRO EMPTORE. Ita vero usucapit, qui rem alienam a non domino bona fide emit. Quum vero, qui sub conditione emit, ne quidem tunc dominus fiat, si a vero domino rem traditam accepit: multo minus conditio usucapiendi transferetur, si a non domino quis emit sub conditione suspensiva, secus si sub resolutive emerit. L. 2. pr. §. 2. sequ. ff. h. t.

Pro emptore.

T I T. V.

Pro Herede, vel pro possessore.

§. CCXXIX.

**H**eres, vel bonorum possessor, proprie non acquirit novo titulo, sed continuat titulum defuncti, cui succedit, quia in omnia ejus jura transit. (P. V. §. II.) Vocatur tamen III. titulus PRO HEREDE vel PRO POSSESSORE, quando heres, vel bonorum possessor, in hereditate delata repertam rem alienam absque mala fide, tum sua, cum defuncti, (§. DCXX.) possidet.\* L. pen. ff. h. t.

Pro herede, vel possessore.

\* E.g. Si Titii ovis se gregi hereditario, mortuo testatore, immiscuit, ignaro herede, & bona fide hanc ovem credente hereditariam esse. Elegans hoc exemplum suppeditat Cl. Pagenstecherius in *Admonitor. ad Pandect. Part. VI*, §. 160. p. 707.

## T I T. V I.

*Pro donato.*

## §. CCXXX.

Pro do-  
nato.

**S**ED & IV. PRO DONATO usucapitur, cuicumque res aliena donationis causa data est ac tradita, *L. 1. pr. ff. h. t.* modo vera ac valida sit donatio, & quæ non sit revocabilis. *L. 1. §. 1. L. 2. ff. h. t.* Nam mortis causam donationem non esse justum usucapionis titulum, jam supra observavimus. (§. CCVII, 3.) *L. 13. ff. de mort. causis donationis.*

## T I T. V I I.

*Pro derelicto.*

## §. CCXXXI.

Pro de-  
relictio.

**Q**ui rem alienam, a non domino pro derelicta habitam, occupavit bona fide, is, V. usucapit titulo PRO DERELICTO. *L. 4. L. 6. ff. h. t.* Unde hic titulus ad res amissas & bona naufragorum non pertinet. *L. 7. ff. h. t.*

## T I T. V I I I.

*Pro legato.*

## §. CCXXXII.

**P**orro VI. PRO LEGATO usucapit, cui res aliena legata, L. 1. L. 2. L. 4. L. 9. ff. h. r. modo sit cum legatario isto testamenti factio. L. 7. ff. h. r. Quemadmodum autem opinio erronea justæ causæ non sufficit; (§. CCXVII, 2.) ita nec usucapere potest, qui rem in testamento legatam, & postea in codicillis sibi ignorantem ademptam, b. f. possedit, nisi causa erroris fuerit justissima, L. 4. L. ult. ff. h. r.

Pro lega-  
to.

## T I T. I X.

*Pro dote.*

## §. CCXXXIII.

**Q**ui rem alienam, contractis sequenti- que nuptiis, in dotem accepit, five res illa singularis sit, five in universitate consistat, is VII. PRO DOTE usucapit constante matrimonio. L. 1. pr. §. 1. 2. 3. ff. h. r.

Pro do-  
te.

## T I T. X.

*Pro suo.*

## §. CCXXXIV.

**S**I hic titulus in sensu generaliore accipiat- tur; omnes, qui ex aliquo superiorum titulorum usucapiunt, pro suo usucepisse intel-

Pro suo.

et liguntur. *L. 1. pr. ff. h. t. Speciatim vero VIII. PRO SUO* usucapere dicuntur, qui res nullius, quæ mari, terra, cœlo capiuntur, possident bona fide continua & non interrupta. \* *L. 2. ff. h. t.*

\* Contradictionem enim hæc involvunt, possidere *pro suo*, & scire rem esse *alienam*. *L. 4. ff. h. t. Conf. Pagenst. Admonit. ad Pand. VI. §. 166.*

---

**L I B E R XLII.**

**T I T. I.**

*De re iudicata, & de effectu sententiarum.  
& de interlocutionibus.*

**§. CCXXXV.**

Ratio ordinis.

**T**otus fere liber XLII. ad obzatos & concursum creditorum, eorumque *πρωτοπραξίαν* pertinet. Debitores autem vel condemnantur a iudice per SENTENTIAM, de qua *tit. I.* vel ipsi CONFESIONE sua se damnant, de qua *tit. II.* Deinde vel sponte BONIS CEDUNT, de quo *tit. III.* vel res eorum AUCTORITATE JUDICIS a creditoribus POSSIDENTUR, quo pertinent *tit. IV. & sequ.*

**§. CCXXXVI.**

Quid sententia & interlocutio?

SENTENTIA est sollemnis causæ controversæ & per iudicem secundum leges & acta facta decisio. Unde ab ea differt \* INTERLOQUUTIO, quæ est decretum iudicis super

per

per articulo quodam incidente. *L. 39. ff. de min.* Quare illa aut absolvit, aut condemnat, hæc neutrum facit, sed aliquid injungit actori vel reo, quod vel nullum, vel aliquod præjudicium facere potest causæ principali. *L. 31. ff. de jurejur. L. 18. ff. de dolo malo. L. 14. § 1. 4. ff. quod met. causis.*

\* Hodie quidem sententiam distinguunt in *definitivam & interlocutoriam*: sed ex principiis juris Romani interlocutorio, quæ nec absolvit, nec condemnat, non est *sententia*, verum *decretum*. Vid. *Strauch. Exerc. Justin. XXIV, 2. Wissenbech. ad Dig. ff. h. r. shes. 1.*

§. CCXXXVII.

Quare ex definitione sua sponte fluunt axiomata: I. Sententiam concipiunt iudices Axiomata.  
II. secundum leges & acta, ita III. ut tota lis finiatur. IV. Conceptam publicam vel pronunciant sollemniter: & tunc, V. ubi in rem judicatam transit, pro veritate habetur. \*

§. CCXXXVIII.

Quum itaque iudicium sit, concipere sententiam; (§. CCXXXVII, 3.) consequens est, 1) ut sententiam ferre non possit, nisi iudex competens. *L. ult. ff. de juri'd. tit. C. si non a comp. jud.* 2) Ut, si plures sint iudices, omnes præsentibus esse oporteat. *L. 37. L. 39. ff. h. r.* 3) Ut plurimum sententiæ vincant pauciorum *L. 36. L. 39. ff. h. r.* 4) Ut, si dissonæ sint sententiæ, neutra effectum sortiatur, donec Prætor alterutram confirmarit. \* *L. 28. ff. h. r.*

Quis concipiat sententiam.

\* Quum enim iudices daret Prætor: ( P. I. §. CCXLIV. ) eius etiam erat, dispicere quorum sententia sit actis & formulæ suæ convenientior. In dubio confirmabat 1. ) eam, quæ ad favorem causæ pertinebat, e. g. in liberali causâ pro libertate, in causis dotalibus pro dote latam. L. 38. pr. ff. h. t. L. 70. ff. de jur. dot. 2. Sententiam, quæ minorem summam continet. L. 138. §. 1. ff. h. t. 3. ) Facilius denique absolutoriam, quam condemnatoriam. L. 38. pr. ff. h. t.

§. CCXXXIX.

Sententia debet esse conformis libello, juri, actis.

Quumque secundum jura & acta ferri debeat sententiam; (§. CCXXXVII, 2. ) sequitur, I. ) ut conformem esse oporteat libello, quod ad objectum & causam petendi attinet. L. 18. ff. comm. divid. II. ) Ut eadem consentanea esse debeat legibus & consuetudinibus in rep. receptis, pr. Inst. de off. jud. L. 13. C. h. t. adeoque sententia contra leges lata ipso jure nulla sit; & ne appellacione quidem rescindi necessario debeat. L. 19. ff. de appell. L. 1. §. 2. ff. qua sent. sive appell. resc. III. ) Ut iudex non possit, nisi secundum acta & probata, judicare. L. 6. §. 1. ff. de off. pres.

§. CCXL.

Certa, pura, lingua nota concepta.

Quumque sententia tota lis finiri debeat; (§. CCXXXVII, 3. ) per se patet, IV. eam oportere esse CERTAM, adeoque summam vel quantitatem sive exprimehdam esse, sive per relationem ad libellam indicandam. §. 32. Inst. de alt. L. un. C. de sent. qua sine cert. quant. L. 59. pr. §. 1. L. 5. §. 1. ff. h. t.

V. Eam non sub conditione, sed PURE; esse ferendam, *L. 37. ff. de excus. L. 1. §. 5. ff. quand. adpell. nisi forte ipsi rei naturaliter insit conditio. VI. Sententiam LINGUA partibus nota concipiendam. \* L. 12. C. h. r.*

\* Olim abscisse Latina requirebatur, *L. 48. ff. h. r. adeo, ut Claudius Imp. splendidum virum & Græciæ provinciæ principem, verum Latini sermonis ignarum, albo judicum eraderet. Suet. Claud. cap. XVI. Negotia enim civilia verba civilia, adeoque linguam Latinam requirere videbantur. (P. V. §. XLIII\*) L. 8. fin. ff. de acceptil.*

### S. CCXLI.

Quinque sententia ita concepta etiam rite publicanda sit; (§. CCXXXVII, 4.) jus nostrum requirit, 1) ut citatio præmittatur ad audiendam sententiam. *L. 47. ff. h. r. 2) Ut publicatio fiat in loco judicii, L. 59. ff. de jud. die non feriato, L. 4. C. quem & quam. i. jud. sent. prof. deb. L. 1 ff. de ser. & ante solis occasum. Nov. LXXXII. cap. 3. 3) Ut recitetur a iudice sedente ex periculo. \* Nov. LXXI. cap. 1. Nov. LXXXII. cap. 3. L. 2 L. 3. C. de sent. ex peric. recit.*

Quomodo sententia publicanda?

\* Ita pro periculo legendum monent Sirmond. *Antirrhet. secund. cap. XI. & Desid. Herald. Obs. cap. 1. apud Nepot. Epamin. cap. VIII.* eodem fere sensu legimus *periculum* sed *sepulcrum* ibi legendum esse, patet ex Appiani *Syriacis* ubi dicitur *τοῦ τῶν πῆρας ἐπιπέλας*. Rem tamen dubio haud carere fateor. Vid.

## §. CCXLII.

Res si  
sententia  
in rem  
judicata  
transcun-  
tis.

Denique quum sententia, postquam in rem judicatam transit, pro veritate habeatur; (§. CCXXXVII, 5) consultissimum 1) videbatur, ei rei breve decem dierum spatium præfigi; *Nov. XXIII. cap. 1.* quo elapso 2) sententia rescindi non potest, \* *L. 35. ff. L. 4. C. h. t. nisi vel α) contra jus, L. 2. C. quando prov. non est nec vel β) adversus rem prius judicatam, L. 3. C. eod. vel γ) ex falsis testimoniis, conspiratione adversariorum, relictibus pecunia corrupta, lata sit. L. 33. ff. h. t.*

\* Immo a iudice ne quidem ante decendum sententia semel lata mutari potest: *L. 42. L. 55. L. 62. ff. h. t.* quamvis eodem die ea, quæ ad consequentiam jam statutorum pertinent, supplere, & actorum verba emendare possit. *L. 46. ff. h. tit.* Aliud vulgo de sententiis interlocutoriis docent, ob *L. 14. ff. h. t.* sed ibi legimus: *Quod iussit revertre Prætor, contrario imperio tollere licet.* An vero Prætor interlocuebatur? Loquitur ergo textus de decretis, sine plena causæ cognitione interpositis. Vid. *Jac. Frid. Ludov. Doct. Pand. ff. h. t. §. IV.*

## §. CCXLIII.

Actio  
dicati.

Ex re judicata, elapsis IV. mensibus, *L. ult. pr. §. 1. C. de usur. re. jud.* datur ACTIO JUDICATI victori, adversus eum, qui suo nomine iudicio condemnatus est, vel qui se liti obtulit, vel adversus plures  
pro

pro rata, L. 1. 2. C. si plur. un. sent. eorum-  
ve heredes, vel successores singulares. L. 6.  
ult. ff. h. t. L. 3. §. 1. ff. de pign. non hodie ad-  
versus procuratores, L. 4. pr. ff. h. t. ad id,  
ut iudicatio satisfiat, L. 4. §. 3. ff. h. t. vel sen-  
tentia exsequutioni mandetur. L. ult. C. de  
exsequut. rei jud.

### §. CCXLIV.

Exsequutio ita fit in actionibus *in rem*, ut  
res manu militari possessori auferatur. L. 68.  
ff. de rei vind. In actionibus *in personam* per  
pignoris capionem, L. 2. L. ult. C. de exsequ.  
rei jud. vel missionem in possessionem, bo-  
norumque venditionem. L. 1. ff. quib. ex  
causs. in possess. Quod fit eo ordine, ut 1) ad  
mobilia, deinde 2) ad immobilia, ac de-  
nique 3) ad jura perveniatur: \* L. 15. §. 2.  
sequ. ff. h. t. salvo beneficio competentia, id est  
privilegio, quo quidam ob propinquitatem,  
militiam, liberalitem, & ob commiseratio-  
nem \*\* non tenentur ultra, quam facere pos-  
sint. L. 16. L. 33. ff. h. t. §. 37. Inst. de alt. L.  
137. L. de reg. jur.

Exsequutio & be-  
neficium  
competen-  
tia.

\* Quid si bona non habeat condemnatus? Tunc  
in carcere habitat, L. 1. L. ult. C. qui bon. ced.  
poss. modice a victore alendus. L. 34. ff. h. t.  
L. 43. de verb. signif. Quod & jura Germani-  
ca probant.

\*\* Ob propinquitatem hoc beneficio gaudent  
parentes, patroni, soceri, conjuges, fra-  
tres, &, qui fratribus æquiparantur, socii.  
Ob militiam milites: ob liberalitatem dona-  
tores: qui etiam, non nisi deducto ære alieno,

no, conveniuntur. *L. 19. §. 1. ff. h. tit. Ob commiserationem exheredati, vel paterna hereditate abstinentes, nec non qui bonis cesserunt, L. 15. & seq. ff. h. tit. L. 49. L. 50. ff. coll.*

## T I T. II.

*De confessis.*

## §. CCXLV.

Quid est  
confessio? &  
de ea axi-  
omatata.

**Q**uemadmodum obæcati condemnantur *per sententiam iudicis*: ita & se ipsi damnant **CONFessione** sua. \* (§. CCXXXV.) *L. 1. L. 3. L. 6. pr. ff. L. un. C. h. t.* Est autem **CONFESSIO** adfirmatio facti, ab ipso faciente, sciente, & intelligente in jure facta. Hinc axiomata: I. Is potest se sua confessione onerare, qui sciens & intelligens factum suum adfirmat in jure. II. Confessus in jure, si intra legitimum tempus non solvat, pro judicato habetur.

\* Idque ex lege famosa XII. Tabularum: **ÆRIS CONFESSI**, de qua Gell. *Noct. Att. XX, 1.*

## §. CCXLVI.

Qualis  
confessio  
confiten-  
tem oner-  
at?

Quum itaque scientem & intelligentem factum suum in jure adfirmare oporteat: (§. CCXLV, 1.) sequitur, 1) ut pupilli confessio non valeat sine tutoris auctoritate: minor confessus in integrum possit restitui. *L. 6. §. 5. ff. h. t.* 2) Ut nec tutorum vel curatorum, nec procuratorum confessio pupillis, minoribus, vel dominis, fraudi esse pos-

possit. L. 6. §. 4. ff. h. t. 3) Ut nec confessio, per errorem facti, facta, noceat, L. 2. ff. h. t. nec 4) si quis incertum quid falsus sit; L. 6. pr. §. 1. ff. h. t. vel 5) extra iudicium, \* vel 6) in causis capitalibus: ubi & de corpore delicti constet oportet. L. 1. §. ult. ff. de quest. L. 23. §. ult. L. 24. seq. ff. ad L. Aquil.

\* Extrajudiciali confessioni æque credendum esse, ac judiciali, existimant Lauterbach. in ff. h. t. Ludovici in usu pract. Distinct. ff. h. t. distinct. 2. & alii. Sed ejus nullum esse effectum, nisi per alia indicia illi pondus ac momentum accadat, recte mihi colligere videor ex L. 58. §. ult. ff. de Ædil. edict.

### §. CCXLVII.

Ex altero axioma colligimus, 1) confessum, si intra legitimum tempus non sol- Ejus effectus. verit, æque exsequutione compelli posse, ac condemnatum. L. 6. §. ult. ff. h. t. 2) Eam in rem proditam esse actionem CONFESSORIAM, L. 23. §. ult. L. 25. §. 2. ff. ad L. Aquil. competentem creditori contra confessum injure (§. CCXLVI.) ad consequendum, quod se debere confessus est.

## T I T. III.

### De cessione bonorum.

### §. CCXLVIII.

**L** Ege XII. Tabularum, cujus paullo ante meminimus, (§. CCXLV. \*) cautum Cessionis bonorum origo. fue-

fuerat, ut condemnati vel confessi, si intra ju-  
 stum tempus non solverent, creditoribus ad-  
 dicerentur; & ab his in vinculis haberentur.  
 Gell. Noct. Att. XX. 1. V. A. Corn. van Byn-  
 kersh. *Observ. 1. 1.* Unde quum plurimum tur-  
 barum per aliquot sæcula natum esset: lata qui-  
 dem lege Poetelia cautum, ut obæratum non ad-  
 dicerentur creditoribus, sed tantum, eorum  
 bona possiderentur. *Liv. VIII. 28. Tertull. A-  
 pol. cap. IV.* Sed quum hæc sic liberarentur a  
 carcere, & plebs sæpe novas tabulas posceret;  
 denique Julius Cæsar cessionem bonorum,  
 flebile illud obæratum in urbe & Italia au-  
 xilium, introduxit. *Suet. Jul. cap. XLII. L.  
 1. 4. C. qui bon. ced. poss.* Sed postea, jam ante  
 Diocletiani tempora, id & ad provincias est  
 porrectum. *d. L. 4. C. qui bon. ced. poss. Ez.  
 Spanh. Orb. Rom. II. ult.*

### §. CCXLIX.

Est itaque CESSIO BONORUM actus,  
 quo obæratum, si per fortunæ injurias solven-  
 do non sint, bona sua omnia creditoribus per-  
 mittunt, ut inde, in quantum sufficient, ip-  
 sis satisfiat. Unde axiomata: I. Beneficium  
 hoc datum est iis, qui fortunæ injuria bo-  
 nis lapsi sunt. II. Cessio debet fieri omnium  
 bonorum. III. Ea facta, debitor in præsens  
 liberatur.

### §. CCL.

Quum itaque id beneficium concessum sit  
 iis, qui fortunæ injuria bonis sunt lapsi: (§.  
 CCXLIX, 1.) consequens est, 1) ut qui do-  
 lo malo id facere conantur, audiendi non  
 sint, veluti 2) qui bona abligurierunt, L. 63.

§. 7. ff. pro soc. L. 22. §. 1. L. 51. ff. de re jud. 3) qui convasatis rebus, foro cesserunt, L. 37. §. 1. ff. de min. 4) qui ex delicto multam debent, L. 7. §. 3. ff. de jurid. vel tributorum & vectigalium causa, aut ob honorem municipalem vel munus evitandum, bonis cedere conantur, L. 2. C. de exalt. trib. L. 5. C. qui bon. ced. poss. vel 5) qui debitum non agnoscunt. L. 8. ff. h. r. 6) Ut hoc beneficium sit personale, adeoque nec heredibus proffit, nec fidejussoribus. L. 63. §. 1. ff. pro soc.

§. CCLI.

Quumque omnia bona cedi oporteat; (§. CCXLIX, 2.) sequitur, 1) ut accuratum bonorum inventarium offerre, L. 1. L. 3. C. qui bon. ced. poss. & 2) si quid subtraxisse dicatur, bonam copiam ejurare \* teneatur. Cic. Epist. ad Fam. IX. 16. 3) Ut tamen ex æquitate & humanitate ipsi merito concedantur vestes quotidianæ. Zoef. h. r. n. 14.

Quid ceddendum sit?

\* Immo jure novo id jusjurandum concessum est obæratīs, qui bonis non cesserunt. Si enim jurarint, sibi, nihil superesse, a cessione liberantur. Nov. CXXXV, cap. 1.

§. CCLII.

Quum denique, facta cessione, obæratūs in præsens liberetur; (§. CCXLIX, 3.) consequens est, 1) ut ea famam cedentis non fugillet. L. ult. C. h. r. 2) Ut idem nec in carcerem detrahi, L. 1. C. h. r. nec de reliquis urgeri possit, L. 4. §. 1. ff. h. r. 3) nisi ad meliorem fortunam pervenerit, quamvis & 4) tunc gaudeat beneficio competentiz.

Cessionis effecta.

ria. (§. CCXLIV, \*) L. 4. pr. L. 6. L. 7. ff. b. r. §. ult. *Inst. de act.* 5) Ut possit ante bonorum venditionem cessionis eum poenitere, modo solidum offerat. L. 3. L. 5. ff. L. 2. C. b. r.

## §. CCLIII.

Quid rescriptum moratorium

Quia autem *stabile* hoc est *auxilium*, & *misericordiarum adiutorium*; (§. CCXLVIII.) L. 7. L. 8. C. b. r. etiam id indulgent leges, ut, si quid spei superfit, fore, ut ad meliorem fortunam perveniant, a Principe impetrent RESCRIPTUM MORATORIUM, quod est privilegium, quo obærat, qui de futura solutione satis dederunt, induciæ ad certum tempus, & plerumque ad quinquennium, indulgentur. L. 2. 4. C. de prec. im. offer. L. ult. C. b. r. ex qua lege ultima etiam adparet, impetrato licet hujusmodi rescripto, locum tamen adhuc esse cessionis bonorum. Vid. Zoef. b. r. n. 25. Bachov. ad Treutl. Vol. II. Disp. XXIV. §. IV. Litt. L.

## §. CCLIV.

Usus hodiernus

Non ubivis tamen locorum hoc beneficium indulgetur obærat. Cessat sane in Saxoniam Electorali, ubi debitores nihilominus, urgentibus creditoribus, detruduntur in carcerem, & ibi ex stipè, a prætereuntibus collata, aluntur, nec debitum tamen ideo diminuitur. Carpz. P. II. Const. XXII. def. VIII. IX. XXII. Jure Lubecensi debitor, qui non solvendo est, adjudicatur creditori, sed ita, ut quotidianæ operæ debitum minuant. Mev. *Ad Jus Lub.* 1, 3. 1.

T I T. IV.

Quibus ex causis in possessionem entur.

§. CCLV.

SI debitor sponte sua bonis non cedit creditores, **REI SERVANDÆ CAUSSA**, in bona ejus ire jubentur. (§. CCXXXV.) Idque fit duplici decreto, quod prudentes nostri arg. L. 15. §. 16. ff. damn. inf. **PRIMUM & SECUNDUM** vocant: quorum illud solam custodiam; hoc & vendendi potestatem tribuit.

Missio in bona rei servandæ causa quadruplex ?

§. CCLVI.

In bonorum possessionem ex primo decreto mittimur, si quis iudicio sistendi causa fidejussorem dedit, & tamen neque potestatem sui facit, neque defenditur, L. 1. pr. ff. h. t. sive sine fraude latitet, L. 2. §. 1. ff. h. t. sive apud hostes captivus sit, L. 6. §. 2. ff. h. t. sive nullus ejus heres existat. L. 8. ff. h. t. Eademque possessio & locum habebat, si debitor impubes esset, sed non nisi ad pubertatem. L. 3. §. 1. L. 5. §. 2. 3. ff. h. t.

Ex primo decreto.

§. CCLVII.

Quum vero hæc missio tantum custodiam tribuat, (§. CCLV.) consequens est, 1) ut creditor quidem in bona universa mittatur, L. 1. ff. h. t. nec tamen 2) vel dominus fiat, L. 8. C. de bon. auct. jud. poss. vel 3) fructus & alimenta inde capiat. L. 7. pr. ff. h. t. nec 4) alios creditores non missos excludat, quippe quibus missus simul possidet. L. 14. pr. ff. h. t. 5) Ut bona una cum fructibus for-

Ejus effectus.

rean perceptis restituenda sint, si & post missionem debitor defendatur. *L. 33. §. 1.*

§. CCLVIII.

Ex secundo decreto.

*Ex secundo decreto* in bona ejus iri jubet Praetor, qui fraudationis, id est, fraudandorum creditorum, causa latitat, nec boni viri arbitrato defenditur. *L. 7. §. 1. ff. h. t.* Et tunc in possessionem missis, elapso tempore constituto, jus est, bona in quibus jam pignus consequuti sunt, vendendi. (§. CCLV.) *L. 7. §. 1. 2. sequ. ff. L. 9. C. h. t.*

§. CCLIX.

Ufus hodiernus.

Neutrius missionis hodie frequens usus est: nectamen nullus. Frequentius tamen creditores mitti in bona solent, re jam judicata, eoque facto, bona illa sub hasta venire solent. Modum illum sub hasta distrahendi in Belgio descripsit Ant. Matthæi de *Auctionibus*, in Germania Philippi de *Subhastationibus*. Posthinc, alique pragmatici.

T I T. V.

*De rebus auctoritate judicis possidendis seu vendendis, ( & de privilegiis creditorum. )*

§. CCLX.

Venditio bonorū quomodo fiat?

**D**iximus, bona obrati ac creditoribus, in possessionem missis, vendi. (§. CCLVIII.) Eo venditio fieri debet 1) auctoritate judicis, *rubr. ff. h. t. 2*) In loco, ubi lis mota, *L. 1. L. 2. L. 3. ff. h. t. 3*) plus licitanti, ita, ut creditor cognato,

cognatus extraneo, creditor, cui major pecunia debetur, aliis præferatur. *L. 16. ff. h. r.*

§. CCLXI.

Pretium inde redactum inter creditores \* distribuendum. Quod quum raro sufficiat omnibus: hi de *πρωτοπραξία*, seu prælatione, litigare, & hinc **QUINQUE** classibus disponi solent, in quarum **PRIMA** ita privilegiati, ut præ omnibus iis satisfaciat; in **SECUNDA** hypothecarii privilegiati; **TERTIA** hypothecarii reliqui; in **QUARTA** chirographarii privilegiati; in **QUINTA** chirographarii simplices collocantur.

Collocatio creditorum.

\* Creditores dicimus. Unde extra concursum res suas vindicare possunt, qui eas non tanquam creditum, sed jure dominii petunt, e. g. deponentes, commodantes, lodatores, uxor, repetens res dotales & paraphernales. *L. 24. §. 1. ff. h. r. L. 1. C. de priv. fisc.*

§. CCLXII.

Quam itaque in **PRIMA** classe collocentur, qui ita privilegiati sunt, ut iis præ omnibus satisfaciat; (§. CCLXI.) in eo ordine censei solent 1) impensæ, in litem & inventarium bonorum factæ. *L. ult. §. 9. C. de jur. delib.* 2) impensæ, in funus debitoris, vel eorum, quos sepelire debet debitor, factæ. *L. 17. pr. ff. h. r. L. 45. ff. de relig. sumt. fun.*

Classis prima.

§. CCLXIII.

Quumque in **SECUNDA** classe locum **Secunda** inve-

inveniant hypothecarii privilegiati ; ( §. CCLXI. ) tales ex jure Rom. sunt 1 ) fiscus , ratione debiti primipilaris . L. 4. C. in quib. causf. pign. L. 3. C. de primipilo . 2 ) Idem , ratione tributorum . L. 1. C. si propt. pens. publ. L. 1. C. in quib. causf. pign. vel hypoth. 3 ) Qui crediderunt ad militiam emendam , sibi que de hypotheca prospexerunt . Nov. XCVII. cap. 3. 4 ) Uxor & liberi , ratione dotis ejus que augmenti , L. 12. §. 1. C. qui pot. in pign. Nov. XCVII. cap. 2. seq. non ratione paraphernalium , & donationis propter nuptias . L. ult. C. de pass. conv. L. 12. §. 2. C. qui pot. in pign. 5 ) Qui crediderunt in refectionem ædificii . L. 1. ff. in quib. causf. pign. 6 ) Qui in refectionem navis vel alterius rei , vel emtionem domus crediderunt , non aliter tamen , quam si ibi de hypotheca prospexerint . L. 5. L. 6. C. qui pot. in pign. 7 ) pupillus , cujus pecunia res emta . L. 7. ff. eod. 8 ) Qui sua pecunia aliquem ab hostibus redemit . L. 2. C. de Capt. & postl. 9 ) Fiscus , cui quid ex contractu debetur . L. 28. ff. de jure fisc. L. 6. C. de priv. fisc. 10 ) Dominus soli ratione solarii . L. 15. ff. qui pot. in pign.

\* In hac classe quatuor priores omnibus præferuntur : quatuor sequentes inter se concurrentes pro ratione temporis collocantur. Matth. de Judic. XIX, 10. sequ.

#### §. CCLXIV.

Tertia.

Quum in TERTIA classe sint hypothecarii simplices , ( §. CCLXI. ) iique quo ordine collocandi sunt jam supra ad tit. qui pot. in pign.

pign. dixerimus, quantum satis est. (P. IV. §. XXXI. seqq.) hic ea non repetimus.

§. CCLXV.

Quandoquidem porro **QUARTAM** clas- Quarta.  
sem occupant chirographarii privilegiati ;  
(§. CCLXI.) eo referuntur : ) Respublica  
vel Ecclesia creditrix . L. 38. §. 1. ff. h. t. L. 23.  
C. de SS. eccles. 2 ) Sponsa ratione dotis . L.  
74. ff. de jur. dot. L. 17. §. 1. L. 18. sequ. ff. h. t.  
3 ) Qui ad rem aliam, quam domum, ( §.  
CCLXIII, 6. ) emendam credidit, nec jus  
pignoris accepit . L. 26. L. 34. ff. h. t. 4 ) De-  
ponens, ratione rei depositæ non amplius ex-  
stantis modo usuras non acceperit . L. 24.  
§. 2. ff. h. t. Ceterum sicuti deponens reliquis  
omnibus in hac classe præfertur, & plures  
deponentes inter se pro rata concurrunt ante  
omnes : L. 7. §. 2. 3. ff. depos. ita reliqui om-  
nes concurrunt pro rata sine discrimine tem-  
poris . L. 32. ff. h. t.

§. CCLXVI.

Idem obtinet in **QUINTA** classe . ( §. Quinta.  
CCLXI. ) Nam & simplices chirographarii  
omnes concurrunt simul pro rata, L. 6. C. b. t.  
iisque solus postponitur fiscus ratione mul-  
tæ, ex delicto debitæ . L. 17. L. 37. ff. de  
jure fisc.

§. CCLXVII.

Corollariorum loco observandum, 1 ) usu- Ubi usu-  
ræ le casu  
dz.  
rarum ratione eundem locum obtinere cre-  
ditores, quem obtinent ratione sortis . L. 18.  
ff. qui pot. in pign. 2 ) Eos qui scienter cum  
debitore post susceptum fraudationis consi-  
lium contraxerunt, numero creditorum exi-  
mi,

mi, nec iis eo nomine actionem dari. L. 25.  
ff. h. t.

### §. CCLXVIII.

Ufus ho-  
diernus  
quædam  
diversa  
habet cir-  
ca clas-  
sem pri-  
mam .

Tale jus Romanum . Sed multa hic mu-  
tant mores . Sic in PRIMA classe (§. CCLXII.)  
privilegiatis passim accensentur 3 ) famulo-  
rum mercedes . *Jus prov. Sax. I, 22.* quas in  
in Electoratu Saxonico præferunt ipsis sumti-  
bus funeris , si famuli tempore mortis in con-  
victu debitoris fuerint , & certam sibi merce-  
dem stipulati sint . *Carp. P. I. Const. XXVIII.*  
*def. 24. sequ. 4 )* Onera magistratui debita .  
5 ) Annui redditus privatis debiti . 6 ) Pec-  
uniæ hereditariæ . 7 ) Pecuniæ , ex venditio-  
ne vel alio contractu statu distinctisque tem-  
poribus præstandæ . Vid. *Brunn. de Proc. Con-*  
*curs. cred. V, 18. seq.*

### §. CCLXIX.

Secun-  
dam &  
quartam.

Quod ad SECUNDAM classem (§. CCLXIII.) attinet : Saxones uxorem ratio-  
ne dotis iis quidem præferunt , quibus est hy-  
potheca tacita , non quibus expressa consti-  
tuta , si hæc tempore sit prior . *Carpz. P. I.*  
*Const. XXVIII. def. 64.* In QUARTAM clas-  
sem (§. CCLXV.) passim etiam referunt , ali-  
menta non expreso fundo legata , soltra ,  
salaria advocatorum , præceptorum , instito-  
rum , ea , quæ sine usuris , veluti frumentum  
ad alimenta , credita , vel oves possessori  
prædii rustici venditas . *Brunnem. ibid. V, 61.*  
*sequ.* Immo & venditor ratione residui pre-  
tium in Saxonia ad hanc classem pertinet , quam-  
vis sibi de hypotheca non pro spexerit . *Carpz.*  
*P. I. Const. XXVIII, def. 154.*

### §. CCLXX.

§. CCLXX.

Est præterea, ubi fiscus etiam ratione mul-  
tæ debitæ habet tacitam hypothecam, vel-  
uti in Saxonia & ducatu Magdeburgico. Et,  
ubi usuræ non in eadem classe, ubi fors,  
locantur, Struv. h. t. §. 58. Carpz. *ibid.*  
*Def. 160. sequ.* Si usquam, hic sane dili-  
genter consulenda sunt locorum singulorum  
statuta.

Quintam  
& ratio-  
ne usura-  
rum.

T I T. VI.

De separationibus.

§. CCLXXI.

**B**onis abæratî creditoribus raro sufficien-  
tibus; tria ipsi concessa sunt beneficia,  
inter quæ primum locum **S E P A R A T I O**  
obtinet, quæ nihil aliud est, quam patri-  
moniorum, per hereditatem confusorum,  
distinctio. Quum enim aliquando & defun-  
ctus & heres ære alieno premantur, bonis-  
que confusis creditores hereditarii videant,  
sibi satisfactum non iri: Prætor rogatus id  
illis beneficii indulget, ut bona defuncti a  
bonis heredis separentur, & illa solis cre-  
ditoribus hereditariis relinquuntur: L. 1. §. 1.  
*ff. h. t.*

Quid se-  
paratio?

§. CCLXXII.

Ex hac *separationis* inventæ causa satis pa-  
tet, 1) id beneficium habere creditores he-  
reditarios, etiam quibus ex die vel sub con-  
ditione debetur, L. 4. *pr. ff. h. t.* etiam 2)  
legatarios, & fideicommissarios, L. 6. *pr.*  
*Hein. Pand. T. II. L. I.*

Quis id  
beneficiū  
impetret?

L. 1. §. 1. 2. ff. h. t. 3) modo id desiderent, L. 1. pr. ff. h. t. intra quinquennium. L. 1. §. 13. ff. h. t. & re adhuc integra, L. 2. eod. adeoque 4) quibusdam petentibus, his solis id prodesse. L. 1. §. 16. ff. h. t. 5) Creditoribus heredis hoc beneficium non dari, quamvis aliquando ob justam causam in integrum restituantur. L. 1. §. 5. ff. h. t. 6) Impetrata semel separatione, creditores hereditarios ad heredem sine justissima causa reverti non posse, quamvis contra, si quid superest ex bonis defuncti, id creditoribus heredis merito profit. L. 1. §. 17. L. 3. §. 2. L. 5. ff. h. t.

## §. CCLXXIII.

Quem effectum habeat, & quem modo de cesset? Ex eadem ratione haud obscurum est, 1) impetratae separationis eum esse effectum, ut non aliter creditoribus defuncti ex solis bonis hereditariis satisfiat, ac si adita non esset hereditas. L. 1. §. 6. L. 5. ff. h. t. L. 1. §. 1. L. 7. C. de bon. auct. jud. poss. 2) Cessare separationem, si vel creditores fidem heredis sequuti, pignus ab eo vel fidejussorem acceperint, L. 1. §. 10. 11. 15. ff. h. t. vel bona hereditaria bonis heredis ita mixta sint, ut separari nequeant. L. 1. §. 12. ff. h. t.

## §. CCLXXIV.

Ufus hodiernus. Utilissimum hoc remedium etiamnum in foro frequentari, nemo dubitat. Quin immo quibusdam locis nulla praescriptio illi obstat, veluti in Pomerania & Ducatu Mecklenburgico. Quemadmodum etiam in jure nostro occurrit quasi separatio, si, qui filiofam. militanti credidit, peculium castrense separari, seque in eo creditoribus, qui ante mili-

militiam crediderunt, præferri postulat: L. 1. §. 9. ff. h. t. ita & alias species quasi separationis receptas videmus, veluti diversarum tabernarum mercatoris; ut ex ea mihi satisfiat, cujus contemplatione credidi. arg. L. 5. §. 15. de trib. act. Vid. Brunnem. Proc. Conc. Cred. V, 12. & ad d. L. 5. ff. de trib. act. n. 2.

T I T. VII.

De curatore bonis dando.

§. CCLXXV.

**C**reditorum bono introducta etiam est **CURATIO BONORUM**. Curator bonorū. Quum enim **CURATOR** rei detur: (P. IV. §. CCCXCVIII, 1) non absurdum etiam est, bona debitoris mortui, vel absentis, vel ejus, qui bonis cessit, a curatore administrari. L. 1. ff. h. t. Est autem hæc *curatio* non munus publicum, sed privatum, adeoque a curatione minorum in quibusdam differt.

§. CCLXXVI.

Quum ergo curator bonorum munus mere Quis curatorem hunc eligit, & quis constituitur? privatum obeat; (§. CCLXXV.) consequens est, 1) ut perinde sit, sive magistratus curatorem constituat suffragio majoris partis creditorum, L. 2. §. 1. ff. h. t. sive ipsi creditores eum eligant. L. ult. ff. h. t. L. 8. §. ult. ff. de reb. auct. jud. poss. 2) Ut possit & aliquis ex creditoribus eligi; L. 2. §. 4. ff. h. t. immo 3) & plures, qui tunc in solidum & agunt & conveniuntur, nisi per regiones fuerint constituti. L. 2. §. 2. L. 3. ff. h. t. 4) Ut nemo,

nisi urgente necessitate, invitus constituatur.  
L. 2. §. 3. ff. h. t.

### §. CCLXXVII.

Ejus mu-  
nus & ob-  
ligatio.

Quumque curatoris sit bona administrare: (§. CCLXXV. ) consequens est, 1 ) ut teneatur ad inventarium conficiendum, L. 15. ff. de reb. auct. jud. poss. 2 ) ad satisfactionem, L. 3. C. de postlim. rev. 3. ad custodiam & administrationem, L. 1. §. 17. 22. ff. de ventr. insp. 4 ) & ad reddendas rationes. L. 1. C. ubi de rat. 5 ) Ut debitori ad culpam latam; L. 9. §. 3. 5. ff. de reb. auct. jud. poss. creditoribus ad levem etiam præstandam teneatur. L. 1. §. 22. ff. de ventr. in poss. mitt. 6 ) Ut a debitore & nomine actione in factum; a creditoribus actione mandati, vel negotiorum gestorum, conveniri possit. L. 9. §. 3. 5. ff. de reb. auct. jud. poss. L. 1. §. 22. de ventr. in poss. mitt.

### §. CCLXXVIII.

Quis cō-  
tradictor?

Ex eodem patet, 7 ) Curatorem bonorum non teneri, causam debitoris in judicio agere. Et inde est, quod multis locis constitui solet **CONTRADICTOR**, quem vocant, qui creditoribus exceptiones, si quæ sint, opponat. Enimvero, quum ita sumtus au-geantur, sæpe etiam id officium injungitur curatori bonorum Brunnem Proc. Conc. Cred. l. 10. seq.

T I T. VIII.

Qua in fraudem creditorum facta sunt,  
ut restituantur.

§. CCLXXIX.

**P**ostremum beneficium concessum credi-  
toribus est REVOCATIO eorum, quae  
in fraudem sui alienata sunt a creditoribus.  
Edixerat enim Praetor, quae fraudationis caus-  
sa cum eo, qui fraudem non ignoraverit, ge-  
sta fuerint, de his se curator bonorum, vel cre-  
ditoribus, intra annum utilem actionem datu-  
rum. L. 1. pr. ff. h. t.

Revoca-  
tio eorū,  
quae in  
fraudem  
credito-  
rum alie-  
nata.

§. CCLXXX.

Ex hoc autem edicto inferimus, 1) hic  
quoque ut in manumissione in fraudem cre-  
ditorum facta, (Inst. §. CXVII.) & affe-  
ctum & affectum requiri. L. 1. §. 2. L. 17. §.  
1. L. 10. §. 1. ff. h. tit. 2) Ut in edictum inci-  
dant quicumque quidquam agunt, quo cre-  
ditoribus aliquid decedat. L. 1. §. 2. L. 2. sequ.  
ff. h. t. 3) Ut non pertineat ad edictum, si de-  
bitor, quod acquirere poterat, non adquisi-  
vit. L. 6. pr. §. 1. seq. ff. L. 3. C. h. t. L. 119. L.  
134. pr. ff. de reg. jur.

Quo caso  
locum  
habeat?

§. CCLXXXI.

Ex eodem patet, 4) actionem a Praetore  
promitti adversus eos, qui scientes, in frau-  
dem creditorum alienationem fieri, rem ac-  
ceperunt: L. 6. §. 8. ff. h. t. adeoque 5) non  
teneri, qui quid in solutum accepit, probe  
sciens, jura vigilantibus esse scripta, L. 1.  
§. 7. 8. L. 10. §. 16. L. 24. ff. h. tit. nec 6)

Aquis  
revocan-  
tur?

qui scientibus creditoribus emit. *L. 1. §. 9. ff. h. t. 7*) Eum, qui titulo lucrativo rem accepit, semper posse conveniri, quamvis fraudis conscius non fuerit. *L. 6. §. 11. ff. h. t.*

§. CCLXXXII.

Quamdiu?

Quumque intra annum utilem actionem polliceatur Prætor; (§. CCLXXIX.) consequens est, 8) ut hic annus computetur a tempore factæ alienationis. *L. 10. §. 18. ff. h. t. 9*) Ut fundamento destituatur sententia eorum, qui titulo lucrativo alienata intra XXX. annos revocari posse arbitrantur. *Carpz. Part. II. Const. III. def. 20. n. 4.*

§. CCLXXXIII.

Actio Paulliana.

Ad revocationem hanc comparata est **ACTIO IN FACTUM PAULLIANA**, quam Justinianus actionibus in rem Prætoriiis accenset, §. 6. *Inst. de act. competens creditoribus, eorumque heredibus, in possessionem missis, L. pen. C. h. t. vel curatori bonorum, (§. CCLXXIX.) adversus possessores fraudis conscios, ad res, in fraudem creditorum alienatas, cum omni causa restituendas. §. 6. Inst. de act.*

§. CCLXXXIV.

Interdictum fraudatorium.

Eodem comparatum est **INTERDICTUM FRAUDATORIUM**. *L. 67. §. 1. ff. ad SC. Treb. L. 96. de solution.* nisi quod illo non tam rem, quam ejus possessionem persequimur, una cum fructibus, qui tempore alienationis fundo cohærebant. *L. 10. L. ult. §. 4. 6. ff. h. t.*

L I B E R XLIII.

T I T. I.

De interdictis, sive extraordinariis actionibus, quæ pro his competunt.

§. CCLXXXV.

**L**iber totus XLIII. de INTERDICTIS agit, quæ olim ab actionibus multam differebant. Nam his non petebat actor a magistratu, ut statim aliquid impetraret vel prohiberet: sed jus suum exponebat, rogabatque, ut iudex de facto cogniturus daretur. At in INTERDICTIS statim rogabatur Prætor, ut jubendo vetandove interdiceret: & si negaret altera pars, recte interpositum esse interdictum, iudex, qui ea de re cognosceret, dabatur, atque ita res redibat ad iudicium ordinarium. Vid. V. C. Ant. Schult. *Juris p. vet. antejustin.* p. 453. Jan. a Costa *ad pr. Inst. h. t.*

Interdictorum differentia ab actionibus.

§. CCLXXXVI.

Itaque INTERDICTA olim erant formulæ & conceptiones verborum, quibus Prætor \* aliquid fieri jubebat, vel prohibebat. *pr. Inst. h. t.* Hodie autem, sublato Prætoris & iudicum discrimine, INTERDICTA sunt actiones extraordinariæ, quæ pro impetranda jussione vel prohibitionem Prætoris competunt. *S. ult. Inst. h. t. rubr. ff. h. t.*

Eorum definitio.

\* Sunt tamen etiam, quæ non Prætori, sed ipsis Imperatoribus originem debent, veluti

ex L. 5. & seqq. C. unde vi L. I. C. si per viam  
L. ult. C. de adq. poss.

### §. CCLXXXVII.

Divisio-  
ret.

Fundamentum interdictorum omnium est possessio, vel quasi possessio. \* Quæ quum non sit jus in re: (§. CXCIX.) facile patet, nullum interdictum esse in rem: sed omnia in personam concepta. \*\* L. 1. §. 3. ff. h. r. Unde rectius interdicta dividuntur I. in EXHIBITORIA, PROHIBITORIA: & RESTITUTORIA: II. in interdicta RETINENDÆ, ADIPISCENDÆ, & RECUPERANDÆ POSSESSIONIS, quorum omnium discrimen ex ipsis vocabulis elucet; ac demum III. in SIMPLICIA, in quibus alteruter tantum; & DUPLICIA, in quibus uterque actoris vel rei vice fungi posset. L. 1. §. 1. L. 2. princ. §. 3. ff. §. 1. 2. ult. Inst. h. r.

\* Sunt quidem *interdicta*, quæ & causam proprietatis continere dicuntur, veluti de itinere, ætque privato, quæ de locis sacris & religiosis proponuntur, item illa de liberis exhibendis, & de aqua quotidiana & æstiva. L. 2. §. 2. ff. h. r. L. 3. §. 11. seq. de itin. æt. priv. L. 1. §. ult. de aqu. quot. & æstiv. Sed id tantum intelligendum per consequentiam. Possessio vel quasi possessio est & horum interdictorum fundamentum, quamvis is tantum vincat, qui jus, de cujus usu agitur, ad se pertinere ostenderit. Vinn. ad. pr. Inst. h. r. n. 2.

\*\* Excipiendum *interdictum de itinere ætque privato*, teste Ulpiano L. 3. §. 13. ff. de itin. æt.

act. priv. Sed hæc ipsa exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Sane nec *interdicta quorum bonorum*, nec *Salvianum*, nec *uti possidetis & ut rubi* in rem esse jam docuit celeberrimus Huber. *Prælecti ad Instit. h. t. §. VII.*

T I T. II.

*Quorum bonorum.*

§. CCLXXXVIII.

**P**rimo edixerat Prætor: **QUORUM BONORUM** Interdictum si quorum bonorum restitutum. *ex edicto suo alicui possessio data sit, id se ei restitui iussurum. L. 1. pr. ff. h. t.* Inde nascitur interdictum, quod a verbis edicti initialibus **QUORUM BONORUM** adpellatur. Ejus fundamentum non est jus hereditarium, vel civile, vel Prætorium: sed bonorum possessio, sine re data. \* Unde nec jus hereditarium persequimur, sed possessionem. Huber. *Prælect. ad Inst. IV, 15. 7.*

\* Et in eo differt ab hereditatis petitione possessoria, qua ipsum jus hereditarium una cum re persequimur. (P. II. §. LXVII. seqq.)

§. CCLXXXIX.

Est itaque interdictum restitutorium & adipsiscendæ possessionis, (§. CCLXXXVII, 1.) Ejus descriptio. competens ei, cui bonorum possessio, data contra eum, qui pro herede, vel pro possessore possidet, (P. II. §. LXV. \*) ad conse-

quandam rerum hereditariarum possessionem. (§. CCLXXXVIII.) *L. 1. pr. ff. h. t. § 3. Inst. de interd.*

## §. CCXC.

**Remedium ex L. ult. C. de editto D. Hadr. toll.** Ad fine huic interdicto est remedium ex *L. ult. C. de editto D. Hadr. toll.* quo scriptus heres, si testamentum nullo visibili vicio laboret, petit, ut mittatur in possessionem hereditatis, quaestione de jure hereditario in aliud tempus rejecta.

## T I T. III.

*Quod legatorum.*

## §. CCXCI.

**Interdicti quod legatorum fundamentum.**

**D**iximus supra, (P. V. §. CCXXXI, 2.) speciei legatae dominium ipso jure ad legatarium transire statim a morte testatoris. Quandoquidem tamen possessio non potest apprehendi a legatario, sed tradenda est ab herede, ne forte is quarta Falcidia defraudetur; (P. V. §. CCXII.) hinc Praetor edixit: **QUOD LEGATORUM** nomine quis possidet, dolove desit possidere, non ex voluntate ejus, ad quem res pertinet, si satis datum sit, id se restitui jussurum. *L. 1. pr. §. 2. 7. 11. 16. ff. h. t.*

## §. CCXCII.

**Ejus descriptio.** Quare hoc est interdictum restitutorium & adipiscendae possessionis, (§. CCLXXXVII, 1.) competens heredi, vel bonorum possessori, qui de solvendis legatis vel fideicommissarium, qui rem legatam invito herede

occu-

occupavit, ad eam restituendam, præstandumve, quod interest. L. 1. §. 2. ff. L. 112. C. h. t. L. 2. §. 1. ff. eod.

## T I T. IV.

*Ne vis fiat ei, qui in possessionem missus erit.*

## §. CCXCIII.

**S**æpe Prætorem variis ex causis aliquos misisse in possessionem, supra vidimus. (§. CCLV. seqq.) Sive autem missus non admittatur, sive admissus in possessione turbetur, sive in possessione constitutus deiciatur: Prætor dat interdictum, primo casu prohibitorium & adipiscenda; secundo prohibitorium & retinenda; tertio restitutorium & recuperanda possessionis. Omnibus autem casibus, in factum iudicium, quanti ea res fuerit, ob quam missus est, se daturum, promisit.

Interli-  
Et ne vis  
fiat de  
natura.

## §. CCXCIV.

Itaque hoc interdictum datur misso in possessionem, si vel non admissus, vel turbatus, vel dejectus sit, ejusve heredi, L. 1. §. 8. ff. h. t. adversus eum, qui dolo malo facit, quominus quietem possideat, non adversus ejus heredes, nisi quis legatorum, vel fideic. servandorum causa missus sit, vel aliquid ad eos pervenerit, L. 1. §. ult. ff. h. t. ad id, quantum actoris interest, possessionem habere L. 1. pr. §. 5. ff. h. t.

Ejusdem  
descri-  
ptio.

## §. CCXCV.

Hodie mandata pœnalia procul dubio decernerentur, iisque susque deque habitis,

Ufus ho-  
dierus.

manu militari missus induceretur in possessionem. Quod & olim factitatum esse, patet ex *L. 3. pr. ff. h. t. L. 1. §. 2. ff. si veatr. nom.*

## T I T. V.

*De tabulis exhibendis.*

## §. CCXCVI.

Interdi-  
cti de tab.  
exh. di-  
scrimen  
ab actio-  
ne ad ex-  
hib.

**Q**UOD nostrum est, id exhiberi nobis petimus actione AD EXHIBENDUM; (P. II. §. CCXXXVII.) idque etiam in tabulis testamenti obtinet, si illæ ad nos jure domini pertineant. *L. 3. §. 5. ff. h. t. L. 3. §. 8. ff. ad exhib.* At si cujus interest introspicere tabulas, ad quem eæ non pertinent: Prætor se illas exhiberi interdicto jussurum pollicitus erat. *L. 1. pr. ff. h. t.*

## §. CCXCVII.

Ejus de-  
scriptio.

Itaque hoc interdictum exhibitorium (§. CCLXXXVII, 1.) datur omnibus, quorum interest, veluti legatariis, fideicommissariis, eorumque heredibus, *L. 3. §. 7. 10. ult. ff. h. t.* adversus quemcumque possessorem, etiam ædituum, *L. 3. §. 3. eod.* eumve, qui dolo malo possidere desiit, *d. L. 3. §. 6. ff. h. t.* ad tabulas exhibendas, illudve, quod interest. *L. 3. §. 11. seq. ff. h. t.*

## T I T. VI.

*Ne quid in loco sacro fiat.*

## §. CCXCVIII.

Interdi-  
ctum ne  
quid in  
sacro.

**L**OCA sacra, sancta, religiosa adeo occupare videbatur religio, ut in ea nihil immic-

immitti posse crederetur, (P. I. §. CLXXXV, 2. §. CLXXXVII, 4. §. CLXXXVIII, 4.) maxime quod non ad ornamentum, sed ad deformitatem pertineret, L. 1. §. 2. ff. h. t. Si quid ergo immissum esset, Prætor hoc interdicto prohibitorio (§. CCLXXXVII, 1.) id vetabat. L. 1. pr. ff. h. t. Unde facile patet, hoc interdictum cuilibet ex populo dari.

T I T. VII.

De locis itineribus publicis.

§. CCXCIX.

**V**ia veteribus erant vel **PRIVATÆ**, quarum solum alienum est, sine ex servitute per vicini agrum, sive a via publica ad agros muniantur; L. 2. §. 21. 23. ff. h. t. vel **PUBLICÆ**, quarum solum publicum est, eo sine publicatum, ut ea publice iretur, commearetur. \* L. 2. §. 21. 22. ff. h. t.

Via publice & private.

\* Harum alia erant *Βασίλειαι*, regales, militares, consulares, prætoriae, quæ publice muniantur, & auctorum nomina obtinent & curatores accipiunt, & per redemptores muniantur. Sic Flacc. de condit. agr. alia vicinales, quæ in vicis erant, vel in vias ducebant, quæ & ipsæ, si non ex collatione privatorum fierent, publicæ habebantur. d. L. 2. §. 22. ff. h. t.

§. CCC.

Quum itaque usus viarum publicarum omnibus patere debeat, (P. I. §. CXC.) & non

Interdictum de viis publicis.

& non utendo hoc jus nunquam amittatur: *L. 2. ff. h. t.* Prætor eo nomine cuivis ex populo dabat interdictum *de locis & itineribus publicis* adversus prohibentem, ad id, ut locis his & itineribus publicis uti liceret. *L. 1. ff. h. t.*

## T I T. VIII.

*Ne quid in loco publico vel itinere fiat.*

## §. CCCI.

Interd-  
icta ne  
quid in  
loco pu-  
blici vel  
itin.

**S**imilia quodammodo sunt quatuor interd-  
icta ad loca & itinera publica pertinen-  
tia, quorum unum *restitutorium*, reliqua  
*prohibitoria* sunt. Nam edixerat Prætor; I.  
*Ne quid in loco publico fieret, vel in eum lo-  
cum immitteretur, quæ ex re damni quid illi  
detur, præterquam quo lege SCo edicto decreto-  
ve Principum alicui concessum sit. L. 2. pr. §.  
1. sequ. ff. h. t.* II. *Ne quid in via publica ex-  
tra urbem, (L. 2. §. 24. ff. h. t.) itinereve  
publico fieret, immittereturve, quo ea via id-  
ve iter deterius fiat. L. 2. §. 20. ff. h. t.* III.  
*Ut quod in via publica factum immissum quis  
habet, \* quo via illa iterve deterius sit, re-  
stituat. L. 2. §. 35. sequ. ff. h. t.* IV. *Ut ne  
cui vis fiat, quo minus ei via publica vel iti-  
nere ire, agere, liceat. L. 2. §. 45. ff. h. t.*

\* Datur enim contra possessorem hujusmodi operis, eumve, qui dolo malo possidere desit, non contra eum, qui fecit, vel immisit. *L. 2. §. 37. 38. 42. ff. h. t.*

TIT. IX.

De loco publico fruendo.

§. CCCII.

**L**Oca publica hic sunt agri publici & municipales, alicui pro certis vectigalibus locati. (P. II. §. XCVII. \*) Quorum conductores defensusus Prætor, vim fieri ventuerat, quo minus loco publico, quem is, cui locandi ius fuerit, fruendum alicui locaverit, conductori sociove ejus e lege locationis frui liceat. L. I. §. 3. ff. h. t.

Interdictum de loco publico fruendo.

TIT. X.

De via publica, & si quid in ea factum esse dicatur.

§. CCCIII.

**I**nterdicta de viis & itineribus publicis supra (§. CCXCIX. sequ.) exposita ad vias publicas atque itinera extra urbem pertinet. Jam porro de viis urbicis proposuerant Aediles Curules (P. I. §. LXXII.) primo interdictum prohibitorium: Nequis viam publicam effodiat, subruat, vel in ea quid construat: deinde & restitutorium: Ne quis in viam publicam stercorea, morticina, coria, similiave projiciat, vel si quis contra fecerit, ut restituat. L. un. §. 2. ff. h. t.

Interdicta de via publica, & si quid in ea factum sit.

## T I T. XI.

*De via publica & itinere publico reficiendo.*

## §. CCCIV.

*Interdi-  
ctum de  
via publ.  
reficien-  
do.*

**Q**UUM porro reip. interfit, vias publicas & itinera per urbes refici, & uniuscujusque esset, vias publicas secundum propriam domum construere: *L. un. §. 3. ff. de via publ. & si quid in ea fact. visum est Prætori, vim fieri vetare illi, qui viam publicam iterve publicum aperire, id est, ad veterem altitudinem latitudinemve restituere, purgare, id est, ad libramentum proprium redigere, &, quod super eam esset, tollere, & reficere, velit, dumne ea via idve iter deterius fiat. L. 1. ff. h. t.*

## T I T. XII.

*De fluminibus, ne quid in flumine publico ripave ejus fiat, quo pejus navigetur.*

## §. CCCV.

*Interdi-  
cta de flu-  
minibus.*

**H**ACTENUS viis atque itineribus publicis Prætor consuluit, jam pergit ad *flumina publica*, (de quibus solis hæc interdicta agunt, *L. 1. §. 4. ff. h. t.*) de quibus primum interdictum proposuit, *prohibitorium*; *Ne quid in flumine publico ripave ejus fiat immittaturve, quo statio iterve navigio deterior sit. L. 1. pr. §. 1. seq. ff. h. t.* deinde *restitutorium*: *Ut, quod in flumine publico ripave ejus factum immissumve habetur, quo statio iterve navigio deterior sit, restituatur. L. 1. §. 19. ff. h. t.*

**T I T. XIII.**

*Ne quid in flumine publico fiat, quo aliter aqua  
fluat; neque uei priori astate  
fluxit.*

**§. CCCVI.**

**S**uperiore edicto, ne navigationi mora fie- Interdi-  
cta ne  
quid in  
flumine  
publ. fiat.  
ret, prouiderat Prætor. Jam, ne de-  
riuationibus minus concessis flumina exare-  
scant, vel mutatus alveus vicinis injuriam  
adferat, cavet. *L. un. §. 2. ff. h. t.* Eo enim  
comparata sunt bina interdicta, quorum alte-  
ro prohibitorio cavetur: *Ne quid in flumine publi-  
co ejusque ripa fiat, immittaturve, quo aliter  
aqua fluat quam priore astate fluxerat. d. L. un.  
pr. h. t.* altero restitutorio: *Ut, si quid hujusmodi  
factum immissumve habeatur, id restituatur.  
L. un. §. 17. sequ. ff. h. t.*

**T I T. XIV.**

*Ut in flumine publico navigare liceat.*

**§. CCCVII.**

**N**on solum qui deteriorem reddit navi- Interdi-  
ctum ut  
in flum.  
publ. na-  
vig. lice-  
gationem, male reip. consulit; (§. CCCV.)  
verum etiam, qui quem in flumine publico  
navigare prohibet. Unde interdictum  
prohibitorium proposuerat Prætor: *Ne quis  
in flumine publico navem ratem agenti,  
vel per ripam onerare & exonerare volenti,  
vim faciat, usque per lacum, fossam, stagnum  
publicum navigare liceat. L. un. pr. ff. h. t.*

## T I T. XV.

*De ripa munienda.*

## §. CCCVIII.

Interdi-  
ctum de  
ripa mu-  
nienda.

**N**E flumina exundatione vicinis agris noceant, Prætor cuivis prædii possessori ripam munire concedit, & id conanti vim fieri vetat, dumne ob id navigatio deterior fiat, modo & amuniente vicinis, & trans flumen possidentibus ante opus factum \*) damni infecti in annos decem viri boni arbitrati causam satisfæ datum sit. *L. un. pr. §. sequ. ff. h. t.*

\* Nam jam factò opere, non locus est huic interdicto, sed ob damnum postea datum ex lege Aquilia experiendum est. *L. un. §. 5. ff. h. t.*

## T I T. XVI.

*De vi & de vi armata.*

## §. CCCIX.

Conne-  
xio.

**Q**UÆ hætenus proposita sunt, interdicta ad res sacras, publicasve pertinent. Sequuntur quædam ad res privatas immobiles, & jura recuperanda, retinendave comparata. Inter quæ primum est DE VI ET VI ARMATA, seu, ut in Codice & Institutionibus a verbis initialibus vocatur, interdictum UNDE VI.

## §. CCCX.

Interdi-  
cti unde  
vi ratio.

Quamvis enim possessio sit jus momentaneum,

neum, reque ablata exspiret; (§. CXCIX.) iniquum tamen Prætori visum est, eum, qui vi possidentem dejecit, ex delicto suo fructum capere, atque hinc edixit, **UNDE VI** *quis ejusve familia dejecerit, se de eo, quæque ille tunc ibi habuit, intra annum, post annum de eo, quod ad dejicientem pervenit, judicium daturum. L. 1. pr. ff. h. t.*

§. CCCXI.

Unde axiomata : I. Interdictum hoc pertinet ad res immobiles. (§. CCCIX.) II. Datur dejecto adversus dejicientem, occasione delicti. (§. CCCX.) III. Intra annum in solidum, post annum in id, quod ad dejicientem pervenit. (§. CCCX.)

De eo axiomata.

§. CCCXII.

Quum itaque hoc interdictum ad res immobiles pertineat; (§. CCCXI, 1.) consequens est, 1) ut de rebus mobilibus ablati vel furti, vel vi bonorum raptorum agendum sit. L. 1. §. 6. 7. ff. h. t. 2) Ut tamen recte etiam hoc interdicto utamur, si usufructu deiciantur. L. 9. §. 1. ff. h. t.

De quibus rebus datur

§. CCCXIII.

Ex altero axioma (§. CCCXI, 2.) patet, 1) non interesse, sive is, qui hoc interdicto utitur, naturali sive civili, sive iusta sive injusta possessione dejectus sit. L. 1. §. 9. 10. 22. 24. 30. ff. h. t. 2) Ut non detur dejecto procuratori vel colono, L. 1. §. 22. L. ult. ff. h. t. multoque minus 3) liberis contra parentes, vel liberos liberosque decet, (§. XLIII, 3.) nisi vis sit armata. L. 1. §. 43.

Cui ?

ff. h. t.

260 *Pand. Lib. XLIII. Tit. XVI.*  
*ff. h. t. 4)* Recte tamen hoc interdicto experi-  
ri heredes dejecti. *L. 1. §. 44. ff. h. t.*

### §. CCCXIV.

Contra  
queni ?

Ex eodem axioma colligimus, 5) inter-  
dictum hoc dari adversus omnem dejicien-  
tem, sive ipse dejecerit, sive, per alium, *L.*  
*1. §. 12. ff. h. t.* sive alterius factum ratum ha-  
buerit. *L. 1. §. 14. ff. h. t.* sive familia injussu  
domini dejecerit. *L. 1. §. 15. seq. ff. h. t. 6)*  
Si verus procurator dejecerit, cum eo æque  
ac domino; sin falsus, cum hoc solo agen-  
dum esse. *L. 1. §. 13. ff. h. t. 7)* Non agi pos-  
se cum herede, nisi in quantum ad eum per-  
venerit, *L. 1. §. ult. L. 2. ff. L. 2. C. h. t.* mul-  
toque minus 8) cum tertio, *L. 7. ff. h. t.* vel  
9) cum iis, qui jure suo usi dejicientem in  
continenti rursus dejecerunt, *L. 3. §. 9. ff. h. t.*  
aut vim vi repulerunt. *L. 12. §. 1. ff. quod  
met. causis.*

### §. CCCXV.

Aliquid?

Denique extertio axioma (*§. CCCXI,*  
*3.)* fluit 1) intra annum utilem non solum  
possessionem restituendam, sed & res mobi-  
les, quæ in fundo fuerunt, etiam alienas, ve-  
luti depositas, commodatas, oppignoratas,  
*L. 1. §. 32. seq. L. 19. ff. h. t.* adeo, ut 2) et-  
iam res, quas dejiciens non possidet, vel  
quæ postea ibi esse desierunt, e. g. peco-  
ra post dejectionem demortua, restituendæ  
sint. *L. 1. §. 34. seq. ff. h. t. 3)* Post annum  
non nisi, quod ad dejicientem pervenit, es-  
se restituendum. *L. 1. §. 15. 19. L. 3. §. 12.  
ff. h. t.*

### §. CCCXVI.

§. CCCXVI.

Quæ quum ita sint , UNDE VI est interdicitum recuperandæ possessionis , ( §. CCCIX. ) competens ei , qui de possessione rei immobilis vi dejectus est , ( §. CCCXII , sequ. ) ejusve heredi , ( §. CCCXIII , 4. ) adversus dejicientem , sive per se , sive per alium , ( §. CCCXIV , 5. ) non adversus heredem tertiumve possessorem ( §. CCCXIV , 7. 8. ) intra annum ad possessionem fundi cum rebus , quæ tunc ibi fuerunt , restituendam , post annum in id , quantum ad dejicientem pervenit . ( §. CCCXV. )

Interdictum  
huius  
descrip-  
tio .

§. CCCXVII.

Ad fine remedium est ex jure canonico , & speciatim ex *canone redintegranda 3. causss. 3. qu. 1. juncto cap. 18. X. de restit. spoliat.* quod tamen ab illo interdicto in eo discrepat , quod 1 ) hoc de re tantum immobili , illud & de mobili ; 2 ) hoc adversus dejicientem , illud adversus quemcumque possessorem datur . Vid. Ziegl. *tract. sing. ad can. redintegr.*

Remediū  
ex canone  
redinte-  
granda .

§. CCCXVIII.

Adeo verum est , neminem dejici posse de possessione , ut ne dominus quidem sibi jus manu dicere , \* remque suam alteri vi eripere possit , sed is , qui id ausus fuerit , rerum suarum dominium amittat . *L. exstat. 13. ff. quod met. causss. L. si quis in tantum 7. C. unde vi .* Unde & pignus propria auctoritate occupare nefas est , quantumvis creditori eam facultatem promiserit debitor . *L. 3. C. de p. gn.* Prius tamen in Saxonia non obtinere docet Carpzov. *Part. IV. Const. XXXV. def. XI.*

An do-  
mino li-  
ceat rei  
sue pos-  
sessionē  
occupare ?

## T I T. X V I I.

*Uti possidetis.*

## §. CCCXIX.

*Interdi-  
ctum uti  
posside-  
tis.*

**N**on solum dejecto de possessione con-  
sulit Prætor, sed & ei, qui in quietâ  
possessione turbatur. Edixerat enim Prætor,  
I. *uti fundum nec vi nec clam nec precario al-  
ter ab altero possideat, quo minus ita possideat,  
se vim fieri vetitulum.* II. *De cloacis se hoc  
interdictum non daturum.* III. *Non pluri,  
quam quanti res est, intra annum utilem se  
agi permissurum.* L. 1. pr. ff. h. tit.

## §. CCCXX.

*Ejus de-  
scriptio.*

Itaque hoc interdictum, retinendæ pos-  
sessionis est duplex, (§. CCLXXXVII.) da-  
tur ei, qui rem immobilem, vel jus, præ-  
ter cloacam, nec vi, nec clam, nec pre-  
cario tempore litis contestatæ ab altero pos-  
sidet, vel quasi possidet, contra turbantem,  
ad retinendam possessionem, præstandum  
id, quod interest, & cautionem de non am-  
plius turbando. L. un. C. h. t.

## §. CCCXXI

*Possesso-  
rium or-  
dinatum  
& sum-  
marissim-  
um.*

In foro hoc interdictum obtinet sub no-  
mine *possessorii ordinarii*. Nam & in hoc de  
possessione antiquiore & minus vitiosa reti-  
nenda agitur. Ab eo distinguunt *posse-  
sorium summarissimum*, ideo inventum, ne  
litigantes de dubia possessione ad arma ruant,  
in quo non quæritur, quis nec vi, nec clam  
nec precario possideat; sed uter ultimum  
actum

actum possessorium exercuerit? De modo utriusque instituendi fusius actum a Jac. Friedr. Ludovici in *Introd. ad Process. civil. Cap. II. §. 1. 21.*

T I T. X V I I I.

De superficiebus.

§. CCCXXII.

**Q**uemadmodum interdictum *uti possidetis* ad res immobiles ac incorporales omnes pertinet; (§. CCCXX.) ita & speciatim de SUPERFICIEBUS edixerat Prætor, *uti quis ex lege locationis superficie nec vi nec clam, nec precario fructus sit, ita quo minus fruatur, se vim fieri vetitutum. L. 1. pr. ff. h. t.* Unde fere omnia similia hic sunt interdicto *uti possidetis. L. 1. §. 2. ff. h. t.*

Interdictum de superficiebus.

§. CCCXXIII.

Est autem SUPERFICIES, quidquid solo implantatum inædificatumque est *L. 2. ff. h. t.* JUS vero SUPERFICIEI jus habendi aliquid ædificatum, plantatum, insitum, vel alio modo impositum in solo alieno. *L. 73. §. 1. L. 74. ff. de rei vind. L. 15. ff. qui pot. in pign. L. 3. §. 7. ff. uti poss.* Est itaque vel mera locatio conductio, vel dominium utile, (§. CLXI. \*) *L. 37. sequ. ff. de rei vind. L. 19. ff. de damn. inf. pro quo superficiarius domino soli solvit solarium annuum vel pensionem. \* L. 74. ff. de rei vind. L. 15. qui pot. in pign.*

Quid superficies?

\* Et

\* Et hinc non mirum; in *L. I. pr. ff. h. t.* etiam hoc jus tantum ex locatione conductione derivari. Quemadmodum enim olim de ipso contractu emphyteutico dubitatum novimus, siue emptio venditio, an locatio conductionis: (*P. III. §. CCCVIII.*) ita similiter de superficie disputatum esse, non dubitandum videtur.

## §. CCCXXIV.

An hoc jus interitu superficiem exspiret?

An superficiem interitu jus hoc exspiret, non adeo expeditum est. Adfirmat *Donell. Jur. Civ. XIX, 18.* Nec tamen ductum ab usufructu argumentum, & *L. 39. §. 2. ff. de damn. infect.* id videtur demonstrare. Saltem lex hæc non de superficiem, sed de soli interitu loquitur.

## T I T. XIX.

*De itinere atque privato.*

## §. CCCXXV.

Interdictum de usu itinere atque privati.

Simile est sequens interdictum de ITINERE REACTUQUE privato. (§. CCXCIX) De his enim Prætor duplex proposuerat interdictum, quorum altero promiserat, uti quisque itinere atque privato vel via hoc anno, (eiusve modico tempore, id est, non minus quam triginta diebus,) nec vi, nec clam, nec precario ab alio usus esset, quo minus ita utatur, se vim fieri venturum. *L. 1. pr. §. sequ. ff. h. t.*

## §. CCCXXVI.

De usufructu

Altero cautum fuerat, ei, qui itinere atque

ve hoc anno non vi, nec clam, nec precario usus sit, nec clam, nec precario dem re-  
rio usus sit, quominus ei jus sit reficiendi, se fectione.  
vim fieri vetitutum, dummodo adversario da-  
mini infellicaverit. L. 3. §. 11. ff. h. t. & sibi  
jus reficiendi esse docuerit. Quo ipso hoc in-  
terdictum a priore discrepat. L. 1. §. 13. ff. h. t.

T I T. XX.

De aqua quotidiana & æstiva.

§. CCCXXVII.

**Q**uemadmodum superiora interdicta ad Interdi-  
servitutes itineris, actus, viæ perti- ctum de  
nebant: ita & de servitute AQUÆDU- aqua quo-  
CTUS (P. II. §. CLI.) tria extabant inter- tidiana  
dicta. Quorum uno Prætor promiserat, se usu.  
eum, qui hoc anno aquam quotidianam &  
perennem non vi, nec clam, nec precario ab  
alio duxit, in quasi possessione istius juris  
defensurum, alterumque quidquam in fun-  
do suo, quo aqua inquinetur, vitietur,  
corrumpatur, deteriorve fiat, facere pro-  
hibiturum. L. 1. pr. §. 1. 2. 3. 4. seqq. ff. h. t.

§. CCCXXVIII.

Altero edixerat Prætor, uti quis priore & De aquæ  
state aquam æstivam, L. 1. §. 3. 4. 30. 31. 32. æstive  
ff. h. t. nec vi, nec clam, nec precario ab alio usu.  
duxerit, quo minus ita ducatur, se vim fieri  
vetitutum. L. 1. §. 29. ff. h. t.

§. CCCXXIX.

Tertio denique cautum fuerat, utis, cui De aqua  
ex castello \* aquam ducere ab eo, cui ejus rei ex castel-  
jus est, permissum fuit, in quasi possessione illius lo ducta.  
juris defendatur, modo, si de opere facien-

do agatur, damni infecti caveatur. *L. 1. §. 38. ff. b. t.* Unde in eo differt a superioribus hoc interdictum, quod non solum quasi possessio, sed & jus aquam ducendi probandum sit.

\* *Castellum est receptaculum, quod aquam publicam suscipit. L. 1. §. 39. ff. b. t. vel, ut elegantius Hesy chius, ἕννομα τόπου ἀνω καὶ κάτω φέρωντος καὶ μετέτονος τὸ ὕδωρ. Loci vocabulum unde sursum ac deorsum aqua dicitur & dispensatur. Quum enim ex isto receptaculo aqua fistulis in urbes fundosque privatorum duceretur, adeoque veluti divideretur: L. 78. ff. de contr. emt. hinc a Festo vocatur DIVIDICULUM; a Valentiniano, Valente & Gratiano in L. 2. c. Theod. de aquad. Lib. XV, tit. 2. CONCEPTACULUM. Ceterum de Castellorum constructione quædam habent Vitruv. *Architect. VIII, 7.* & Plin. *Hist. Nat. XXXI, 6. XXXVI, 15.* De jure aquam inde ducendi consensu Principis Frontin. *de Aquaduct. p. 106. 109. & passim.**

## T I T. X X I.

### *De Rivis.*

#### §. CCCXXX.

Interdictum de rivis.

**S**imile est interdictum, quod de RIVIS proposuerat Prætor, ut rivos, specus, septa\* reficere, aqua ducenda causa liceat, dumne aliter aqua ducatur, quam vi priorestate nec vi, nec clam, nec precario ducta est. *L. 1. pr. ff. b. t.*

\* RI-

\* RIVUS est locus, per longitudinem depressus. quo aqua decurrit. L. 1. §. 2. ff. h. tit. SPECUS sunt loca excavata in montibus, inter moenia & caput fontis interjectis, per quæ aqua ducitur. Vitruv. Archit. VIII, 7. SEPTA sunt, quæ ad incile opponuntur a quæ derivandæ compellendæve ex flumine causa. L. 1. §. 4. ff. h. t. Denique INCILE est locus, ad latus fluminis depressus, vel incisus. L. 1. §. 5. ff. h. tit. Menag. Amæn. Jur. cap. XXXIX.

T I T. XXII.

De fonte.

§. CCCXXXI.

Quemadmodum superiora interdicta ad aquæductus pertinent servitutem: ita sequentia hæc partim eos tuentur, qui de aliquo fonte, lacu, puteo, piscina, hoc anno aqua nec vi, nec clam, nec precario usi sunt: L. 1. pr. §. 1. 2. ff. h. t. partim, qui fontem purgare, reficere, vel aquam coercere, ut ea uti possint, conantur. L. 1. §. 6. 7. 8. 9. ff. h. t. Ex quo facile patet, hæc interdicta ad servitutes AQUÆ HAUSTUS, PECORISQUE AD AQUAM ADPULSUS comparata esse. L. 1. §. 1. 2. ff. h. t.

Interdictum de fonte.

T I T. XXIII.

De Cloacis.

§. CCCXXXII.

Interdicto uti possidetis nominatim Prætor exceperat CLOACAS, (§. CCCXIX, 2)

Cloacæ quid & quod duplices.

quæ erant loca cava & subterranea, per quæ colluvies exonerabatur. *L. 1. §. 4. ff. h. t.* Ex erant vel PUBLICÆ stupendæ & antiquissimæ structuræ, vel PRIVATÆ, per quarum illas colluvies ex urbe; per hæc ex privatis prædiis defluit. *Vid. Antiqu. nostr. Rom, 11, 3, 6.*

## §. CCCXXXIII.

*De iis Interdicta.*

De PRIVATIS itaque interdictum prohibitorium proposuerat Prætor, quo minus nobis cloacam, quæ ex cujusque ædibus in nostras pertinet, purgare reficere liceat, se vim fieri vetitum, simulque damni infecti caveri iussurum. *L. 1. pr. §. sequ. ff. h. t.* DE PUBLICIS autem restitutorium: quod quis in cloaca publica factum, sive immisissum habet, quo usus ejus deterior sit fiatve, se restitui iussurum. *L. 1. §. 15. seq. ff. h. t.*

## T I T. XXIV.

*Quod vi aut clam.*

## §. CCCXXXIV.

*Interdictum quod vi aut clam.*

Quemadmodum si quis opus in solo alieno moliretur, adversus illum proditum est novi operis nunciatio; (§. XCIII.) Ita perfecto jam opere locus est interdicto QUOD VI AUT CLAM. (§. XCV, 2.) Edixerat enim Prætor: QUOD VI AUT CLAM factum est, qua de re agitur, id, quum existeret potestas futura sit, se restitui iussurum. *L. 1. pr. ff. h. t.*

\* VI. factum dicitur, quod factum contra prohibitionem. *L. 1. §. 5. ff. h. t.* CLAM qui celavit, nec denunciavit, & controversiam

siam timuit, vel timere debuit, ne melioris conditionis sint stulti, quam periti L. 4. ff. h. r.

§. CCCXXXV.

Itaque hoc interdictum intra annum, ex quo opus fieri desit, L. 15. §. 3. 4. ff. h. r. datur domino, omnibusque, quorum interest, opus non fieri. L. 11. §. 10. 14. L. 14. L. 16. ff. h. r. eorumque heredibus, L. 13. §. 5. ff. h. r. contra eum, qui vi vel clam, sive per se sive per alios, opus sine justa causa fecerit, L. 5. §. 8. eod. nec non adversus omnes operis possessores. L. 15. pr. ff. h. r. non etiam contra heredes, nisi quid ad eos pervenerit, L. 15. §. 3. eod. ut opus restituant præstentque, quod interest, vel, si ipsi non fecerint, ut tolli patiantur. L. 15. §. 7. L. 16. §. 2. ff. h. r.

Ejus descriptio.

§. CCCXXXVI.

Quum vero detur adversus eum, qui sine justa causa novum opus fecit; (§. CCCXXXV.) facile patet, cessare interdictum, 1) si quid incendii, L. 7. §. 4. ff. h. r. vel 2) agri colendi causa factum sit; L. 7. §. 7. ff. h. r. vel 3) sine opere novum quid existet. L. ult. §. 3. ff. h. r.

Quando cesset?

T I T. X X V.

De remissionibus.

§. CCCXXXVIII.

Nunciato novo opere abstinendum esse diximus ab opere inchoato, donec REMISSIO fiat a Præatore, (§. C, 1.) quæ nihil aliud est, quam decretum Præatoris, quo, nunciationem non te-

Remissio quid & de ea interdictum.

270 *Pand. Lib. XLIII. Tit. XXVI.*  
nere, declarat. Promiserat enim Prætor,  
*se, si ius prohibendi non sit, renunciationem mis-*  
*sam facturum, L. un. pr. S. seq. ff. h. t.*

T I T. X X V I.

*De precario.*

§. CCCXXXVIII.

Precariū  
quid ?

**S**ingulare est interdictum *restitutorium* DE  
PRECARIO. Ita autem dicitur, quid-  
quid precibus petenti conceditur tandiu,  
quoad is, qui concessit patitur \* *L. 1. pr. ff.*  
*h. t.* Ex quo fluunt axiomata: I. Precarium  
non esse contractum, sed genus liberalita-  
tis. *L. 1. §. 1. ff. h. t.* II. Ei, qui precario  
possidet, nullum esse jus in re quæsitam.  
*L. 1. §. 2. ff. h. t.*

\* Si enim diutius quis re aliena utitur invito  
domino, nascitur inde *precaria possessio*,  
quam æque ac violentam & clandesti-  
nam vitiosam esse supra notavimus. ( §.  
CXCVIII.)

§. CCCXXXIX,

Quomo-  
do diffe-  
rat a cō-  
modato  
& dona-  
tione.

Quum itaque precarium non sit contra-  
ctus, sed genus liberalitatis; (§. CCCXXX-  
VIII, 1.) consequens est, 1) ut a com-  
modato differat, quod ad certum usum  
conceditur. *L. 17. §. 3. ff. L. 3. C. commod.*  
2) Ut nullo minus dominium transfera-  
tur, siquidem tunc non esset precarium,  
sed donatio. *L. 1. §. 2. ff. h. t.* 3) Ut pre-  
cario quis accipere possit rem alienam,  
ac

ac propriam oppignoratam. L. 4. §. 3. L. 6.  
§. 4. L. 11. ff. h. t.

## §. CCCXL.

Quumque ei, qui precario possidet, nul-  
lum sit jus quæsitum; (§. CCCXXXVIII, 2.)  
sequitur, 1) ut rem semper teneatur resti-  
tuere, L. 1. pr. ff. h. t. neque 2) concessio pre-  
carii ad heredes accipientis transeat. L. 12.  
§. 1. ff. h. t. quamvis 3) si heres possidere per-  
git, dominus rem illi de novo precario con-  
cessisse intelligatur.

An jus  
aliquod  
tribuat?

## §. CCCXLI.

Quum denique precarium non sit contra-  
ctus; (§. CCCXXXVIII, 1.) nulla etiam  
prodita erat actio, qua revocari posset, L.  
14. ff. h. t. nisi forte quis extra ordinem præ-  
scriptis verbis agere vellet. L. 2. §. 2. L. 19.  
§. 2. ff. h. t. Sed Prætor interdictum restitu-  
torium proposuerat: *Quod precario ab illo ha-  
bes, aut dolo malo fecisti, ut desineres habere,  
qua de re agitur, id illi restituas.* L. 2. pr. ff. h. t.

Interdi-  
ctum de  
precario.

## §. CCCXLII.

Itaque hoc interdictum competit ei, qui  
precario petenti quid dedit, ejusve heredi,  
contra eum, qui precario habet, aut habe-  
re dolo malo desit, ejusve heredem, (§.  
CCCXL, 2.) ad rem cum omni causa resti-  
tuendam, præstandumque dolum, & cul-  
pam latam. \* L. 8. §. 3. 6. ff. h. t.

Ejus de-  
scriptio.

\* Quumque qui invito domino possidet di-  
tius, vitiose possideat: §. CCCXXXVIII.  
\*) ratio patet, cur post interdictum etiam  
culpa levissima, immo & casus præstari  
debeat. L. 8. §. 6. ff. h. t.

## T I T. XXVII.

## De Arboribus cadendis.

## §. CCCXLIII.

Interdi-  
ctum de  
arborib.  
prædio  
urbano  
impendē-  
sibus.

**D**E ARBORIBUS quoque CÆDEN-  
DIS duo prodita erant interdīcta  
PROHIBITORIA. Quum enim primo saepe  
vicinus arbores voluptatis causa plantet,  
quæ, ædibus nostris impendentes, mole-  
stiam nobis adferre possent, Prætor edicto  
suo cavet, *ut que arbor ex vicini ædibus in  
ades nostras impendet, si per vicinum stet, quo  
minus eam adimat, tunc quo minus nobis eam  
arborem adimere nobisque habere liceat, se vim  
fieri vetitutum. L. 1. pr. ff. h. t.*

## §. CCCXLIV.

De arbo-  
ribus im-  
pendenti-  
bus præ-  
dio rusti-  
co.

Deinde quum legibus XII. tabularum cau-  
tum esset, ut, si arbor in vicini fundum im-  
pendeat, ea XV. pedibus altius subluceatur:  
*L. 1. §. 8. ff. h. t. Jac. Gothofred. Leg. XII.  
Tab. Tab. VIII. eodem exemplo Prætor, ne  
umbra prædio nostro noceret, L. 1. §. 8. ff.  
h. t. edixerat, ut que arbor ex vicini agro in  
nostrum agrum impendet, \* si per eum stet,  
quo minus pedes XV. a terra eam coerceat,  
tunc quo minus nobis ita coerere, lignaque no-  
bis habere liceat, se vim fieri vetitutum. L. 1.  
§. 7. ff. h. t.*

\* Quare multo magis ad adimendam arborem  
agipotest, si eam ventus e vicini fundo in  
nostrum inclinarit. L. 2. ff. h. t.

## §. CCCXLV.

§. CCCXLV.

Sed, ubi jura Saxonica adhuc vigent, rami arboris, ad vicinum pertinentis, quatenus illi meo fundo imminet, sine interdicto succidi possunt. Jus prov. Sax. II, 52. Vveichb. art. 125. Carpz. Part. III. Const. XXXII. Def. 25. n. 5.

Ufus hodiernus.

T I T. X X V I I I.

De glande legenda.

§. CCCXLVI.

EX XII. Tabulis etiam erat, quod de GLANDE LEGENDA \* Prætor edixerat. Quemadmodum enim illa cautum fuerat, ut, si glans in fundum vicini caduca sit, eam domino legere jus esset: Plin. Hist. Nat. XVI, 5. ita Prætor promiserat, glandem, qua ex vicini agro in nostrum cadat, quominus illi tertio quoque die legere auferre liceat se vim fieri vetitum. L. un. pr. ff. h. t.

Interdictum de glande legenda.

\* Glandis adpellatione omnes fructus contineri, quemadmodum & Græcis omnes arborum species ἀπὸ δένδρα dici soleant, observavit Cajus, L. 236. §. 1. ff. de verb. signif. (ubi jungendus V. C. Jo. Goeddei. Commentarius) & L. un. §. 1. ff. h. t.

§. CCCXLVII.

Hodie, quum de arboris dominio fere non ex radice, sed ex ramis judicari soleat, (§. CLXXIX. \*) fructus, in alterium fundum procidētes, fere ad fundi dominum pertinent. Quin & omnes sibi quisque recte vindicat,

Ejus usus.

qui ex ramis, fundo suo imminentibus, pendent. De Saxonia id testatur Carpz. *Part. III. Const. XXXII. Def. 25. n. 4. de terris Brunsvicensibus Hann. ad Vvessemb. ff. h. t. Add. Schilt. Exerc. XXXII, 35.*

## T I T. XXIX.

*De Homine libero exhibendo.*

## §. CCCXLVIII.

*Interdictum de libero homine exhibendo.*

**I**nterdicto de HOMINE LIBERO EXHIBENDO cautum est, *ut quem quis liberum dolo malo retinet, eum exhibeat. L. 1. pr. ff. h. t. Est vero hoc interdictum exhibitorium quod cuivis ex populo datur, L. 1. §. 1. L. 3. §. 9. ff. h. t. contra eum, qui dolo malo, non qui ex justa causa liberum hominem possidet, L. 3. §. 2. seq. L. 4. pr. ff. h. t. ad liberum istum hominem exhibendum, vel litis æstimationem toties, quoties agitur, usque dum exhibeatur, præstandam. L. 3. §. 8. 13. ff. h. t. Exemplum elegans habet Schilter. Exerc. III, 23.*

## T I T. XXX.

*De liberis exhibendis, item ducendis.*

## §. CCCXLIX.

*Interdicta de liberis exhibendis & ducendis.*

**S**imilia erant interdicta de LIBERIS EXHIBENDIS & DUCENDIS: quorum alterum exhibitorium eos, qui in mea potestate sunt, si ii apud alium sint, \* doloque ejus malo factum sit, quo minus apud

eum essent, exhiberi jubet: L. 1. pr. ff. h. t. alterum prohibitorium nobis, liberos in potestate nostra constitutos ducere volentibus, vim fieri vetat. L. 3. pr. ff. h. t.

- \* Ex nulla aut injusta causa. Unde facile patet, 1) cur hoc interdictum non detur contra matrem, liberos ex justa causa apud se retinentem. L. 1. §. 2. 3. L. 3. §. 5. ff. h. tit. 2) Cur nec pater hoc interdicto filiam a marito abducere, & bene concordans matrimonium turbare possit. L. 1. §. 5. ff. h. tit. 3) Cur contra maritus de exhibenda ducendaque uxore agere possit, quam pater viro invito domi suæ retinet. L. 2. ff. L. ult. C. h. t.

## T I T. XXXI.

*Utrubi.*

### §. CCCL.

**I**nterdictum **UTRUBI** est *retinenda possessionis* & ab interdicto **UTI POSSIDETIS** (§. CCCXIX. seq.) non differt, \* nisi objecto, siquidem interdictum *uti possidetis* de rebus soli seu immobilibus; interdictum *utrubi* de rebus mobilibus datur. L. un. §. 1. ff. h. t. §. 4. Inst. de interdict.

Interdictum *utrubi*.

- \* Olim tamen & in modo possidendi erat discrimen. Nam interdicto *uti possidetis* vincebat, qui tempore litis contestatæ (§. CCCXXI.) nec vi, nec clam, nec precario possidebat: interdicto *utrubi*, qui maiore parte anni nec vi, nec clam, nec precario

possederat. *L. un. §. 1. ff. h. t. Paull. Rec. Sant. V, 6, 1.* Quia interdictum *utrubi* olim etiam recuperandæ possessionis fuisse ex *L. 2. §. 5. 12. ff. ad exhib. & Petron. Satyric. cap. XIII.* acute colligit Cl. A. Pagenstecher. *Admonit. ad Pand. Part. VI, §. 260.*

## T I T. XXXII.

*De migrando.*

## §. CCCLI.

Interdi-  
ctum de  
migran-  
do.

**Q**UUM aliquando contingeret, ut loca-  
tor prædii urbani inquilini, migrare  
volentis, res retineret: Prætor interdi-  
ctum DE MIGRANDO proposuerat,  
quod datur inquilino, soluta pensione mi-  
grare volenti, ejusve heredi, *L. 1. §. 6. ff.*  
*b. t. adversus locatorem, ejusve heredem,*  
invecta & illata retinentem, ad id, ut ibi  
la abducere liceat. *L. 1. pr. §. seq. ff. b. t.*

## T I T. XXXIII.

*De Salviano interdicto.*

## §. CCCLII.

Salvia-  
num.

**I**NTERDICTUM SALVIANUM an Salvio Ju-  
lio inventum adpellatumque sit, incer-  
tum est. Vid. V. A. Corn. van-Bynkersh.  
*Obs. 1, 24.* Est autem interdictum *adipiscen-*  
*da possessionis*, quo locator prædii rustici per-  
sequitur possessionem rerum coloni, pro  
mercede fundi oppignoratarum. *L. 1. §. 1.*  
*ff. b. t. §. 3. Inst. de interd. l.*

## §. CCCLIII.

§. CCCLIII.

Differt ergo hoc interdictum ab actione *Serviana*, qua non possessionem, sed jus persequimur. Hinc in actione *Serviana* probandum, rem tempore factæ oppignorationis in dominio debitoris, & legitimæ oppignoratam fuisse: In hoc interdicto sufficit, illationem & oppignorationem probari. *L. i. ff. h. t. 2*) Actio *Serviana* adversus quemcumque possessorem; interdictum *Salvianum* tantum adversus debitorem seu colonum datur. \* *L. i. C. h. t.*

Ejus discrimen ab actione *Serviana*.

\* Turbat hic *L. i. §. i. ff. h. t.* quam vulgo ita conciliant *Legi i. C. h. t. tit.* quod interdictum *Salvianum directum* detur adversus colonum *utile* adversus quemcumque possessorem. Sed sane *d. L. i. §. i.* non agit de utili interdico, sed de directo: nec ibi de tertio possessore quidquam legimus. Quæstio est, si colonus res in fundum duorum intulerit, easque utrique vel in solidum vel pro partibus oppignorarit, viri competat hæc actio? Respondet Julianus: *Si in solidum utrique obligatæ: singuli adversus EXTRANEUM Salviano interdico recte expensentur: inter IPSOS vero (locatores) si reddatur hoc interdictum, possidentis conditio melior erit. At si id actum fuerit, ut pro partibus res obligaretur, vilis actio & adversus EXTRANEOS & inter IPSOS (locatores vel creditores) dari debet, per quam dimidias partes possessionis singuli adprehendant.* Hic sane extranei non opponuntur debitori, qui intulit & oppignoravit, ut intelligi possint tertii possessores, sed creditoribus vel loca-

locatoribus inter se agentibus, adeoque æque commode ipsi debitores intelliguntur,

§. CCCLIV.

Interdictum Salvianum vel directum vel utile.

In eo vero conveniunt actio *Serviana* & interdictum SALVIANUM, quod quemadmodum *illa in veram & quasi Servianam* dividitur; ita & hoc interdictum vel DIRECTUM vel UTILE sit; quorum illud datur locatori adversus colonum; (§. CCCLII.) hoc omni creditori hypothecario adversus debitorem ad possessionem pignoris adipiscendam. Unde hoc *utile* interdictum QUASI SALVIANUM adpellari solet.

L I B E R XLIV.

T I T. I.

*De exceptionis prescriptionibus & præjudiciis.*

§. CCCLV.

Exceptio quid?

Explicatur hoc libro materia de EXCEPTIONIBUS, & generatim etiam DE OBLIGATIONIBUS & ACTIONIBUS agitur. EXCEPTIO sensu juris Romani non est omnis alegatio rei, qua actio etiam ipso jure tollitur: \* sed est defensio rei, qua actio, jure stricto competens, æquitatis ratione excluditur. L. 2. pr. ff. pr. Inst. L. 10. C. h. r.

\* Re-

\* Receptum tamen in foro, ut, quidquid actori opponitur, exceptionis nomine veniat, quamvis jus actoris ipso jure sublatum dicamus. Unde exceptiones solutionis, compensationis, quæ a prudentibus exceptiones facti adpellari solent, & distingui ab exceptionibus juris, quas in hoc paragrapho definivimus.

§. CCCLVI.

Exceptionum harum quædam speciale nomen sortiuntur. Si enim extra causam petuntur a loci, temporis aliisque circumstantiis vocantur PRÆSCRIPTIONES; \* quales sunt *præscriptio fori*, L. ult. C. h. t. *præscriptio moratoria*, L. 2. C. de prec. imp. off. *præscriptiones temporales* sit. ff. de div. & temp. præscr. Sin actionem excludunt eo nomine, quod per eam præjudicium fiat quæstioni de re majoris momenti; PRÆJUDICIA adpellantur. L. 16. L. 18. L. 21. ff. h. t. Coras. Miscell. II, 5.

Quid præscriptio & præjudicium?

\* Græcis ἄνευ αἰτίας, quasi ἄνευ τῆς αἰτίας, extra actionem ex aliis circumstantiis natæ Bachov. ad rubr. Inst. de usucap. & long. temp. præscript. Itaque præscriptio, strictius accepta, (nam aliquando exceptionem omnem denotat, L. 11. L. pen. L. 14. ff. h. sit. L. ult. ff. de susp. tut. L. 3. §. 1. ff. de prævaric. actionem directo non adgreditur, sed aliam illi circumstantiam extra causam opponit. Unde jam non obscurum est, quid sibi velit Tertullianus scripto libello de præscriptione adversus hæreticos. Non enim eo hæreticorum doctrinas directo

sto oppugnat, sed eos nova & ab apostolicorum virorum doctrinis diversa tradere ostendit.

### §. CCCLVII.

Exce-  
ptiones  
civiles  
prætorie,  
perpe-  
tue, tem-  
porales .

Ceterum *exceptiones*, quæ *ex legibus*, *SCiss Principum placitis* nascuntur, **CIVILES**; quæ *edicto prætorio* originem debent, **PRÆTORIÆ** adpellantur. §. 7. *Inst. h. t.* Deinde, quum vel agentibus in *perpetuum* obstant, & actionem adeo perimant, vel *ad tempus* duntaxat noceant: illæ **PEREMTORIÆ** vel **PERPETUÆ**; hæ **DILATORIÆ** vel **TEMPORALES** dicuntur. \* *L. 3. §. 8. 9. 10. Inst. h. t.*

\* Alio sensu *perpetuæ* vocantur, quæ nulla temporis præscriptione excluduntur; *temporales*, quæ certi temporis lapsu extinguuntur. Harum paucissimæ sunt, puta patet de non petendo post certum tempus, querelæ inofficiosi, *L. 8. §. 13. ff. de inoff. test. non numeratæ pecuniæ & dotis, L. 14. C. de non num. pec. §. un. Inst. de litt. obl. restitutionis in integrum. L. 3. ff. h. t.* Ordinarie *exceptiones* oportet esse *perpetuas*, quia actoris in arbitrio est, agere, quandocumque velit, non autem rei, quando conveniatur. *L. 5. §. ult. ff. de dol. mal. & met. except.*

### §. CCCLVIII.

In rem  
& perso-  
nam .

Denique quum *exceptio* vel *rei* vel *personæ* cohæreat: illa vocatur *exceptio IN REM* vel **REALIS**, & hinc & heredibus & fidejussoribus prodest, veluti rei judicatae, *SCi Macedoniani*; hæc in **PERSO-**  
**NAM**

NAM vel PERSONALIS, quæ nec heredi-  
bus nec fidejussoribus prodest; veluti exce-  
ptio pacti personalis, beneficii competen-  
tiæ. \* L. 7. pr. §. 1. L. 19. ff. h. r.

\* Quia itaque exceptio minorennitatis in se per-  
sonæ cohæret, & tamen etiam heredibus  
prodest, (P. I. §. DI, 3.) L. 18 §. ult. L. 19.  
ff. de min. L. un. C. si adv. dor. mixta vocari  
potest.

§. CCCLIX.

Quando quidem ergo exceptiones DILA-  
TORIÆ litem differunt; (§. CCCLVII.)  
consequens est, 1) ut opponendæ sint an-  
te litis contestationem. L. pen. & ult. C. h. r.  
Ut tamen 2) & post litem contestatam lo-  
cus sit exceptionibus dilatoriis, de novo  
emergentibus. L. 4. ff. h. r. 3) Ut quæ ju-  
dicium reddunt nullum, semper, immo &  
post sententiam opponi possint, veluti ex-  
ceptio incompetentis judicis. L. ult. C. si a  
non comp. jud. L. 24. C. de procur. quali privi-  
legio 4) etiam exceptiones competentis &  
cedendarum actionum munitæ sunt. L. 41. ff.  
de re jud. L. 41. §. 1. ff. de fidejuss.

Quando  
opponen-  
dæ dila-  
toriæ.

§. CCCLX.

Quumque PEREMTORIÆ litem peri-  
mant; (§. CCCLVII.) facile patet, 5) ex-  
ceptiones peremptorias in bonæ fidei judiciis  
quandocumque proponi posse, in stricti ju-  
ris causis ante litis contestationem propo-  
nendas, post eam autem probandas esse.  
L. 8. C. h. r. L. 9. C. de præscr. long. temp. 6) Ex-  
ceptio-

Quando  
perempto-  
riæ?

ceptiones litis impressum impediētes, & ante litis contestationem allegari probarique posse, modo jure hodierno in continenti probentur.

7) exceptiones peremptorias etiam post sententiam locum invenire, e. g. exceptionem SC. Vellejani, Macedoniani, L. 12. ff. ad SC. Macedon.

### §. CCCLXI.

Quid replicatio, duplicatio &c.

Si pluribus allegationibus opus est, actor rei exceptioni REPLICATIONEM, reus huic DUPLICATIONEM, actor huic TRIPLICATIONEM, reus denique huic QUADRPLICATIONEM opponit. §. 2. *Inst. de replic.* Quotcumque vero allegationes concedant leges & iudices: semper tamen reo ultima allegatio competit.

## T I T. II.

*De exceptione rei judicata.*

### §. CCCLXII.

Exceptionis rei iudicatae descriptio.

**I**Nter exceptiones *peremptorias* in rem haud postrema est exceptio REI JUDICATAE. Quum enim sententia, ubi in rem iudicatam transit, pro veritate habeatur; (§. CCXXXVII, 6) consequens est, ut rescindi non possit, (§. CCXLII, 2.) adeoque ei, qui semel absolutus est, ejusque successoribus, & fidejussoribus (§. CCCLVIII.) hæc exceptio competat adversus eum, qui eandem rem iterum in iudicium deducit, & ex eadem causa instituit actionem.

### §. CCCLXIII.

Ejus requisita.

Ex quo per se patet, tunc demum esse huic

huic exceptioni locum, si 1) agitur de eadem re, qualis etiam habetur, si qui in petitione totius succubuit, partem jam vindicare velit, contra *L. 7. pr. §. 4. 5. L. 3. ff. h. r.* 2) ex eadem causa; *L. 25. pr. ff. h. r.* 3) inter easdem personas, \* *L. 1. L. 3. ff. h. r.* pro quibus etiam habentur res ejusque successiones, universales ac singulares, *L. 11. §. 3. ff. h. r.* dominus & procurator, tutor & pupillus, pater & filius. *L. 11. §. 7. 8. ff. hoc tit.*

\* Res enim inter alios acta aliis haud facit præjudicium, nisi quod in liberali causa id nocet ei, de cujus statu judicatum, si legitimus contradictor adfuerit. *L. 25. ff. de statu hom.*

## T I T. III.

*De diversis temporalibus præscriptionibus,  
& de accessionibus possessionum.*

### §. CCCLXIV.

**I**NTER exceptiones peremptorias etiam sunt **PRÆSCRIPTIONES TEMPORALES**, (§. CCCLVI.) quibus actor, elapso tempore lege finito actionem instituens, \* repellitur. *L. 45. ff. de adm. & peric. tut.* Sunt vero actiones vel **PERPETUÆ**, quæ triginta annos, vel saltem ad longum tempus durant, vel **TEMPORALES**, quæ citius expirant. (*Inst. §. MCCLXIV.*)

Præscriptio temporalis quid?

\* Unde facile patet, 1) actione nondum nata cum

cum effectu, etiam præscriptionem non eurrere. *L. ult. §. 2. ff. de annal. exc. L. 9. §. 2. ff. de pign. act. nec 2*) prodesse reo præscriptionem interpellatione interruptam. *L. 8. §. ult. C. de præscr. trig. ann. nec 3*) tempus in actionibus temporalibus elapsum credi, si ultimus dies cœptus sit, *L. 6. ff. de obl. & act. secus ac in usucapione rerum. (§. CCXIX. \* )*

### §. CCCLXV.

Regula  
I. de acti-  
onibus  
in rem.

Nimirum, quum actiones *in rem* nascantur *ex jure in re*; (*Inst. §. MCXXVII. seq.*) de iis merito obtinet regula. I. *Actiones in rem tamdiu durant: quamdiu ipsum jus in re*, id est, de rebus mobilibus triennio; de immobilibus X. annis inter præsentibus, XX. inter absentes. (*§. CCXIX.*) *pr. Inst. de usuc. L. ult. C. de præscr. long. temp.*

### §. CCCLXVI.

Regulæ  
primæ  
amplia-  
tio & li-  
mitatio.

Eandem naturam ex actionibus *personalibus in rem scriptis* servat actio **QUOD METUS CAUSSA**, quatenus non in quadruplum, sed in simplum agimus. *L. 3. C. de his, qua vi met. causæ.* non autem actiones, quæ mixtam causam habent, veluti *hereditatis petitio, familia erciscunda, communi dividundo, & finium regundorum*, quæ durant XXX. annis; (*P. II. §. CCXIV, 5. §. CCXXIV, 4.*) nec actio *hypothecaria*, nisi quatenus adversus tertium b. f. possessorem agitur. Quod si enim cum tertio malæ fidei possessore agitur, triginta; si cum ipso debitore, quadraginta annorum præscriptio requiritur. *L. 1. 2. C. si adv. cred. L. 7. pr. C. de præscripte. XXX. ann.*

### §. CCCLXVII.

## §. CCCLXVII.

Quumque actiones *in personam* sint vel rei *persequutoria*, vel *pœnales*, vel *mixta*; de prioribus recepta regula: II. *Actiones personales rei persecutoria tam prætoria, quam civiles, sunt perpetua*. L. 3. L. 7. C. de præscr. XXX. vel XL. ann. Exceptæ tamen sunt actiones, quibus servitutem promissam petimus, quæ reales imitantur; (§. CCCLXV.) L. pen. C. de usufr. & L. 13. C. de serv. & actiones ecclesiarum, quadraginta annos durantes. Nov. CXXXI. cap. 6.

Regula  
II. de a-  
ctionibus  
rei per-  
sequuto-  
riis.

## §. CCCLXVIII.

Inter actiones rei persecutorias quædam etiam sunt *rescissoria*: de quibus addimus regulam III. *Actiones honoraria, quæ ad rescissionem actus tendunt, sunt temporales*. Hinc actio *redhibitoria* durat LX. dies, si venditor non caveat, vel de ornamentis restituendis, jumentisve eo nomine redhibendis agatur, L. 28. L. 38. pr. ff. de adil. edict. alias sex menses (P. IV. §. LXV, 2.) L. 19. §. ult. L. 55. ff. de adilit. edict. Actio *quantitatis minoris* priore casu sex menses, alias annum utilem. \* L. 19. §. ult. L. 28. L. 38. pr. cod.

Regula  
III. de a-  
ctioni-  
bus re-  
scissoriis.

\* Eodem annuo spatio & reliquis actionibus rescissoriis præscribitur. pr. Inst. de perp. & temp. act. L. 35. ff. de obl. & act. quadriennio restitutionibus in integrum, (P. I. §. CDLXIV, 4.) L. ult. C. de temp. in sent. restit. quinquennio querelæ inofficiosi. (P. II. §. LVII, 4.) L. 8. §. ult. ff. & L. 34. C. de inoffic. test.

## §. CCCLXIX.

## §. CCCLXIX.

Regula  
IV. de  
pœnali-  
bus,

Ad actiones personales pœnales pertinet regula IV. *Actiones pœnales civiles ex delictis privatis sunt perpetua: Prætoria contra & populares annales.* Exceptæ sunt actiones furti manifesti, furti adversus nautas, depositi miserabilis, servi corrupti, de effusis, & dejectis, (modo non de occiso homine libero agatur,) quæ quamvis Prætorix, tamen perpetuæ sunt, (*Inst. §. MCCLXXI.*) & actione doli quæ biennalis est, (*P.I. §. CDLXIV, 4.*) & ne quidem litis contestatione perpetuatur. *L. ult. C. de dol. mal.*

## §. CCCLXX.

Regula  
V. de pu-  
b'icis ac-  
cusat.

Denique de *publicis accusationibus* notanda regula V. *Accusationes criminales ordinarii vicennales sunt, nisi crimen sit permanens.* *L. 12. C. ad L. Cornel. de fals. L. 4. C. de apost.* Excepta sunt crimina adulterii, *L. 29. §. 5. seq. ff. ad L. Jul. de adult. peculatus, L. 7. ff. ad L. Jul. pecul. & ex SCro Silaniano, quibus quinquennio præscribitur.* *L. 13. ff. ad SC. Silan.*

## §. CCCLXXI.

Regula  
VI de in-  
terdictis.

Denique de *interdictis* fere valet regula VI. *Interdicta, quæ dantur simul ad omne, quod interest, anno; quæ rem pure persequuntur, XXX. annis expirant.* *L. 1. pr. ff. de vi & vi arm.*

## §. CCCLXXII.

Tempora  
præscri-  
ptionis  
extraor-  
dinaria.

Sunt & *extraordinaria tempora* præscriptionum, quæ ad certam regulam referri nequeunt. Sic 1) juri glandem legendi in vicini agro *triduo* præscribitur. (*§. CCCLXVI.*)

2) In-

- 2) Intra *decendium* adpellandum *Nov. XXIII. cap. 1.* 3) Intra *XX. dies* a libello oblato *judex* recusandus, *Auth. offeratur C. de lit. cont. Auth. consequenter C. de sent. & interloq.* 4) Intra *XXX. dies* petendi apostoli, *L. 24. C. de adpell. & opponenda exceptio non num. pec. apochis. (Inst. §. DCCCXCII.) L. 14. §. 2. C. de non num. pec.* 5) Intra *L. dies* excusare se debet tutor. (*P. IV. §. CCCLXIII, 4.) L. 38. ff. de excus.* 6) Intra *C. dies* petenda ab extraneis bonorum possessio. (*Inst. §. DECXXVI.) §. 4. Inst. de bon. poss.* 7) Intra *biennium* chirographo opponenda exceptio *N. N. P. L. 14. C. de non num. pec. & instituenda actio doli. (P. I. §. CDLXXXIX.)* 8) Actio, quæ, quod *alea* amissum, repetitur, non nisi *L. annorum* præscriptione excluditur. *L. ult. C. de aleator.*

§. CCCLXXIII.

Quid sit accessio possessionis, & quibus ea casibus locum habeat: jam supra monuimus. (§. CCXX, 1) Ibidem etiam diximus jure Sax. & aliarum gentium in mobilibus anni & diei; in immobilibus 30. annorum anni & diei usucapionem obtinere; (§. CXXIV.) Quod tempus etiam in præscriptione actionum observatur. *Carpz. Part. II. Const. III. def. III, IV.* Denique quemadmodum mores ex principiis juris canonici in usucapione requirunt bonam fidem continuam; (§. CCXVI. \*) ita & bonam fidem in temporalibus præscriptionibus exigunt, quum eam non exigat jus Romanum. *L. 1. C. de ann. except.*

Ufus hodiernus.

## T I T. IV.

*De doli mali & metus exceptione.*

## §. CCCLXXIV.

Exceptio  
doli ma-  
li specta-  
lis.

**I**nter exceptiones *peremptorias* porro celebrantur exceptiones **DOLI MALI**, & **METUS**. Quum enim non omnis dolus negotium nullum redderet; (P. I. §. CDLXXXVI) Prætor edicto suo non modo actionem, verum etiam exceptionem **DOLI MALI** promiserat dolo ita læsis, ut locus esset restitutioni in integrum, (P. I. §. CDLXXXIX.) eorumque heredibus & fidejussoribus, L. 7. §. 1. ff. de except. adversus eos, a quibus circumventi sunt, eorumque successores, ex causa lucrativa, L. 4. §. 29. ff. h. t. modo sint doli capaces, L. 4. §. 26. ff. h. t. neque iis debeat reverentia, (§. XLIII. 3.) L. 4. §. 16. ad elidendam actoris intentionem.\*

\* Adeo ut ne doli quidem replicatione elidatur: quia in pari causa melior est conditio possidentis. (§. CCVII, 2.) L. 4. §. 13. ff. h. t.

## §. CCCLXXV.

Genera-  
lis.

Et hæc quidem est exceptio doli *specialis*. *Generalis* autem doli mali exceptio locum habet, quotiescumque æquitas obstat actori. L. 12. ff. h. t. Quare hæc exceptio est veluti genus, sub quo omnes reliquæ exceptiones comprehenduntur. L. 4. §. 5. ff. h. t.

## §. CCCLXXVI.

Exceptio  
metus.

Exceptionem **QUOD METUS CAUSA** (P. I. §. CDLXX.) similiter dat Prætor iis, qui

qui metu coacti promiserunt, eorumque heredibus, & omnibus, quorum interest. L. 14. §. 6. ff. quod met. caus. L. 4. §. 33. ff. h. t. contra omnes, qui ex negotio gesto agunt, quamvis vim non intulerint, d. L. 4. §. 33. ad elidendam actionem. \*

\* Hic tamen locus est replicationi metus, quia, qui se defendit adversus vim inferentem, vim inferre non videtur. (§. CCIX, 9.) L. 12. §. 1. ff. quod met. caus.

T I T. V.

*Quarum rerum actio non datur.*

§. CCCLXXVII.

**E** Am, quæ sequitur, exceptionem doctores vocant exceptionem **NON COMPETENTIS ACTIONIS**. Casus autem, quibus actio non competit, tres præcipue hic referuntur. I.) Si quis, deferente actore, juravit, se nihil debere. §. 4. *Inst. de except. L. 1. §. 2. ff. h. t.* II.) Si quis onerandæ libertatis causa aliquid promittit. L. 1. §. 5. *seq. ff. h. t.* III.) Si evictionis nomine agitur ob rem in aleæ lusu perditam. L. 2. §. 1. *ff. h. t.*

Exceptio noncompetentis actionis.

T I T. VI.

*De litigiosis.*

§. CCCLXXVIII.

**R** ES LITIGIOSÆ sunt, de quibus lis, vel actio in rem, mota in iudicio, & Hein. Pand. T. II. N tunc

Res litigiosa quid?

tunc sufficit, modo libellus judici oblatus sit, quamvis nondum sit facta litis contestatio, *Nov. CXII. Cap. 1.* quæ tamen jure veterenecessario requirebatur, *L. 1. §. 1. ff. L. 2. C. h. t.* & etiamnum requiritur, si *actio personalis* fieri debeat litigiosa. *Franzk. Resol. I, 11.*

### §. CCCLXXIX.

Exceptio  
litigiosi.

Quum itaque res litigiosæ alienari non possint; (*P. III. §. CCLVIII, 11.*) non modo lis peragenda erat alienanti, *L. 2. C. h. t.* nec tantum, qui scientes alienabant, vel sibi comparabant, incidebant in poenam fiscalem: *L. ult. C. h. t.* verum etiam possessori rei litigiosæ alienatæ dabatur EXCEPTIO LITIGIOSI adversus eum, qui rem lite pendente comparavit, & inde eam petit, ad excludendam ejus actionem, *L. 1. §. 1. ff. h. t.*

## T I T. VII.

*De obligationibus & actionibus.*

### §. CCCLXXX.

Quid ob-  
ligatio?

EXceptionibus digestores subjecerunt doctrinam generalem de OBLIGATIONIBUS & ACTIONIBUS. Et OBLIGATIO quidem generatim accepta est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ, id est, faciendæ, vel præstandæ. *L. 3. pr. L. §. 1. ff. h. t.*

### §. CCCLXXXI.

Ejus di-  
visio pri-  
ma.

Omnis ergo illa necessitas alicujus rei solven-

vendæ a lege imponitur, (alias non esset vinculum juris,) (§. CCCLXXX.) & quidem vel sola naturali, sed cui jus civile non adhsistit, \* vel a solo jure civili, quod tamen Prætor, æquitate motus, excludit exceptione, vel ab æquitate naturali & jure civili simul. Unde primi generis obligationes MERE NATURALES; L. 95. §. 4. ff. de solut. secundi MERE CIVILES, L. 3. §. 1. ff. de pec. const. L. 112. ff. de reg. jur. tertii MIXTÆ adpellantur. pr. Inst. de obl.

\* Eatenus ut actio inde nulla nascatur. Ceterum quædam obligationes mere naturales effecta alia habent, veluti 1) quod pariunt exceptionem, L. 7. §. 4. ff. de pact. 2) quod compensationem admittunt, L. 6. ff. de compens. 3) quod constitui possunt, L. 1. §. pen. ff. de pec. const. itemque 4) novari. L. 1. pr. ff. de novat. 5) Quod iis recte accedunt fidejussores & pignora. §. 1. Inst. de Fidej. L. 5. ff. de pig. Quod 6) ea soluta conductio-  
ne indebiti repeti non possunt. L. 10. ff. h. r. L. 26. §. 12. ff. de cond. indeb. Quædam tamen obligationes mere naturales ne hac quidem effecta habent, sed a jure civili plane reprobantur, v. g. obligatio mulieris contra SC. Vellejanum. L. 16. §. 1. ff. ad SC. Vell. Unde non incommode a quibusdam obligatio mere naturalis in EFFICACEM & INEFFICACEM dividitur.

## §. CCCLXXXII.

Quum porro obligationes MIXTÆ jure civili sustineantur; (§. CCCLXXXI.) iis vel Secunda.  
lex adhsistere debet, vel Prætor, adeoque

obligationes vel CIVILES, vel PRÆTORIÆ sunt, quales hypotheca & constitutum. (P. I. §. CCCLV. \*)

### §. CCCLXXXIII.

Tertia &  
quarta.

Quamvis vero omnis necessitas alicujus rei solvendæ præstandæque *ex lege* nascatur; (§. CCCLXXXI.) In eo tamen est differentia, quod quædam obligationes IMMEDIATE ex sola æquitate vel lege nascuntur: quædam MEDIANTE, accedente factò quodam obligatorio. Quumque factum hoc obligatorium sit vel *licitum*, vel *illicitum*: obligatio ex illo nata CONVENTIO; ex hoc DELICTUM vel MALEFICIUM adpellatur. \*

\* *Conventionum divisiones supra Lib. II. tit. XIV. tradidimus. De maleficiorum vel delictorum generibus infra Lib. XLVII. tit. I. differemus. Obligationes ex variis causarum figuris L. 1. pr. ff. h. t. commodissime ad has species referuntur. Unde non magis his opus est in jurisprudentia, quam in physica qualitativibus occultis.*

### §. CCCLXXXIV.

Actiones  
quid?

Sequuntur ACTIONES, quæ *latius* acceptæ, ut & accusationes, & extraordinarias cognitiones comprehendant, sunt media jus quodcumque in judicio persequendi: L. 37. L. 178. §. 2. ff. de verb. signif. L. un. C. quando civ. act. crim. At strictius sumptæ sunt media in jure persequendi, quod nobis ex jure in re vel ad rem restituendum,

præ-

præstandumque est. L. 178. §. ult. L. 108. ff. de verb. signif.

§. CCCLXXXV.

Quum itaque actionibus persequamur, quod nobis vel ex *jure in re*, vel ex *jure ad rem* restituendum præstandumve est; (§. CCCLXXXIV.) consequens est, ut actiones I. dividantur in REALES, quæ ex *jure in re*; & PERSONALES, quæ ex *jure ad rem*, vel obligatione descendunt. Nec incommode dixeris, quasdam esse MIXTAS, quæ partim ex *jure in re*, partim ex *jure ad rem* nascuntur.

Divisio  
illarum  
prima.

§. CCCLXXXVI.

Quumque illud jus in re & ad rem, vel ex *jure civili*, vel ex *honorario* proficiscatur: facile patet, actiones II. in CIVILES & PRÆTORIAS recte dividi. L. 25. §. 2. ff. h. t. §. 3. *Inst. de act.*

Secunda.

§. CCCLXXXVII.

Quia etiam actionibus persequimur, quod nobis restituendum præstandumve est; (§. CCCLXXXIV.) non potuit non inde nasci divisio actionum III. in REI PERSEQUUTORIAS, POENALES & MIXTAS. §. 16. *Inst. h. t.* Et quum rei persequutoriis rem; poenalibus poenam pecuniariam persequamur, ea vero *jure nostro* vel in duplo, vel in triplo, vel in quadruplo consistat: IV. actiones dividuntur in eas, quæ in SIMPLUM, DUPLUM, TRIPLUM, QUADRUPLUM conceptæ sunt, §. 21. *Inst. de action.*

Tertia &  
quarta.

## §. CCCLXXXVIII.

**Quinta.** Quumque in quibusdam actionibus liberior esset iudicis potestas ex bono & æquo æstimandi, quod alterum alteri præstare oporteret: in quibusdam iudex formulæ adstrictus esset: in aliis denique ob contumaciam reum, rem ejusve æstimationem restituere nolentem, in majus condemnare posset: V. primi generis actiones BONÆ FIDEI, secundi STRICTI JURIS; tertii ARBITRARIÆ appellantur. \* §. 28. *Inst. h. t. L. 99. ff. de verb. oblig. §. 31. Inst. hoc tit.*

\* Catalogum actionum BONÆ FIDEI habes in §. 28. *Inst. de act. emti venditi, locati conducti* (adeoque etiam emphyteuticaria) *negotiorum gestorum*, cujus generis etiam est funeraria, *mandati, depositi, pro socio, tutelæ, commodati, pignoratitia, familiæ re-ciscundæ, communi dividundo, præscriptis verbis æstimatoria, & ex permutacione, petitio hereditatis & actio ex stipulatu de dote.* §. 29. *Inst. eod.* ARBITRARIÆ actiones sunt *Publiciana, Serviana & hypothecaria, quod metus causa, de eo, quod certo loco, ad exhibendum, finium regundorum, Favianæ, Calvisiana: redhibitoria, & actiones in rem, præter hereditatis petitionem.* Reliquæ ergo STRICTI JURIS sunt.

## §. CCCLXXXIX.

**Sexta.**

Porro VI. quibusdam actionibus SOLIDUM, quibusdam MINUS QUAM SOLIDUM

LIDUM consequimur. §. 36. *Inst. de act.* Illud est ordinarium; hoc extra ordinem contingit, vel quia agitur peculiore tenus, (P. III. §. CLXXXVI.) vel quia compensatio summam minuit, (P. III. §. CCIX, 3.) vel quia reo competentis beneficium a lege indulgetur. (§. CCXLIV. \*\*) §. 36. *seq. Inst. de act.*

§. CCCXC.

Ratione temporis VII. quædam actiones sunt PERPETUÆ, quædam TEMPORALES, de quibus jam paullo ante dictum. (§. CCCLXIV.) Quumque & actiones in bonis sint: non mirum sane est, VIII. alias dari & HEREDIBUS & *adv r- sus heredes*; alias HEREDIBUS, *sed non adversus heredes*; alias NEC HEREDIBUS, *nec adversus heredes competere.* \* §. 1. *Inst. de perp. & temp. act.*

Septima  
& octa-  
va.

\* Hinc notanda axiomata: I. Actiones rei persequutoria & heredibus dantur, & adversus heredes. L. 48. ff. h. tit. L. 157. §. 2. ff. de reg. jur. II. Actiones pœnales dantur heredibus, III. non autem, quæ vindictam persequuntur. §. 1. *Inst. de perp. & temp. act.* IV. Actiones ad vindictam comparatæ non dantur adversus heredes, d. §. 1. eod. nec V. privatae pœnales, nisi vel a principalibus personis contestatæ sint, §. 1. *Inst. eod.* L. 26. L. 58. ff. h. tit. vel aliquid ex delicto ad heredes pervenerit. L. un. C. ex delict. defunct. in quans. ten. her. Dissentit hic clarissimus Duirsema *Conjectural. jur. civ. I.* 7. pag. 110. *sequ.* VI. Persecutiones publica omnes morte rei perimuntur. L. 3. ff. h. t.

§. CCCXCI.

Nota.

Denique IX. actiones, in quibus uterque actoris vice fungi posset, **DUPLICES**; in quibus necessario ab initio alter actor, alter reus est, **SIMPLICES** adpellantur. §. 7. *Inst. de interditt.*

§. CCCXCII.

Conclusio & remissio.

Sed accuratius plerasque actionum classes persequuti sumus alibi. (*Inst. §. M. CXXVII. seqq.*) Unde iis jam immorari, & dicta repetere, nihil attinet.



# PANDECTARUM

PARS SEPTIMA,

QUÆ EST

DE VERBORUM OBLIGATIONIBUS,  
delictis, adpellationibus, jure publico,  
verborum significatione & regulis juris.

LIBER XLV.

TIT. I.

*De verborum obligationibus.*

§. I.

**D**Octrinæ de *obligationibus* in genere Connexio.  
ideo procul dubio tractatum de STIPULATIONIBUS & VERBORUM  
OBLIGATIONIBUS subjecit Tribonianus,  
quia hæ obligationum firmandarum causa  
inductæ erant. Paull. *Recept. Sent. V. 7. 1.*  
adeoque per se non subsistebant, sed ex aliis  
obligationibus pendebant. *L. 5. princ. vers. conventionales ff. h. t.* adeo, ut, deficiente  
iusta debendi causa, ex stipulatione agenti  
obiter exceptio doli mali, *L. 2. §. 3. ff. de dol. mal. & met. exc.* Add. V C. Ant. Schult.  
*ad Paull. ibid. p. 464.*

§ II.

In se VERBORUM OBLIGATIONES  
erant contractus, qui ex verborum sollemni-

Verborum  
obligationes  
quæ?

N 5 race

tate capiebant substantiam, (P. I. §. CCCLXI.)  
Eorumque quum olim tres essent DOTIS  
DICTIO, (*Inst.* §. DCCCXXVIII.) PRO-  
MISSIO OPERARUM, doni, muneris ju-  
rata, a liberto facta, (P. VI. §. XLVII, 3.)  
& STIPULATIO: *Caj. Inst.* II, 9. 2. sequ.  
jus nostrum solum adhuc memorat *stipula-  
tionem*.

## §. III.

Quid sti-  
pulatio ?

Est itaque STIPULATIO contractus no-  
minatus accessorius, (§. I.) juris civilis,  
(P. I. §. CCCLXIII.) stricti juris, (P. I. §.  
CCCLXV.) quo quis ad alterius interro-  
gationem congrue respondendo \* ad dan-  
dum faciendumve, quod stipulantis interest,  
obligatur. *L. 5. §. 1. ff. pr. Inst. h. r.*

\* Olim quum omnia civilia linguam Latinam  
requirerent: (P. V. §. XLIII: \*) *stipulatio-  
nes* præterea Latine abscisse fieri oportebat.  
Sed id constitutione sua sustulit Leo Impera-  
tor *L. 10. C. de contr. stipul.* Ceterum inde  
discimus etiam, stipulationem fuisse civile,  
& si alienæ obligationi accederet, *virile ne-  
gotium L. 1. §. 1. L. 2. §. 1. ff. ad SC. Vell. L.  
2. pr. ff. de reg. jur.*

## §. IV.

De ca-  
xiomata.

Inde axiomata: I. Stipulatio est contra-  
ctus accessorius. II. Stipulari possumus,  
quod dari fierive potest, & quod dari fieri-  
que nostra interest. III. Forma consistit in  
interrogatione & responsione congrua.

## §. V.

Stipula-  
tio certa,  
pura, in

Quum itaque stipulatio sit contractus ac-  
cessorius, (§. IV.) 1) obligari autem possumus

vel

vel ad præstandam speciem quantitatemve, vel ad genus factumve: prioris generis stipulatio CERTA; posterioris INCERTA adpellatur. L. 74. L. 75. ff. pr. Inst. h. t. Et quemadmodum aliæ quoque obligationes vel pure, vel in diem, vel sub conditione contrahuntur: ita & stipulationes vel PURE, vel IN DIEM, vel SUB CONDITIONE concipi possunt.

diem, sub conditione.

§. VI.

PURE promittit, qui promissionis eventum a nulla circumstantia suspendit: SUB CONDITIONE, qui promissionis effectum suspendit ab incerto eventu: (P. V. §. LXIII.) IN DIEM vel EX DIE, quando dies adjicitur tanquam terminus, vel ad quem, vel ex quo obligatio effectum sortiri debeat. Unde nova axiomata: IV. Stipulationis pura dies & cedit statim & venit. L. 213. ff. de verb. signif. V. Stipulationis sub conditione possibili factæ dies pendente conditione nec cedit nec venit. d. L. 213. VI. Ex die certo quod promissum, ejus dies cedit quidem, sed non venit: d. L. 213. Dies incertus pro conditione est. L. 75. ff. de cond. & dem. VII. In diem concepta obligatio ipso jure perpetuatur. (\*)

Stipulationis pure, conditionalis & in diem natura.

\* Est enim stipulatio contractus stricti juris: (§. III.) & dies, ad quem adjectus, loco pacti adjecti est, quod non potest in contractibus hujusmodi quidquam præter exceptionem producere: (P. I. §. CCCLVI)

## §. VII.

Quid ju-  
ris in sti-  
pulatione  
pura?

Quum itaque *pura* stipulationis dies statim & cedat & veniat; (§. VI, 4.) sequitur, 1) ut quod promissum est, statim recte petatur. §. 2. *Inst. L. 41. §. 1. L. 137. §. 4. ff. h. r.* 2) Ut tamen id intelligendum sit civiliter, tantumque laxamenti indulgendum debitori, ut se ad solvendum, tradendumve comparare possit. *L. 105. ff. de solut. §. ult. Inst. de inu-til. stip.*

## §. VIII.

Quid in  
conditio-  
nali?

Et quia stipulationis *sub conditione possibili* factæ dies pendente conditione nec cedit nec venit; (§. VI, 5) sequitur, 1) ut *impossibilis* stipulationem plane vitiet, *L. 7. L. 26. seq. L. 35. L. 97. L. 123. ff. h. r.* secus ac in ultimis voluntatibus (P. V. §. LXVII, 1.) 2) Ut *ex conditionali stipulatione* tantum spes nascatur, sed talis, quæ in heredes transit; §. 4. *Inst. L. 57. ff. h. r.* quod iterum aliter se habet in ultimis voluntatibus (P. V. §. LXV, 5.) 3) Ut *conditio*, in arbitrium promittentis expresse collata, ridicula & nullius momenti sit. *L. 17. L. 46. fin. ff. h. r.*

## §. IX.

Quid in  
stipula-  
tione ex  
die?

Quum porro *ex die certo* conceptæ stipulationis dies statim cedat, at non veniat, dies autem *incertus* pro conditione fit; (§. VI, 6.) facile patet, 1) diem *certain* in favorem promittentis plerumque adjici, *L. 41. §. 1 ff. h. r. L. 17. ff. de reg. jur.* adeoque 2) in hujus quidem arbitrio esse, an *ante diem* solvere velit, *L. 50. ff. de obl. & act. L. 70. L. 9 §. 4. ff. de solut. &* 3) quod ita solutum per

erro-

errorem, reperti non posse, L. 10. ff. de cond. indeb. non autem 4) in arbitrio stipulantis esse, an citius petere velit, adeo, ut ne ultimo quidem currente die promittentem urgere possit. L. 38. §. 16. L. 42. ff. §. 2. Inst. h. r. 5) Si negotium uno momento confici non possit, annum temporis ei promissioni tacite inesse, quanto probabiliter opus est, ad illud explicandum. L. 14. L. 131. L. 41. §. 1. L. 73. pr. L. 137. §. 2. ff. §. 5. Inst. h. r. 6) Si die incertus adjectus sit, omnia eadem esse, ac in stipulationibus conditionalibus. (§. VIII.)

§. X.

Quandoquidem etiam quod in diem promissum ipso jure perpetuatur, (§. VI, 7.) pactum tamen, etiam contractui stricti juris adjectum, exceptionem parit, (P. I. §. CCCLVI consequens est, 7) ut finito die petenti obstat exceptio pacti. L. 41. §. 1. ff. de obl. & act.

Vel in diem?

§. XI.

Ceterum ex eodem axioma, & quod stipulatio sit contractus accessorius, (§. IV, 1.) facile pater, 1) eos demum promittere posse, qui possunt pacto obligari, (P. I. §. CCCLXVII. seq.) adeoque 2) nec inter patrem & filium stipulationem intercedere posse, nisi in causa castrensi vel quasi castrensi, vel publica. (P. I. §. CCCLXIX, 1.) §. 6. Inst. de innt. stip. nec inter dominum & servum, immo nec 3) inter fratres in ejusdem patris potestate constitutos. L. 38. ff. de cond. indeb. 4) Nullius momenti esse stipulationem sine causa debendi. L. 2. §. 3. ff. de dol. & met. except.

Qui possint promittere?

§. XII.

## §. XII.

Alterum  
alteri sti-  
pulari nō  
posse?

Quumque stipulari nobis possimus, quod nostra interest; (§. IV, 2.) consequens est, 1) ut regulariter nemo stipulari alteri possit, L. 38. pr. §. 1. 17. ff. h. t. §. 4. 18. *Inst. de inut. stip.* adeoque nec pater filio, nisi heredi. L. 17. §. 4. ff. de pact. L. 33. ff. eod. 3) Ut, si quis sibi & alteri stipulatus sit, stipulatio pro parte dimidia stipulantis subsistat. L. 110. pr. ff. h. t. §. 4. *Inst. de inut. stipul.*

## §. XIII.

Excep-  
tiones a  
regula.

Contra ex eo axioma non male colligas, 4) filium & servum stipulari posse iis, quorum in potestate sunt. L. 38. §. 17. ff. h. t. pr. *Inst. de inut. stip.* 5) Valere quoque stipulationem, alterius in rem factam, si stipulantis intersit pecuniariter; L. 38. §. 20. seq. L. 118. §. ult. ff. h. t. §. 19. *Inst. de inut. stip.* quod quum probatu difficile sit, 6) optime sibi consulere, qui stipulationi hujusmodi poenam subiciat. §. 18. *Inst. eod.* L. 38. §. 17. ff. h. t. 7) Solutionem etiam in alterum conferri posse, idque factum videri, si quis dixerit: *Mibi aut Sejo dare spondes?* 8) eoque casu Sejo ante litis contestationem me etiam invito solvi posse. L. 56. §. 2. L. ult. §. 3. ff. h. t. §. 4. *Inst. de inut. stip.* L. 12. §. 1. L. 57. §. 1. ff. de solut. 9) Nihil prohibere, quo minus plures & sibi stipulari, & plures promittere possint.

## §. XIV.

Quæ res  
in stipu-  
lationem  
deducan-  
tur?

Præterea quum stipulari nobis possimus, quod dari fieri potest; (§. IV, 2.) consequens est, 1) non posse in stipulationem deduc-

duci res, extra commercium positas, L. 69. L. 82. pr. L. 103. ff. h. t. 2) ne quidem in eum casum, si res in commercio futura sit. L. 34. §. 2. ff. de coner. emt. L. 83. §. 5. ff. h. t. §. 2. Inst. de inur. stip. 3) Multo minus, quæ nec existunt, nec existere possunt, §. 1. Inst. de inur. stip. secus ac res non existentes quidem, sed possibiles. L. 73. ff. h. t. 4) Stipulari sibi neminem posse res suas, §. 2. Inst. de inutil. stip. nec 5) promittere aliquem posse pro alio, §. 3. §. 21. Inst. eod. nec 6) rem alienam, d. §. 21. nec 7) rem turpem, §. 23. Inst. eod. L. 26. ff. h. t. nec 8) genus remotum. L. 94. sequ. ff. h. t.

§. XV.

Denique quum forma stipulationis consistat in interrogatione & responsione congrua; (§. IV, 3.) sequitur, 1) ut, si quis pure rogatus, sub conditione respondeat, vel contra, stipulatio inutilis sit, nisi stipulator statim adquiescat. L. 1. §. 3. ff. h. t. Plaut. Trin. V, 2. v. 34. (Inst. §. DCCCLXX.) 2) Ut eodem modo se res habeat, si quis Stichum aut Pamphilum stipulato, unum se daturum respondeat. L. 83. §. 2. ff. h. t. 3) Ut contra valeat promissio si quis Stichum & Pamphilum stipulato unum, L. 1. §. 5. L. 83. §. 4. ff. h. t. §. 17. Inst. de inur. stip. vel 4) decem roganti quinque promiserit. d. L. 1. §. 4. L. 83. §. 3. ff. h. t.

Viria stipulationis in forma.

§. XVI.

Ex eodem axioma reddi potest ratio, 5) cur inutilis sit stipulatio, si promissor & stipulator non de eadem re senserint, §. 22.

Alia e usdem generis.

Inst.

*Inst. h. r.* itemque 6) si perplexa sit stipulatio; (*Inst. §. DXLVII.*) *arg. L. 16. ff. de const. Inst.* vel 7) errorem in persona involvat. *L. 9. pr. ff. eod.* 8) Cur tamen stipulationem non vitiet præpostera loquendi ratio. (*Inst. §. DXLVII.*) §. 13. *Inst. h. r. L. 64. ff. de verb. obl.* 9) Cur nec inter absentes intercedere possit stipulatio, §. 12. *Inst. de inut. stip. nec* 10) ea per epistolam, internuncium, litteras interponi possit. \*

\* Si tamen scriptum est, omnia facta sollemniter, pro scriptura & veritatis & sollemnitate præsumptio militat. §. 21. 17. *Inst. de inut. stip. L. 14. de contr. vel comm. stip.*

### §. XVII.

**Actio ex stipulatu.**

Ceterum, quia *stipulatio* est contractus unilateralis, & stricti juris, & quidem nominatus; (§. III.) nasci inde oportet actionem unam, & contractui cognominem, **EX STIPULATU**, (*L. 83. §. 6. ff. h. r.*) quæ datur stipulanti, ejusve heredi, adversus promittentem, ejusve heredem ad præstandum certum incertumve, quod promissum est. Unde priore casu conditio **CERTI**; posteriore **INCERTI** est, quamvis conditio incerti κατ' ἐξοχὴν actio ex stipulatu dici soleat. *pr. Inst. h. r.*

### §. XVIII.

**An promissor facti liberetur præstando id.**

Quod si itaque promissorem præstare oportet, quod promisit; (§. XVII.) facile patet, 1) eum quoque, quid factum promissit, illud factum præstare teneri, & 2) quantumvis stipulatoris sit optio, factumne an id, quod

quod interest, petere malit: vulgo tamen quod interest?  
 3) falso dici, eum, qui factum promisit, liberari præstando id, quod interest. L. 72. ff. de verb. obl. L. 13. §. ult. ff. de re jud. L. 71. §. 2. ff. de condit. & demonstr. L. 2. ff. de lib. hom. exhib. Unde porro inferimus, 4) Justinianum, dum hic poenam conventionalem adjici suadet, id non ideo facere, quod factum promittens factum præstare non cogatur, sed quod plerumque, si non præstetur, incertæ sit æstimationis, quantum nostra intersit. §. ult. Inst. h. t. Add. Cujac. ad L. 72. ff. de verb. obl. Coras. Miscell. II, 3. Huber. Pral. ad Inst. h. t. §. 5. Thomas. Dissert. sing. an qui factum promisit, liberetur, præstando id, quod interest.

§. XIX.

Ceterum Germanicæ originis gentes, quemadmodum hujusmodi formulis nunquam usæ sunt, ita hodiernum inter *pacta* & *stipulationes* nihil statuunt discrimini, sed ex utrisque concedunt actionem, quam sive conditionem ex stipulatu, sive ex moribus adpelles, parum videtur interesse. Usus hodiernus.

T I T. II.

De duobus reis constituendis.

§. XX.

**Q**Uando quidem non solum unus alteri, sed & duo pluresve promittere, vel duo pluresve sibi idem stipulari possunt; (§. XIII, 9.) observandum est, eo casu singulos Plures obligantur, pluribusque debetur pro rata, nisi sine pro

pro patre & obligari, & jus ex ea stipulatione  
acquirere, *L. 11. §. 1. 2. ff. h. s.* nisi duo pluresve  
in solidum promiserint, vel duobus in soli-  
dum promissum sit, quo casu REI \* vel COR-  
REI adpellantur, & in solidum vel obligan-  
tur, vel agere possunt.

\* *Rei generatim sunt, quorum de re discepta-  
tur. Cic. de Orat. II, 43. & 79. Fest. voco  
reus. Unde & qui agit, & is, unde petitur,  
aliquando communi nomine REI vocantur.  
Fest. ibid. Hinc & qui inter se aliquod ne-  
gotium contraxerunt, rei vel correi vocan-  
tur. L. 5. pr. de verb. obl. Unde, qui se ob-  
ligarunt, rei constituti; L. 14. §. 6. ff. quod  
met. caus. vel rei facti; L. 1. §. 8. ff. quar.  
rer. act. qui crediderunt, rei credendi; qui  
acceperunt, rei debendi; qui satis dederunt,  
rei satisfaciendi; qui satis acceperunt, rei sa-  
tis accipiendi adpellantur. L. 34. §. 8. ff. de  
solut.*

## §. XXI.

Qui rei  
promit-  
tendi &  
stipulan-  
di?

Itaque duo REI PROMITTENDI sunt,  
qui alteri, una oratione interroganti, con-  
grue respondent, seque singulos ex eadem  
caussa in solidum idem daturos spondent;  
*L. 1. sequ. ff. §. 1. Inst. h. t.* Duo REI STIPU-  
LANDI quibus eandem sibi rem ex eadem  
caussa separatim stipulantibus debitor eam  
se daturum præstiturumve spondet. \* *L. 1.  
ff. pr. Inst. h. t.*

\* Itaque hodie, postquam stipulandi ritus  
exolevit, (§. XIX.) sufficit, modo plures  
expresse in solidum promittant sive stipu-  
len-

lentur, v. c. verbis: *te xamen en elk voor' s i-geheel*, vel Germanice: *Allc vor einen unde einer vor alle*.

§. XXII.

Quum itaque duo *rei promittendi* in solidum obligentur; (§. XX.) sequitur, 1) ut singuli possint conveniri in solidum, & optio sit stipulatoris, utrum convenire malit. §. 1. *Inst. L. 3. §. 1. ff. h. t.* 2) Ut unus, creditori satisfaciendo, obligationem perimat. *L. 2. sequ. ff. h. t. L. 20. ff. ad SC Vellej. L. 16. ff. de accoptil.* 3) Ut non gaudeant beneficio divisionis, ne quidem jure novissimo, nisi eo casu, si simul sint *ἀλληλεγγύως ὑπεύθυνοι*, id est, si reciproca fidejussione sint obligati, *Nov. XCXIX. cap. 1.* (qua tantum *L. 11. pr. ff. h. t.* derogatur. 4) Ut si unus pure, alter in diem, vel sub conditione promiserit, nihil prohibeat, quo minus ab eo, qui pure debet, petatur. *L. 7. L. 9. ff. h. t.*

Obligatio reorū promittendi.

§. XXIII.

Quumque contra *reis stipulandi* singulis solidum debeatur; (§. XX.) consequens est, 1) ut singuli possint petere solidum, & 2) si uni satisfactum sit, reliqui amplius exigere nequeant: *L. 2. L. 3. §. 1. ff. h. t.* 3) Ut perinde sit, sive ipsis solutum, sive debitum acceptilatione, novatione, jurejurando extinctum sit. \* *L. 2. L. 16. ff. h. t. L. 31. §. 21. ff. de novation. L. 27. sequ. ff. de jurejur.*

Jus reorū stipulandi.

\* Non si pacto sublatum sit ab uno cor reorum, *L. 27. pr. ff. de pact.* Quum enim nihil

hil fit tam naturale, quam eo genere quid-  
que diffolvi, quo colligatum eft; adeoque  
verborum obligatio non nifi verbis follem-  
nibus feu ftipulatione tolli poffit: L. 35. ff.  
de reg. jur. facile patet, pacto debitorem  
non liberari.

## §. XXIV.

An cor-  
rei inter  
te habe-  
ant actio-  
nem?

Ex eodem denique fequitur, 4) ut unus  
reorum folvens actionem non habeat adver-  
fus correum, L. 36. ff. de fidejuff. nec 5) u-  
nus correorum, cui folutum, cogi poffit  
partem cum correo communicare, nifi vel  
focii fint, vel ita inter eos convenerit. L.  
62. pr. ff. ad L. Falcid. L. 2. C. h. t. L. 43. pro foc.  
L. 62. ff. de reb. cred.

## T I T. III.

## De ftipulatione fervorum.

## §. XXV.

De fer-  
vorum  
ftipula-  
tione a-  
xioma.

**D**iximus & *servum* ftipulari poffe ei, cu-  
jus in potestate eft. (§. XIII, 4.) Hi  
enim, quum ipfi fint ἀπόσωποι, (P. I. §.  
CXXXII.) ftipulantur ex perfona domino-  
rum, pr. *Inst. h. t.* & hinc quidquid ftipu-  
lantur, adquirunt domino, nifi in facto  
confiftat. L. 1. pr. L. 15. ff. §. 1. 2. *Inst. h. t.*

## §. XXVI.

Quam  
adquirat  
fervus  
heredita-  
rius, cō-  
munis,  
publicus.

Quum itaque fervus ftipulatione fua ad-  
quirat domino; (§. XXV.) confequens eft,  
1) ut fervus hereditarius ftipulando acqui-  
rat hereditati jacenti, & perfonam defun-  
cti fufinenti. (P. I. §. CXCII, 5) pr. *Inst.*  
*h. t.* 2) Ut fervus communis ftipulans ad-  
quirat dominis pro portione domini, nifi  
vel

vel jussu unius, vel nullo jubente, ut sibi stipularetur, uni nominatim stipulatus sit. L. 5. L. 7. ff. §. 3. Inst. h. t. L. ult. C. per quas pers. obl. adqu. 3) Ut servus publicus cuivis ex universitate stipulari possit. \* L. 3. ff. de prator. stip. L. 1. §. 4. ff. ut legat.

\* Et inde sunt satisfactiones factæ τῶν ταβυλαρίων, tabulario, de quibus Aamaya ad L. 3. C. de tab. scrib. logograph. Add. Jac. Gothofredi Comm. ad L. 73. §. ult. ff. de reg. rei. pag. 322.

§. XXVII.

Ex eodem constat, 4) nihil interesse, si-  
ve sibi servus stipuletur, si-ve domino, si-ve  
conservo, si-ve impersonaliter. §. 1. Inst. L. 1.  
pr. L. 15. ff. h. t. 5) Fructuarium servum, si  
ex re fructuaria vel operis suis vel fructua-  
rii jussu stipuletur, usufructuario; si vero  
aliunde, domino stipulatione adquirere. L.  
18. §. ult. L. 22. L. 31. ff. h. t. 6) Servum alie-  
num alii nominatim stipulando, non acqui-  
rere domino, L. 30. ff. h. t. nec 7) qui bo-  
na fide servit, nisi b. f. possessoris jussu vel  
ei nominatim stipulatus sit. L. 31. L. 39.  
ff. h. t.

Cui pri-  
vatus  
fructua-  
rius, &  
bona fi-  
de servi-  
tus?

§. XXVIII.

Denique ex eodem axioma inferimus;  
8) Ea quæ facti sunt, servum sibi stipulari  
posse, veluti ire, ambulare, adeoque 9)  
hujusmodi jura ex stipulatione servi domino  
haud adquiri. L. 44. ff. de cond. & dem. L. 38.  
§. 6. ff. de verb. obl.

Stipula-  
tio facti  
cui pro-  
fit?

§. XXIX.

## §. XXIX.

Ufus ho-  
diernus.

Enimvero quum hodie servi vel homines proprii non omnia dominis, sed pleraque sibi adquirant; (P. I. §. CXXXVIII, 3.) facile patet, totius hujus tituli hodie usum ne ullum quidem esse posse. (*Inst.* §. DCCCLI.)

## L I B E R XLVI.

## T I T. I.

*De fidejussoribus & mandatoribus.*

## §. XXX.

Conne-  
xio.

**Q**uemadmodum omnibus aliis obligationibus, (§. I.) ita & FIDEJUSSIONIBUS firmandis inductæ erant stipulationes. §. 1. *Inst. de verb. obl.* Quare jam de FIDEJUSSORIBUS agitur hoc titulo.

## §. XXXI.

Fidejus-  
soris de-  
finicio.

**FIDEJUSSOR**, (qui & ADPROMISSOR, *L. 5. §. 2. ff. de verb. obl. L. 64. §. 4. ff. sol. matr.*) est, qui alienæ obligationi mediante stipulatione & sine novatione majoris securitatis causa accedit. *L. 7. §. 3. ff. de dolo. L. 12. C. de fidejuss. pr. Inst. h. r. L. 1. §. 8. ff. de obl. & act.* Unde facile a pecunia constituta reo, mandatore & expromissore distinguitur. \*

\* Qui enim sine stipulatione per nudum pactum alterius obligationi accedit, is non fidejussor.

dejubes , sed **CONSTITUIT**. ( P. III. §. XCVII. ) L. 1. §. 4. L. 11. §. 1. ff. de const. pec. Qui non per stipulationem , sed per consensualem contractum obligationem principalem antecedit , is **MANDATOR** , non *fidejussor* , est . L. 12. §. 14. ff. mandat. Unde hic suo , non alieno nomine teneri dicitur : L. 1. §. 8. ff. de obl. & act. Denique qui non alienæ obligationi accedit , sed eam novando in se suscipit , reo priore liberato , is non *adpromittere* vel *fidejubere* , sed **EX-PROMITTERE** dicitur . L. ult. ff. ad SC. Mac. §. 3. Inst. quib. mod. toll. obl.

### §. XXXII.

Inde ergo fluunt axiomata : I. Fidejussio est stipulatio , adeoque civile & virile negotium . ( §. III. \* ) L. 1. §. 1. L. 2. §. 1. ff. ad SC. Vell. L. 2. pr. ff. de reg. jur. II. Eadem est contractus accessorius . III. Fidejussores olim ut correi promittendi , ( §. XXII, 1. ) omisso debitore principali , conveniri poterant : L. 5. C. de fidejuss. L. 4. §. 1. ff. eod. L. 20. ff. de cond. indeb. hodie , si beneficio ordinis utuntur , in subsidium sunt obligati.

De fidejussione axiomata.

### §. XXXIII.

Ex primo axioma ( §. XXXII, 1. ) patet , 1 ) fidejubere posse , quicumque se spondendo obligare possunt , ( §. XI, 1. ) L. 3. L. 10. §. 2. ff. L. 8. C. h. r. non autem 2 ) furiosos , §. 8. Inst. de inut. stip. infantes & infantia propiores , §. 9. Inst. eod. nec surdos & mutos , §. 7. Inst. eod. nec prodigos , L. 6. ff. de verb. obl. immo ne 3 ) pupillos quidem pubertati propiores , & minores sine tuto-

Quinam fidejubere non possint ob inhabilitatem ?

rum

rum auctoritate & curatorum consensu. §. 9.  
*Inst. de mut. stip.*

## §. XXXIV.

Qui non  
possunt  
ob pro-  
hibitio-  
nem le-  
gum?

Et quia fidejussio civile ac virile videba-  
tur negotium ; (§. XXXII, 1.) facile reddi-  
deris rationem, cur 4) nec mulieres pro  
aliis intercedere patiatur SC. Vellejanum;  
(P. III. §. CXCVII.) & *Authentica si qua  
mulier C. ad SC. Vellej.* (P. III. §. CCV.) &  
5) cur fidejussiones clericorum pro laicis  
jura nostra non magis approbent. *Novell.  
CXXIII. cap. 6. §. 1. quam 6) militum. L. 8.  
§. 1. ff. qui satisd. eog.*

## §. XXXV.

Quibus  
in nego-  
riis fide-  
jussioni  
locus sit?

Quandoquidem porro fidejussio est con-  
tractus accessorius ; (§. XXXII, 2.) conse-  
quens est, 1) ut accedere possit omnibus  
obligationibus, sive naturalibus, sive civili-  
bus, sive mixtis; modo effectu non destitu-  
tis, (*Inst. §. DCCCLXXVIII. sive ex conven-  
tione, sive ex maleficio ortis. (ibid.) L. 1.  
L. 6. §. 2. L. 7. L. 8. §. 1. sequ. §. 5. ff. h. t. L. 6.  
ff. de verb. obl.*

\* Excipiuntur tamen 1) causa restituendæ do-  
tis, ob quam nec volens maritus fidejusso-  
rem datum, nec hic, si sponponderit, obli-  
gari potest. *L. 2. C. ne fidei dot. dent. 2) A-  
ctiones populares. L. 56. §. ult. ff. h. tit. 3) Causæ capitales, ubi tantum cautio ju-  
dicio fisci & judicatum solvi locum habet,  
si æstimare possit judex, pœnam non immi-  
nere corporis afflictivam. L. 26. ff. L. 22. C.  
de pœn. L. 1. L. 2. pr. §. 1. L. 3. seq. ff. de cust.  
& exho. repr.*

## §. XXXVI.

§. XXXVI.

Ex eodem axioma inferimus, 2) posse quidem fidejussorem se magis obligare, quam debitorem principale, non autem in majus, vel duriorum causam; \* §. 5. *Inst. h. r.* nec valere 3) fidejussionem in aliam rem, quam debitum principale. *L. 42. ff. h. r.* 4) Exstincta obligatione principali vel confusione sequuta, fidejussoris etiam obligationem exstingui. *L. 93. §. 2. 3. ff. de solut. pr. Inst. quib. mod. toll. obl.*

An in majus fidejuberi possit?

\* Sed annon tunc obligatur fidejussor tantum ad summam concurrentem? Ita videtur ob *L. 213. ff. de reg. jur. & §. 8. Inst. de mand.* Nec obstat *L. 8. §. 7. ff. h. r.*

§. XXXVII.

Denique ex postremo axioma (§ XXXII, 3.) patet, 1) fidejussores plures teneri in solidum. §. 4. *Inst. L. 3. C. h. r.* 2) Reo principali non solvente, adversus fidejussorem, ejusve heredes, dari actionem ex stipulatu. \* (§ XVII.) *L. 4 §. 1. L. 24. §. 2. Inst. h. r.* 3) Fidejussionem ad certum tempus factam cum protestatione, quod ultra obligari nolumus, expirare, tempore elapso, & tunc nobis conventis in promptu esse exceptionem pacti, (§ VI, 7. \*) *L. 44. §. 1. ff. de obl. & alt.*

Fidejussio nis effecta.

\* Hac actione etiam convenitur fidejussor fidejussoris, quem vulgo fidejussorem succedaneum (*Rucke-burge*) vocant, id est, qui in securitatem non creditoris, sed fidejussoris spondit. *L. 8. §. ult. L. 27. §. 2. ff. h. tit.* Ab *Hein. Pand. Tom. II.* O hoc

hoc diversus *fidejussor indemnitatis*, (*Sehad-loff-burge*) qui se obligat tantum sub conditione, si quid creditor a debitore servare nequeat. *Mev. Decis. VII, 321, 1.*

## §. XXXVIII.

Benefi-  
cium di-  
visionis.

Quum itaque plures fidejussores teneantur in solidum; (§. XXXVII, 1.) epistola Hadriani Imp. fidejussori, (præter eum, qui pro tutore spondit, *L. ult. ff. rem pupill. salv. fore*) indulget, ut in solidum conventus possit exceptione opposita impetrare, ut obligatio inter se & confidejussores DIVIDATUR, & creditorem a singulis, dummodo solvendo sint, partes petere oporteat. §. 4. *Inst. L. 26. L. 51. §. 1. ff. h. t.*

## §. XXXIX.

Ejus na-  
tura.

Ex quo sua sponte fluit, 1) non ipso jure dividi obligationem, (§. XXXVII, 1.) sed ope exceptionis, *L. 26. ff. h. t.* adeoque 2) omissa hac exceptionis, post latam sententiam fidejussorem solidum solvere teneri, adeo ut nec adversus confidejussores agere possit, nisi ex jure cesso. §. 4. *Inst. L. 26 L. 39. ff. L. 11. C. h. t.* 3) Non prodesse hoc beneficium, si confidejussores non sint solvendo, *L. 10. §. 1. C. h. t.* vel 4) si conveniri commode nequeant, vel 5) si huic beneficio renunciarint. *L. pen. C. h. t.* pro qua renunciatione non habetur, si fidejussores se obligarint in solidum. *L. 3. C. h. t.*

## §. XL.

Benefi-  
cium or-  
dinalis.

Quumque fidejussores a creditore, omisso debitore principali, conveniri possent; (§. XXXII, 3.) a Justiniano inventum est

**BENEFICIUM ORDINIS**, vel *excussionis*, quod fidejussoribus indulget, ut, opposita hac exceptione, non teneantur solvere, priusquam excussus sit debitor principalis. *Nov. IV. cap. 1.* Ex quo sequitur, 1) ut nec hoc beneficium ipso jure competat, eique 2) possit renunciari, 3) utque cesset, si reus principalis vel manifesto non sit solvendo, vel latitans conveniri nequeat.

§. XLI.

Denique quum fidejussor, in solidum condemnatus, actionem non habeat adversus confidejssorem, nisi ex jure cesso; (§. XXXIX, 2.) inventum est **BENEFICIUM CEDENDARUM ACTIONUM**, quod fidejssori solidum soluturo \*) indulget, ut non teneatur solvere, priusquam creditor ei cesserit actiones, quibus a confidejssoribus, quod ultra ratam solvit, repetere possit. *L. 17. L. 36. L. 39. ff. L. 2. L. 11. L. 14. C. h. t.*

Et cedendarum actionum.

\* Non ei, qui jam solvit. Quum enim solutione actio extinguatur: actio extincta cedi nequit. *L. 67. ff. de solut. L. 1. C. de contr. sut. judic.* nisi ea lege facta sit solutio, ut actiones cedantur: *d. L. 67. ff. de solut.* quod præsumi putat Paullus. *L. 36. ff. h. tit.*

§. XLII.

Ex quo consequitur, 1) cessis actionibus ordinarie opus non esse adversus reum principalem, \* (qui vel actione mandati, vel negotiorum gestorum conveniri potest, §. 6.

Ejus natura.

*Inst. h. t. L. 4. pr. ff. h. t.*) sed adversus fidejussores, quos nullo facto obligatos habet. *L. 39. ff. h. t. 2*) Non posse huic beneficio renunciari. *Carpz. Part. II. Const. XVII. def. 17. 3*) Fidejussorem ex jure cesso impensas, ante cessionem factas, non repetere posse. *Idem ib. def. 21.*

\* Aliquando tamen & adversus hoc utilis est cesso, si creditoris actio sit pinguior, v. c. hypothecaria. *L. 13. ff. h. t.* Aliquando & necessaria: si quis pro invito fidejusserit. *L. 40. ff. L. ult. C. de negot. gest.*

### §. XLIII.

Ufus hodiernus.

Ceterum quum hodie sollemnitas verborum in stipulationibus cesset, & Germanicæ originis gentes inter pacta & stipulationes nihil statuunt discriminis; (§. XIX.) facile intelligitur, etiam sine stipulatione factam fidejussionem valere, adeoque inter illam & constitutam pecuniam nihil admodum interesse. *Vid. Hering. de Fidejuss. XI, 26.*

## T I T. II.

*De novationibus & delegationibus.*

### §. XLIV.

Medi quibus obligatio solvitur.

**V**idimus, quo pacto obligationes stipulationibus firmentur. Superest, ut quibus modis tollantur, dispiciamus. Id fit vel **IPSO JURE**, vel per modum **EXCEPTIO-  
NIS**. (*Inst. §. CMXCV.*) Modi, quibus *ipso jure* tolluntur, vel *communes* sunt omnibus con-

contractibus, veluti **COMPENSATIO**, (P. III. §. CCXVI.) **NOVATIO**, **SOLUTIO**, **CONFUSIO**, **REI INTERITUS**, **OBLATIO**, **CONSIGNATIO**, quæ vel quibusdam contractuum generibus propriis, uti **ACCEPTILATIO** & **MUTUUS DISSENSUS**.

§. XLV.

De **COMPENSATIONE** supra actum est. **NOVATIO** est prioris debiti in aliam obligationem, vel civilem vel naturalem, transfusio ac translatio. *L. 1. pr. ff. h. t.* Id quod quum vel per *stipulationem* \*) fiat, vel per *litis contestationem*: illam **VOLUNTARIAM**, hanc **NECESSARIAM** vocamus. *L. 29. ff. h. t.*

Novatio quid?

\* Cui non obstant *L. 17. ff. h. t. L. 13. §. 10. ff. de acceptilat. (Inst. §. MXIII. \*)*

§. XLVI.

Quia vero, mutata priore obligatione, vel idem debitor creditorve manet, vel novus debitor in locum prioris substituitur; hinc **Novatio** priore casu **SINE DELEGATIONE**; posteriore **PER DELEGATIONEM** fieri dicitur.

Quotus plex?

§. XLVII.

Quum itaque **Novatio** sit modus tollendi obligationes communis; (§. XXIV.) consequens est, 1) ut novari possint obligationes omnes, civiles & prætorix æque ac naturales, sive verbis, sive consensu, sive alio modo contractæ: *L. 1. §. 1. L. 2. L. 5. L. 14. ff. h. t.* transfundique;

Quibus obligationibus locum habeat?

non modo in aliam civilem, verum etiam in mere naturalem. \*

\* Hinc contingere potest, ut si persona valide promittere nequeat, civilis obligatio in naturalem transfundatur, & prior illa perimatur; posterior autem non teneat, v. c. si pupillus novarit. *L. 1. §. 2. L. 20. §. 2. ff. h. tit.* Aliud ubi jus effecta obligationis naturalis plane sustulit. Hinc novatio a servo facta priorem obligationem non tollit. *L. 16. ff. h. t.* Muliere novante, pristina obligatio restituitur. *L. 8. §. 7. L. 16. §. 1. ff. ad. SC. Vellejan.*

### §. XLVIII.

Qui novare possit?

Quumque novatio priorem obligationem tollat; (§. XLV.) sequitur, 1) ut novare possint, quibus solvi potest. *L. 10. L. 25. ff. h. t.* non autem 2) pupilli sine tutorum auctoritate, *L. 1. §. 1. ff. h. t.* nec 3) servi iussu dominorum, *L. 16. ff. h. t.* neque 4) qui sub curatione sunt, sine curatoribus, nisi meliorem reddant conditionem. *L. 3. ff. h. t.* 5) Ut non sufficiat animus novandi, qui olim sufficere videbatur, *L. 2. L. 8. §. ult. L. 28. ff. h. t.* sed requiratur, ut iste discrete exprimatur, siquidem alias & prior obligatio manet, & posterior ei accedit. §. 3. *Inst. quib. mod. toll. obl. L. ult. C. h. t.*

### §. XLIX.

Quomodo novatio fiat sine delegatione?

Quandoquidem porro novatione sine delegatione facta, idem manet debitor & creditor; (§. XLVI.) consequens est, ut talis novatio fiat, 1) si genus obligationis mutatur.

ur. §. 3. *Inst. h. t.* 2) Si priori obligationi aliquid accedit, vel detrahitur, e. g. dies vel conditio. *d. §. 3. eod.* 3) Si nihil quidem ex priore obligatione mutatur, sed, quod ex stipulatione debebas, iterum a te stipulor. *L. 8. pr. ff. h. t.*

§. L.

Quia contra *per delegationem* prior debitor mutatur: (§. XLVI.) facile patet, DELEGATIONEM esse speciem novationis, qua alius debitor, consentiens in locum prioris, substituitur. *L. 11. pr. ff. h. t.* Unde hic novus fit reus, qui vocatur **EXPROMISSOR**, (§. XXXI. \*) & tam se ipsum ultro delegare, \* *L. 4. §. 1. ff. de manumiss.* quam a debitore priore per mandatum delegari potest. *L. 17. ff. h. t.*

Quid delegatio?

\* Prius fecisse D. Paullum Apostolum, pro Onesimo expromittentem, *Philem. v. 11. seq.* erudita dissertatione demonstravit V. A. Zach. Hub. *Dissert. Phil. jurid. Lib. I. Diss. III. cap. II.*

§. LI.

Ex qua definitione sequitur, 1) ut prior debitor per delegationem liberetur, quamvis delegatus non sit solvendo. *L. 26. §. 2. ff. mand. L. 3. fin. C. h. t.* 2) Ut delegationem & creditore volente, & consentiente delegato fieri oporteat. *L. 6. L. 1. C. h. t.* 3) Ut inter delegantem & delegatum mandatum, inter creditorem & delegatum stipulatio intercedat, *L. 11. §. 1. ff. h. t.* 4) Ut manifesta sit inter *delegationem*, *fidejussionem*, con-

Ejus natura.

*stintam pecuniam, cessionem, & adsignationem differentia. \*)*

\* *Fidejussores enim & constituentes priori obligationi accedunt, illi per stipulationem; hi per pactum; expromissor illam perimit, seque de novo obligat: (§. XXXI. \*) Cessio est actus, quo creditor alteri nomen, etiam invito debitore, sine novatione cedit, L. 1. C. h. tit. Unde ea non tollitur obligatio inter cedentem & cessum. L. 3. C. h. tit. Adsignatio denique est mandatum, quo debitor alium, qui pro se solvat, adsignat sine novatione. Unde & hic, adsignato non solvente, ad adsignantem recurritur, vid. Strykii *Vs. modern. Dig. Lib. XVIII. tit. IV. §. 46. seq.* secus ac in delegatione. L. 3. fin. C. h. tit.*

## §. LII.

Necessaria novatio.

Hac de *voluntaria* novatione, **NECESSARIÆ**, seu litis contestationis, quæ effecta sint, jam alibi nos dicere meminimus. (P. II. §. XLIII, 3.) Ceterum quum ea pristina actio non perimatur; L. 29. ff. h. t. L. 2. C. de *judic.* facile patet, eam improprie id nomen ferre.

## T I T. III.

*De solutionibus & liberationibus.*

## §. LIII.

Solutionis definitio.

**T**ertius modus obligationes solvendi communis est **SOLUTIO**, (§. XLIV.) quæ hic

hic est vera & naturalis præstatio ejus, quod in obligatione est, L. 176. ff. de verb. signif. L. 49. ff. h. t. pr. Inst. quib. mod. obl. toll.

§. LIV.

Unde axiomata: I. Cui libera est rerum suarum administratio, is & solvit recte, & solum accipit. §. ult. Inst. quib. al. lic. II. Præstito, quod in obligatione est, obligatio perimitur ipso jure. pr. Inst. quib. mod. toll. obl.

De ea axiomata

§. LV.

Ex priore axioma ( §. LIV, 1. ) inferimus, 1 ) perinde esse, sive quis per se solvat, sive per procuratorem, mandato sive generali sive speciali instructum. L. 56. L. 87. ff. h. t. 2 ) Nec quidquam interesse, an debitor solvat, an loco ejus alius, sive velit debitor, sive nolit: L. 23. L. 40. L. 53. ff. h. t. quamvis, qui pro invito solvit, regressum adversus eum non habeat, nisi ex jure cesso. L. 8. §. 3. ff. L. ult. C. de neg. gest. 3 ) Ut solvere nequeant furiosi, L. 5. ff. de reg. jur. pupilli, minores, sine tutorum curatorumve auctoritate. §. ult. Inst. al. lic. L. 9. §. 2. ff. de auct. tut. L. 3. C. de in jnt. rest. min.

Quis solvere possit?

§. LVI.

Ex eodem axioma sequitur, 4 ) solvi posse se creditoribus, & 5 ) eorum procuratoribus, mandato sive generali sive speciali instructis, L. 12. pr. L. 34. §. 3. ff. h. t. quantumvis postea mandatum a creditore revocatum sit. L. 12. §. 2. ff. h. t. junct. L. 38. §. 1. ff. h. tit. Recte 6 ) solvi tutoribus & curatoribus, L. 14. §. 1. sequ. L. 49. L. 96. L. 100. ff. h. tit. non autem 7 ) pupillo & minori, sine decreto

Cui?

Prætoris, & tutorum curatorumque auctoritate & consensu. *L. 15. L. 96. ff. h. r. §. 2. Inst. quib. al. lic. L. 25. C. de adm. tut.*

## §. LVII.

Quomodo?

Ex posteriore axioma ( § LIV, 2. ) colligimus, 1 ) neque aliud pro alio invito creditori solvi posse, *pr. Inst. quib. mod. obl. toll. L. 2. §. 1. ff. de reb. cred.* neque 2 ) per partes eidem invito solutionem fieri debere, *L. 9. C. h. r.* nisi debitum pro parte tantum liquidum sit, eamque repræsentet debitor. *L. 21. ff. de reb. cred.* vel debitoris pecunia parata destituti bona nemo emere velit. *Nov. IV. cap. 3.* 3 ) Solvendum esse justo loco & tempore, \* *L. 39. ff. h. r.* ista tamen, 4 ) ut debitor ordinarie ante diem solvere possit. *L. 38. §. 16. de verb. obl.*

\* Loco nimirum, ubi convenerat: *L. 9. ff. de eo, quod cerpo loco vel ubi petitur. L. 38. ff. de jud. Tempore vel convento, §. 2. Inst. de verb. obl.* vel, si nihil conventum, simul ac debitorem interpellet creditor, ita tamen, ut paullulum laxamenti concedendum sit debitori. *L. 105. ff. h. r.*

## §. LVIII.

Solutio-  
nis effe-  
ctus.

Denique ex hoc posteriore axioma consequitur, 5 ) ut & reus solutione liberetur, & fidejussores, ( §. XXXVI, 4. ) & pignora. *L. 43. ff. h. r. pr. Inst. quib. mod. obl. toll.* 6 ) Ut, si ex diversis causis debeatur, & aliquid solvatur, in arbitrio solventis sit dicere, quod debitum potius velit solutum. 7 ) Si solvens nihil dixerit, in creditoris arbitrio sit,

fit, cui potius debito acceptum ferat. L. 1. L. 2. L. 3. pr. ff. L. 1. C. h. t. 8) Si ne id quidem factum, solutum primo videatur in usuras, deinde, quod superat, in duriolem causam, hinc porro, si omnia paria sint, in sortem antiquiorem, L. 5. pr. §. 2. 3. L. 7. ff. h. t. denique, si par omnium ætas, in omnes pro rata imputetur. L. 8. ff. h. t.

§. LIX.

Eodem titulo & de LIBERATIONIBUS agitur. Liberatio vero quum sit omnis obligationem solvendi ratio: de reliquis obligationem solvendi modis communibus agere hic licebit.

Quid liberatio?

§. LX.

Talis est IV. CONFUSIO, (§. XLIV.) quæ contingit, quoties jus creditoris & obligatio debitoris in una persona coalescunt. L. 75. L. pen. ff. h. t. L. 7. C. de pact. V. REI INTERITUS, quamvis hic modus non ad genus, nec ad quantitatem, sed ad speciem debitam pertineat. L. 23. L. 49. pr. ff. de verb. obl. eoque non is, qui in mora fuit, d. L. 23. L. 49. nec is, cujus culpa res periit, L. 14. §. 1. ff. de pos. L. 15. §. ult. ff. de re vind. nec fur, vel vi possidens liberetur. L. ult. ff. de condiç. furt. L. 1. §. 34. L. pen. ff. de vi & vi arm.

Quid confusio & rei interitus?

§. LXI.

Modus sextus est OBLATIO & CONSIGNATIO, (§. XLIV.) quæ in eo consistit, quod debitor totam summam, justo loco & tempore oblatam, & a creditore non receptam, in iudicio, citata altera parte

Oblatio & consignatio.

obsignatam deponit. *L. 19. C. de usur.* Curius factæ is effectus est, ut offerentem ab obligatione liberet, cursum usurarum sistat, *d. L. 19.* & periculum rei vel pecuniæ depositæ statim in creditorem transferat. *L. 9. C. de solut.*

## T I T. IV.

*De acceptilatione.*

## §. LXII.

Modorū  
tollendi  
obligationem  
propriorum  
fundamentū

**H**Actenus de *communibus* obligationes tollendi modis: sequuntur jam *proprii*, (§. XLIV.) qualis præcipue est ACCEPTILATIO. Quam enim nihil tam sit naturale, quam eo genere quodque dissolvi, quo obligatum est, convenientissimum videbatur, verborum obligationem verbis tolli; nudi consensus obligationem contrario consensu dissolvi. *L. 35. ff. de reg. jur.* & ibi Jac. Gothofr. in Comment.

## §. LXIII.

Acceptilationis  
& pacti  
de non petendo  
diff. terentia.

Ex eo ergo principio sequebatur, 1) ut *nuda* remissio, seu pactum de non petendo, non ipso jure tolleret obligationem, sed *exceptio-* nem tantum pacti produceret. §. 3. *Inst. de except.* *L. 7. §. 4. L. 27. §. 2. ff. de pact.* 2) Ut ad tollendam obligationem verborum opus esset verbis *sollemnibus*: iisque adhibitis obligatio ipso jure *expiraret*. *L. 19. §. 1. ff. h. t.*

## §. LXIV.

Quid acceptilatio?

Itaque ACCEPTILATIO est *actus legitimus*, (P. I. §. XXXV.) *L. 77. ff. de reg. jur.* quo interrogatione debitoris: **QUOD EGO**

TIBI

TIBI PROMISI, HABESNE ACCEPTUM?  
& congrua creditoris responsione, obligatio, per stipulationem contracta, tollitur.  
L. 1. ff. h. tit. §. 1. Inst. puib. mod. obl. toll.

§. LXV.

Quum ergo sit actus legitimus, (§. LXIV.) sequitur, (§. XXXVI.) 1) ut acceptum recte ferat creditor, qui liberam habet rerum administrationem, & alienandi facultatem, ejusque heres; L. 13. §. 10. seq. ff. L. 1. C. h. tit. non autem 2) tutor, curator, Procurator. L. 13. §. 10. L. 3. ff. h. tit. 3) Ut acceptilatio nec diem admittat nec conditionem, L. 4. L. 5. ff. h. t. quamvis obligatio, etiam sub conditione vel in diem contracta, acceptilatione pure tolli possit. L. 2. ff. eod. 4) Ut pupillus quidem sine auctoritate tutoris acceptum rogare, non autem acceptum ferre possit. L. 2. ff. L. 1. C. eod.

Quis acceptum ferre possit?

§. LXVI.

Quumque ad solas verborum obligationes pertineat acceptilatio: (§. LXII.) consequens est, 5) ut, si acceptilatio fiat ob alias obligationes, ea non ipso jure obligationes illas perimat, sed tanquam pactum de non petendo producat solum exceptionem pacti (§. LXIII.) L. 8. pr. L. 19. pr. ff. h. t.

Ad quas obligationes pertineat acceptilatio?

§. LXVII.

At C. Aquilius Gallus, æquissimus ille & solertissimus cautionum formularumque artifex, (Cic. de Nat. Deor. III, 30. de Offic. III. 14. pro. A. Cacin. cap. XXVII.) invenit formulam, qua omnes obligationes, etiam verbis

Stipulatio Aquiliana.

bis non contractæ, perimi possent ita, ut primum obligatio per stipulationem novaretur, ac deinde per acceptilationem tolleretur. (*Inst. §. MXXVII.*) Formulam habes *§. 2. Inst. quib. mod. obl. toll. & L. 18. §. 1. ff. h. t.*

### §. LXVIII.

Enimvero, quum istas ambages nunquam probaverint majores nostri, (§. XIX.) & pacta inter Germanicæ originis gentes non minus validam producant obligationem, ac stipulationes; (P. I. §. CCCLXXIV,) inter pactum de non petendo & acceptilationem hodie nihil interesse, inter omnes omnino constant.

### §. LXIX.

Denique uti quædam conventiones nudo consensu ineuntur; (P. I. §. CCCLXI.) ita eædem mutuo dissensu dissolvuntur, (§. LXII.) modo, re adhuc integra, a contractu discedere uterque statuat. *§. ult. Inst. quib. mod. obl. toll.*

## T I T. V.

### *De stipulationibus prætoriiis.*

### §. LXX.

**R**edit Digestor ad *stipulationes*. Quum enim non solum privato arbitrio stipulemur, verum etiam publico: illæ quæ a Præatore vel Ædilibus jubebantur interponi, PRÆTORIÆ; quæ a mero judicis pedanei officio proficiscebantur, JUDICIALES; quas denique uterque præstari jubebat, COM-

Stipulationes  
Prætorie  
judiciales, communes.

COMMUNES dici solebant. \* §. 2. *Inst. de divis. stip. L. 5. pr. ff. h. r.*

\* Quum itaque quæ ante litem constitutionem fiebant, IN JURE; quæ lite jam contestata, IN JUDICIO fieri dicerentur: ( P. II. §. I. , consequens est, 1 ) ut *prætorie* interponerentur ante litem contestatam, veluti *damni infecti*, ( P. VI. §. CI. ) *legatorum*, ( P. V. ) §. CCCXXXIII. sequ. ) *fructuaria*, ( P. II. §. CXXXII. ) *judicatum solvi*, & *rem ratam haberi*. 2 ) Ut *judiciales* exigantur post lites contestationem, veluti *cautio*, *de dolo*, & *de persequendo seruo*, qui in fuga est. L. 69. §. ult. ff. de legat. 1. 3 ) Ut *communes* & ante litem contestationem, & post eam locum habeant, veluti *rem pupillo salvam fore*, *rem ratam haberi*, &c.

### §. LXXI.

Alio sensu PRÆTORIÆ dividuntur in JUDICIALES, quæ judicii causa interponuntur; v. g. *judicatum solvi*, CAUTIONALES, quæ se instar actionis habent, e. g. *damni infecti*, & COMMUNES, quæ judicii sistendi causa fiunt. L. 1. §. 1. 2. 3. ff. h. r. Harum omnium stipulationum Prætoriarum ea natura est, 1 ) quod exigatur satisfactio, L. 7. ff. h. r. & 2 ) quod in dubio Prætoris sit, interpretari, quo sensu accipienda sit stipulatio. L. 9. ff. h. r.

Prætorie  
quatuor-  
plices ear-  
umque  
natura.

## T I T. VI.

*Rem pupilli vel adolescentis salvam fore.*

## §. LXXII.

Cautio  
rem pu-  
pillo sal-  
vam fore.

**C**AUTIONEM REM PUPILLI SALVAM FORE præstant omnes tutores, præter testamentarios & cum inquisitione datos, (P. IV. §. CCCXXV, 2.) *pr. Inst. de sac. tut. L. 7. ff. h. r. datis fidejussoribus*, (§. LXX, 1.) *L. 4. §. 1. ff. h. r.* & ita quidem, ut hi non gaudeant beneficio divisionis, (§. XXXVIII.) *L. ult. ff. h. r.* Quare committitur hæc stipulatio, quotiescumque male gerit tutor vel curator: actio tamen adversus tutorem finita demum tutela; (P. IV. §. CCCLXXI, 1.) adversus curatorem statim locum habet, (P. IV. §. CCCLXXVII, 2.) *L. 4. §. 4. ff. h. r.*

## §. LXXIII.

Quis pu-  
pillo al-  
puletur?

Quum vero pupillus & sine tutoris auctoritate conditionem suam meliorem reddere possit; (P. IV. §. CCCXXXIV, 2.) facile patet, 1) eum si quidem velit. Quumque servus proprius domino; (§. XXV.) publicus cuivis ex universitate stipulari possit; (§. XXVI, 3. \*) consequens est, 2) ut pupillo infanti rem salvam stipulari potuerit servus, vel proprius, vel publicus *L. 2. L. 3. L. 4. pr. ff. h. r. L. 3. C. de tabular.* Quibus ambagibus hodie, sublata verborum sollemnitate, (§. XLIII.) non opus esse, quilibet animadvertit.

T I T. VII.

Judicatum solvi.

§. LXXIV.

**J**UDICATUM SOLVI stipulantur, qui- Cautio  
judica-  
tum sol-  
vi.  
cumque actionem, vel suo vel alieno no-  
mine, instituunt, *L. 3. pr. §. 1. seqq. ff. h. t.*  
a rei procuratore vel defensore. §. 4. *Inst.*  
*de satisd.* Et tunc hic satisdat, vel pro procu-  
ratore reus cavet, 1) rem recte & boni viri  
arbitrio defensum iri, *L. 17. ff. h. t.* 2) dolum  
malum abesse & abfuturum esse, *L. 19. ff. h. t.*  
& 3) solutum iri, quod deberi iudex pro-  
nunciaverit. *L. 9. ff. h. t. princ. Inst. de satisd.*  
Has enim tres clausulas cautione judicatum  
solvi contineri, patet ex *L. 6. ff. h. t.*

T I T. VIII.

Ratam rem haberi.

§. LXXV.

**R**EM RATAM HABERI satisdant pro- Cautio  
rem ra-  
tam ha-  
beri.  
curator actoris in judiciis omnibus, &  
procurator rei in actionibus in rem, *L. 40.*  
§. 2. *ff. de proc. fisco.* si vel ex præsumpto, vel dubio  
mandato in foro agant. (P. I. §. CDXXVIII.)  
*L. 35. L. 40. §. ult. ff. de procurat. L. 1. C. eod.*  
Simul ac itaque dominus, re comperta, vel  
omnia vel quidquam ratum non habet, com-  
mittitur hæc stipulatio, & ex hac cautione  
peti potest, quod interest. *L. 5. L. 12. §. 1.*  
*L. 17. sequ. ff. h. t.*

**L I B E R XLVII.****T I T. I.***De privatis delictis.***§. LXXVI.****Conne  
tio.**

**L**ibri duo insequentes, quia de delictis agunt, & omnem continent severitatem poenarumque atrocitatem, **TERRIBLES** vocantur a Justiniano. *L. 2. § 8. C. de vet. jur. enucl.* Nimirum quum haecenus non modo de juribus in re, verum etiam de obligationibus, ex æquitate factisque licitis descendentes, actum sit: proximum est, ut & de iis, quæ ex factis illicitis vel maleficiis proficiuntur, differamus. *P. IV. §, CCCLXXXII.)*

**§. LXXVII.****Delictū  
quid?**

**DELICTUM** est factum illicitum, sponte admissum, quo quis & ad restitutionem, si fieri possit, & ad poenam obligatur. *Gror. de l. B. & P. II, 17, 22.* Unde, & pluribus admissis delictis, ex quibus privata poena petitur, alterum alterius poenam non minuit. *L. 2. pr. §. 1. 2. ff. h. t.*

**§. LXXVIII.****Est ve-  
rum vel  
quasi de-  
lictum.**

Quum vero illud factum illicitum vel ex *dolo malo* admittatur, vel *ex culpa*: illud dicitur **DELICTUM** vel **MALEFICIUM VERUM**: hoc **QUASI DELICTUM**, vel **QUASI MALEFICIUM** adpellatur, (*Inst. §. MCXII.*)

**§. LXXIX.**

§. LXXIX.

*Vera maleficia* vel publico iudicio publica-  
que animadversione vindicantur: vel quia Verum  
vel pu-  
blicum,  
vel pri-  
vatum. directe ad privatorum læsionem tendunt,  
privatam producunt persequutionem. \* Prio-  
ra PUBLICA; posteriora PRIVATA ad-  
pellantur, quorum quatuor sunt, FUR-  
TUM, RAPINA, DAMNUM INJURIA  
DATUM, (P. II. §. CLXXXI. seq.) INJU-  
RIA. *pr. Inst. de obl. quæ ex del.*

\* At quatenus reip. interest, hæc delicta non  
permitteri, & criminalis inde permittitur per-  
sequutio. *L. ult. ff. h. t.*

§. LXXX.

PUBLICA delicta vel ex lege quadam pu- Publica  
vel or-  
dinaria,  
vel ex-  
traordi-  
naria.  
blicorum iudiciorum descendunt, & cer-  
tam poenam habent propositam, *L. 1. ff. de  
publ. iud.* vel extra ordinem, quamvis nulla  
lex specialis eam in rem lata sit, vindican-  
tur. Piora ORDINARIA, vel *κατ' ἐξοχὴν*  
PUBLICA; posteriora EXTRAORDINA-  
RIA CRIMINA vocantur. \*

\* Non esse hæc crimina extraordinaria pro-  
prie delicta privata, supra demonstravi-  
mus. (P. II. §. IV. \*) Cur vero quædam  
*privata* vocentur, *L. 1. §. ult. ff. de concuss.*  
*L. 3. ff. de prævar. L. 1. de stellion.* ratio-  
nem reddidimus ad Institutiones. (*Inst. §.*  
*MXXXVI. \**)

## T I T. II.

## De furtis.

## §. LXXXI.

Quid  
furtum?

**J**am de delictis PRIVATIS, quorum primum est FURTUM, (§. LXXIX.) FURTUM est contrectatio fraudulosa, lucri faciendi causa, vel ipsius rei, vel usus ejus, possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere. L. 2. §. 3. ff. h. t. §. 1. *Inst. de obl. qua ex delict.*

## §. LXXXII.

Rei, usus,  
possessio-  
nis.

Itaque furtum est vel REI, quod in contrectatione rerum mobilium, (adeoque etiam filiorum familias P. I. §. CXLIX, 4. & servorum) consistit; §. 9. *Inst. eod. L. 14. §. 13. ff. h. t.* vel USUS, quando quis aut re sibi non concessa utitur, aut concessa aliter utitur, ac dominus velit, L. 40. L. 54. pr. L. 76. pr. ff. h. t. Gell. *Noct. Att. VII, 15.* vel POSSESSIO-NIS, quando ipse dominus surripit rem, ab altero naturaliter sed juste possessam. L. 12. §. 2. L. 19. §. pen. L. 79. ff. h. t. §. 10. *Inst. de obl. qua ex del.*

## §. LXXXIII.

Manife-  
stum, nec  
manife-  
stum cō-  
ceptum  
oblatum  
prohibi-  
tum non  
exhibi-  
tum.

Olim quoque *furtum* MANIFESTUM dicebatur, quando fur in ipso furto, antequam eo pervenerat, quo rem deferre decreverat, adclamando vel adcurrente deprehendebatur. L. 3. pr. §. 1. seq. ff. h. t. NEC MANIFESTUM, quando fur ἐπ' αὐτοφώρῳ non deprehendebatur. L. 8. ff. eod. CONCE-PTUM, quando res furtiva sollemni ritu

per

per lancem & licium quæſita \*, ac apud aliquem, qui rem furtivam eſſe ſciverat, inventa erat. §. 4. *Inſt. de obl. qua ex del.* OBLATUM, quando res furtiva ab aliquo ignorantibus oblata, & apud hunc concepta erat, dum eo oblata eſſet animo, ut apud hunc potius, quam illum deprehenderetur. Paull. *Sent. II, 3. 4. Inſt. de obl. qua ex del.* PROHIBITUM, quando quis furtum quærere præſentibus teſtibus volentem prohibebat, & denique NON EXHIBITUM, quando quis rem furtivam, apud ſe quæſitam & inventam non exhibuerat. §. 4. *Inſt. eod.* Sed quatuor poſteriora furti genera ab uſu receſſerunt.

\* De ritu iſto diſputavimus alibi *Antiq. Rom. IV, 1. §. 13.* Conferri tamen meretur viri docti mihi que amici, Abr. Vvielingii, *de furto per lancem & licium concepto commentarius*, ubi ſingularem ſententiam erudite tueretur. De pœna horum furtorum diximus quædam ad *Inſtit. §. MLVIII.*

#### §. LXXXIV.

Jam definitio ſupra tradita (§. LXXXI.) nobis ſuppeditat axiomata: I. Furtum conſiſtit in frauduloſa rei contrectatione. II. Non intelligitur furtum, ubi id, quod contrectatur, non alienum eſt. III. Nec ubi aliquid non lucri faciendi cauſſa contrectatur. Eſt hoc jure Rom. delictum privatum, moribus hodiernis publicum.

Axiomata de furto.

#### §. LXXXV.

Quum itaque furtum conſiſtat in frauduloſa rei contrectatione, Quid furti rei ſint?

rei

Quid furti rei ſint?

rei contrectatione; (§. LXXXIV, 1.) consequens est, 1) ut, qui furandi animo ingressus ædes nihil contrectavit, fur dici nequeat, sed vel ob vim teneatur, vel tanquam DIRECTARIUS extra ordinem puniatur. *L. 21. §. 7. ff. h. t. L. 7. ff. de extr. crim.* 2) Ut sola cogitatio & consilium furem non faciat, nisi cujus ope & consilio furtum factum sit. §. 11. *Inst. de obl. qua ex del.* 3) Ut furti rei non sint furiosi, mente capti, infantes, infantie proximi, 4) pubertati vero proximi fraudis capaces, sed mitius tamen puniendi sint. §. 18. *Inst. eod. L. 23. ff. de furt.* 5) Ut fraus non cadat in eum, qui in extrema necessitate aliquid modicum contrectavit. *cap. 3. X. de furt. Grot. de I. B. C. P. II, 2, 6.*

## §. LXXXVI.

Ob quas  
res?

Ex altero axioma (§. LXXXIV, 2.) sequitur, 1) ut non rei propriæ, sed possessionis tamen in re propria furtum fieri possit. (§. LXXXII.) *L. 43. §. 1. L. 76. h. t.* 2) Ut in hereditate jacente (P. I. §. CXCVII.) non furti crimen fiat, sed EXPILATÆ HEREDITATIS *L. 4. ff. expil. her.* 3) Ut, quia constante matrimonio inter conjuges jure veteri vinculum potestatis; jure novo divini & humani juris communicatio erat, (P. IV. §. CLIX.) conjuges quoque, ante divortium sibi invicem aliquid surripientes, non furti, sed RERUM AMOTARUM rei essent. (P. IV. §. CCLIV.) *tit. ff. rer. amot.* 4) Ut nec filius familias, patri quid suffuratus, rem alienam contrectasse, §. 12. *Inst. de obl. qua ex del.* nec 5) servus, si aliquid ex rebus domini con-

convasarit, furtum fecisse videretur. §. 12.

*Inst. eod. L. 17. pr. ff. de furt.*

§. LXXXVII.

Quum potro furtum non intelligatur sine animo lucrum faciendi; (§. LXXXIV, 3.) sequitur sane, 1) ut nec qui libidinis causa clam rapuit ancillam, reus furti sit, L. 39. *pr. ff. h. r. nec* 4) qui rem alienam vel nocendi vel contumeliæ causa contrectavit, sed 3) priore hoc casu actioni ex *L. Aquilia*; posteriore actioni, *injuriarum* locus sit. L. 5. §. ult. L. 41. *ff. ad L. Aquil. L. 53. ff. h. r.*

Furtum  
fit animo  
lucri fa-  
ciendi.

§. LXXXVIII.

Denique quum hoc delictum privatum sit jure Romano, (§. LXXXIV, 4.) & ex delictis obligatio, & ad restitutionem, & ad poenam nascatur; (§. LXXXVII.) consequens est, 1) ut res furtiva vindicari, L. 23. *pr. ff. de rei vind.* immo & (quod hic singulare & odio furum receptum est,) condici possit, eumque in finem prodita sit **CONDITIO FURTIVA**. (P. III. §. LXVII, 2.) Ut & ad poenam persequendam comparata sit **ACTIO FURTI**, & quidem ex furto *manifesto* (§. LXXXIII.) in quadruplum; ex *nec manifesto* in duplum. §. 5. *Inst. de obl. qua ex delict.*

Quæ imò  
de actio-  
nes na-  
scantur?

§. LXXXIX.

Itaque **ACTIO FURTI** datur domino, eique, cujus interest, cujusque periculo res fuit, eorumque heredibus, adversus furem, eumque, cujus vel ope vel consilio furtum factum fuerit, (§. LXXXV, 2.) L. 50. §. *pen.* L. 52. L. 54. §. *pen. ff. h. r. L. 53. §. ult.*

Actio  
furti de-  
scriptio.

*ff. de*

*ff. de verb. signif. non adversus heredes, (P. VI. §. CCCXC. \* 5)* ob furtum manifestum in quadruplum; ob nec manifestum in duplum. (§. LXXXVIII, 2.)

## §. XC.

Ejusdem  
persequu-  
tio cri-  
minalis.

At quia ex privatis delictis & criminalis persequutio extra ordinem permittitur: (§. LXXIX. \*) Italia etiam adversus furem datur, non solum ad multam fisco applicandam, verum etiam ad poenam corporis afflictivam, *L. 6. ff. ad L. Jul. pecul. quam tamen capitalem, vel cum membri multitudine conjunctam esse vetuit Justinianus Nov. CXXXIV. cap. ult. Auth. sed nostro C. de serv. fugit.*

## §. XCI.

An furē  
liceat occi-  
dere?

Quin immo, quum furtum nocturnum summo cum periculo conjunctum sit, & fures non modo furandi, sed & jugulandi occidendique animo irruere soleant: *Joann. X, 10.* jus Romanum furem nocturnum post clamorem vel quiritationem occidi permisit; diurnum non aliter, quam si telo se defenderit. *Gell. Noct. Art. XI. ult. L. 52. §. 2. ff. h. t. L. 4. §. 1. ff. ad L. Aquil. L. 9. ff. ad. L. Corn. de sicar.*

## §. XCII.

Hodie  
furtū est  
crimen  
publicū.

At quum moribus Europæ furtum habeatur pro crimine publico: (§. LXXXIV, 4.) pluribus legibus gentium originis Germanicæ jam olim cautum videmus, ut fures certis casibus capitis damnentur, & quidem in crucem acti laqueo suffocentur. *Vid. Schilt. Exerc. ad Pand. LXX, 6. sequ.* Quam poenam & *Nemesis Carolina* servat. *Art.*

CLXII. ita tamen, 1) ut varia furti genera accurate distinguat, & 2) quibusdam casibus mitius puniri fures jubeat.

§. XCIII.

Nimirum furtum I. est vel *simplex*, quod nullæ atrociores circumstantiæ aggravant, vel *qualificatum*, id est, cum effractione, adscensu per scalas, vel vi majore conjunctum. In quo posteriore ordinariè locus est pœnæ suspendii. *Const. Crim. Car. art. CLIX. II.* Simplex vel *magnum* est, quod quinque aureos Hungaricos excedit, vel *parvum*, quod infra hanc summam subsidit. Illud quoque laqueo expiandum per *Carolinam Const. art. CLX. CLXI. III.* Parvum, vel *primum*, vel *iterum*, vel *tertium* commissum est. Prima & secunda vice pœna carceris, relegationis, fustigationis obtinet. Tertium furatus in crucem agitur, si summa omnium furtorum sit saltim quinque aureorum. *Const. Crim. Car. Art. CLVIII. CLXI. seq.*

Quando fures suspendio puniantur?

§. XCIV.

Quandoquidem vero hæc pœna sic satis atrox est: mitius animadverti jubetur 1) in fures domesticos, *Art. CLXV*, 2.) in eos, qui res inventas celant, 3) in piscantes in alienis rivis, 4) in fures, quorum de furti quantitate non satis constat. *Art. CLXV. CLXVIII. CLXIV.* Quibus quidam addunt 5) fures rem ablatam restituentes. *Carpz. Part. IV. Const. XXXII. Def. 15. seq.*

Quando pœna hæc cesset?

§. XCV.

An furis, laqueo enecti, heredes ad restituendas res furtivas teneantur, alibi disquisivi-

Restitu-tioresum furtivorum.

338 *Pand. Lib. XLVII. Tit. III.*  
mus. (*Inst. §. MLXX.*) Minime itaque ferenda consuetudo magistratum, res furtivas sibi vindicantium. Vid. *Const. Crim. Car. Art. CCVII. & CCXVIII.*

## T I T. III.

### *De tigno juncto.*

#### §. XCVI.

Actio de  
tigno  
juncto.

**S**unt quædam facta, quæ itidem in contrectatione rerum alienarum consistunt, & quædam tamen habent singularia, de quibus titulis sequentibus agitur. Talis est actio **DE TIGNO JUNCTO**, ex XII. Tabulis orta, quibus cautum, ut tignum ædibus alienis junctum vindicari non posset, sed contra jungentem ageretur in duplum. *L. 1. ff. h. t.*

#### §. XCVII.

Ejus natura.

Quum vero aliquis aut *mala* aut *bona fide* jungat: priore casu actio de tigno juncto est *pænalis*; posteriore *rei persecutoria*. A. A. Pagenst. *Irner. injur. vap. Coit. XXXIV. §. 7. seq.*

#### §. XCVIII.

Quando  
locus  
præter ea  
fit tigni  
vindicati  
signi?

Ex quo principio sequitur, 1) ut, si a *mala fide* jungente dominus duplum consequutus sit, tamen diruto ædificio adhuc tigni vindicatio locum habeat, *L. 2. ff. h. t.* non autem 2) si, qui *bona fide* junxit, duplum persolverit. §. 29. *Inst. de rer. divis.*

T I T. IV.

*Si is, qui testamento liber esse iussus erit, post mortem domini, ante aditam hereditatem surripuisse aut corripuisse quid alicetur.*

§. XCIX.

**S**is, qui testamento liber esse iussus erat, post mortem domini ante aditam hereditatem aliquid surripuisse dicebatur: deficiebat civilis actio. Neque enim ut servus coerceri poterat, quia furtum fecerat hereditati jacenti, quæ defunctum repræsentabat. (P. I. §. CXCII, 5.) adeoque loco domini erat; (§. LXXXVI, 5.) neque tanquam liber, quia a nemine adita hereditate, nondum competebat libertas. (P. VI. §. CXLII, 2.) Ne tamen spe impunitatis audaciores fierent servi, Prætor edixerat: *Si quid ab huiusmodi manumisso dolo malo surreptum corruptumque fuerit, se, alia deficiente actione, intra annum in duplam iudicium daturum.* L. 1. pr. §. 2. 10. 13. sequ. h. e.

Actio adversus testamento manumissum si quid ex hereditate surripuerit.

T I T. V.

*Furti adversus nautas, caupones stabularios.*

§. C.

**F**urtum aliudve damnum in navi vel diversorio patimur vel ab ipsis nautis, cauponibus, stabulariis, vel a vectoribus aut viatoribus, vel a nautæ, cauponis, stabularii familia. Primo casu adversus hos agitur ex

Actio furti adversus nautas, caupones, stabularios.

vero delicto: *secundo* ex quasi contractu actione de recepto; (P. I. §. DLII.) *tertio* ex quasi delicto. (§. LXXVIII.) Eo enim casu Prætor dat actionem adversus nautam, cauponem, stabularium in duplum. *L. 1. pr. §. 6. ff. h. r.* Quæ actio quamvis Prætoria poenalis, tamen perpetua est. (*Inst. §. MCCLXXI, 2.*) *L. ult. §. 6. ff. naut. caup.*

## T I T. VI.

*Si familia furtum fecisse dicatur.*

## §. CI.

Actio noxalis, si familia furtum fecerit.

**E**X quovis servorum delicto cum domino agitur noxaliter. (P. II. §. CCII.) Quum vero si familia tota furtum vel damnum fecisset, periculum esset, ne domini patrimonium everteretur, si omnes servos dedere, aut pro singulis æstimationem litis offerre cogeretur: Prætor edicto permiserat domino, quo ignorante huiusmodi quid factum fuerat, ut aut omnes servos, si vellet dederet, aut pro omnibus tantum offerret, quantum, si unus liber furtum fecisset, damnumve dedisset. *L. 1. pr. §. 1. 2. L. 3. ff. h. r. L. 32. pr. ff. ad L. Aquil.*

## T I T. VII.

*Arborum furtim casarum.*

## §. CII.

Actio arborem furtim casarum.

**Q**UI arborem lucri faciendi causa cædit, furti reus est, *L. 7. §. 1. ff. h. r.* qui sine furandi animo, ex lege Aquilia, *L. 1. ff. h. r.* vel interdicto *Quod vi aut clam* tenetur. Præterea tamen exemplo XII. tabularum \*

(*L. 1.*

*L. 1. ff. h. r. Plin. Hist. Nat. XVIII, 1. ) Prætor adversus eum, qui arbores furtim cecidit, cinxit, id est, deglabravit, subsecuit, promisit, se actionem in duplum daturum. L. 5. pr. L. 7. pr. §. seq. L. 8. ff. h. r.*

\* Unde facile patet, cur hæc actio, quamvis prætoriam pœnalis, & in duplum concepta, tamen sit perpetua. *L. 7. §. 6. 7. ff. h. r. Nam & actio furti manifesti ob eandem rationem est perpetua. Inst. §. MCCLXXI, 1. )*

T I T. VIII.

*Vi bonorum raptorum & de turba.*

§. CIII.

**A**lterum privatum delictum est RAPI-  
NA; (§. LXXIX.) quæ est violenta rei  
alienæ mobilis ablatio, lucrifaciendi causa  
dolo malo facta, *pr. §. 1. Inst. L. 1. C. h. r.*  
immo omne aliud damnum, hominibus co-  
actis, dolo malo datum, eo pertinet. *L. 2.*  
*pr. §. 4. 5. ff. h. r.* Unde facile hoc delictum  
a damno in TURBA dato discernitur, quod  
est damnum non per raptum, sed alio modo  
in turba, id est hominum saltim decem \* con-  
cursu datum. *L. 4. §. 6. sequ. ff. h. r.*

Quid ra-  
pina &  
turba?

\* Si enim duo, tres vel quatuor inter se tumul-  
tuentur, ea RIXA est, non turba. *L. 4. §.*  
*3. ff. h. r.*

§. CIV.

De priore delicto Prætor actionem VI  
BONORUM RAPTORUM promiserat ad-  
versus eum, qui dolo malo rapuerat, vel  
damnum coactis hominibus dederat, intra

De utro-  
que de-  
licto  
quid Præ-

**Prætorē dixerit?** *annum in quadruplum; post annum in simplum.* L. 2. *pr. l. ult. h. t.* De posteriore edixerat, se adversus eum, cuius dolo malo in turba damni quid datum sit, intra annum utilem in duplum, post annum in simplum iudicium daturum. L. 4. *pr. ff. h. t.*

## §. CV.

**Quibus  
calibus  
rapina  
committit  
aut?**

Ex definitione itaque rapinæ (§. CIII.) colligimus. 1) locum non esse actioni *vi bonorum raptorum*, sed interdicto UNDE VI, (P. VI. §. CCCXII.) vel iudicio publico ex lege Julia de vi publica vel privata, si quis rem immobilem alienam vi invaserit: L. 2. §. 1. *ff. h. t.* nec 2) si quis rem suam alteri extorserit, quamvis ne id quidem impune ferat, (P. VI. §. CCCXVIII,) L. 13. *ff. quod met. caus. L. 7. C. unde vi.*

## §. CVI.

**Quis eam  
admittat?**

Quumque hic ad solum dolum malum respiciatur: (§. CIII.) consequens est, 1) ut perinde sit, si ipse quis cogat homines, si ab alio coactis utatur, L. 2. §. 3. 12. *ff. h. t.* item 2) si per alios, si ipse rapiat. L. 2. §. 6. 7. *ead.* 3) Non dari hanc actionem adversus impuberes, quippe doli incapaces, L. 2. §. 19. *ff. h. t.* nec 4) contra heredes raptoris, quamvis adversus eos, quatenus aliquid pervenit, condictio furtiva locum habeat. L. 2. §. ult. *ff. h. t.* 5) Quod ad rem raptam attinet, nihil interesse, si ea maioris, si minimi pretii sit. L. 2. §. 11. *ff. h. t.*

## §. CVII.

**Quæ  
actiones**

Quamvis vero hæc actio in quadruplum detur; (§. CIV.) tamen quid tantum intra annum

annum quadruplum consequimur, \* & præ- inde den-  
tur?  
terea illud quadruplum non solam pœnam  
continet, sed & rei æstimationem, *pr. Inst.*  
*h. r.* hinc actio furti manifesti locum habet  
adversus raptorem, tamquam furem impro-  
bum. *pr. Inst. L. 2. §. 10. ff. h. r. L. 80. §. 3. ff.*  
*defurt.* Immo & criminalis persecutio ex-  
tra ordinem prodita est, adversus grassato-  
res, quique ferro instructi rapiunt, & latro-  
nes. *L. 28. §. 10. 15. ff. de pœn.*

\* Si tamen 1.) Christianus Judæo quid ra-  
puerat, pœna erat dupli. *L. 6. C. de pa-  
gan. 2.)* Si quis navicularios diripuerat,  
quadruplum pœnale tantum erat, neque  
rei æstimationem simul continebat. *L. 5. C.*  
*de navic.*

§. CVIII.

Itaque actio VI BONORUM RAPTO- Actio  
vi bono-  
rum rap-  
torum  
descri-  
ptio.  
RUM dabatur domino, eique, ejus inter-  
est, *L. 2. §. 22. 23. ff. h. r.* ejusve heredi, ad-  
versus eum, qui dolo malo rapuit, (§. CVI.)  
non adversus ejus heredem, (§. CVI, 4.)  
intra annum in quadruplum, post annum in  
simplum. (§. CIV. CVII.)

§. CIX.

Contra actio DE TURBA datur domino Actio de  
turba.  
cive, ejus interest, adversus eum, ejus-  
dolo malo in turba damni quid factum est,  
non adversus ejus heredes intra annum uti-  
lem in duplum, post annum in simplum.  
(§. CIV.)

§. CX.

Enimvero, quemadmodum furtum, ita & Ufus ho-  
dievius.  
rapina, moribus nostris est crimen publi-  
cum.

cum. Itaque raptores gladio feriuntur, graffatorum cadavera præterea rotis in via publica illigantur, latrones crurifragio puniuntur. *Const. Crim. Car. Art. CXXVI. & arg. Art. CXXX.*

## T I T. IX.

*De incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata.*

## §. CXI.

De incē-  
dio, rui-  
na, nau-  
fragio,  
rate, na-  
ve expu-  
gnata.

**A**Dhuc atrocior videbatur rapina, si quis ex incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata, quidquam *rapuisse, recepisse* dolo malo, \* *damnive quid* in his rebus *disse* diceretur. Quare tamen si ejusmodi raptores & criminaliter conveniri possint; (§. LXXIX.) tamen & forensem actionem proposuit Prætor intra annum utilem in quadruplum; post annum in simplum. *L. 1. pr. §. seqq. ff. h. t.*

\* Quare in eo differt a superiore hæc actio, quod & sine vi aliquid auferens, vel recipiens, quadrupli reus est. *L. 1. pr. L. 3. §. 4. 5. ff. h. t.*

## T I T. X.

*De injuriis & famosis libellis.*

## §. CXII.

Injurie  
definitio,  
& divisio  
prima.

**T**ertium delictum privatum est **DAMNUM INJURIA DATUM.** (§. LXXIX.) Sed quia de eo jam supra Lib. IX. Tit. II. actum est: jam sequitur postremum, puta

puta INJURIA, quæ est quodvis dictum vel factum, ad alterius contumeliam dolo malo directum. Ex quo per se patet, injuriam aliam esse VERBALEM, si quis alteri convicium adversus bonos mores facit, vel fieri curat: aliam REALEM, quæ re & facto infertur. L. 1. §. 1. ff. §. 1. Inst. h. r. Ad priorrem etiam injuria scripta, ad posteriorem & per picturam illata refertur.

§. CXIII.

Quumque major minorve esse possit illata alteri injuria: ea etiam in SIMPLICEM & ATROCEM recte dividitur, quæ ex facti atrocitate, vel loci, ubi contumeliose quis habitus, celebritate, vel ex personæ, cui illata injuria, dignitate æstimatur. L. 7. §. 7. 8. L. 8. L. 9. ff. h. r.

Secunda divisio.

§. CXIV.

Inde perspicua axiomata: I. Injuria est omnis contumelia, alteri dolo malo illata. II. Et is, qui nos per nostrorum latus petit, injuriæ reus est. III. Injuriæ non eadem semper pœna, eadem æstimatio est. \* IV. Qui injuriarum agit, is vindictam persequitur.

De injuriis axiomata.

\* Id quod patet lepido exemplo Veracii, (vel ut alii codices habent, L. Neratii,) hominis stolide improbi apud Gellium Noſſ. Att. XX, 1.

§. CXV.

Quum itaque injuria sit contumelia omnis dolo malo illata; (§. CXIV, 1.) consequens est, 1) ut injuriæ reus non sit impubes, vel furiosus: L. 3. §. 1. hoc tit. nec 2) qui

Quis injuriam inferre non videatur?

corrigendi emendandique animo quid dixit fecitque, *L. 15. §. 39. ff. h. r. L. 5. §. 3. fin. ff. ad L. Aquil.* modo non officii metas excesserit: *L. 32. ff. h. r. d. L. 5. L. 3. §. 3. ff. ad L. Aquil. nec 3)* qui per jocum quid fecit: *L. 3. ff. h. r.* vel per servum percussurus hominem liberum, vel casu, vel per errorem, percussit. *L. 3. §. 4. L. 4. ff. h. r.*

## §. CXVI.

Quomodo inferri possit?

Contra ex eodem axioma consequitur, 4) ut injuria fiat, non modo, si quis verbis contumeliosis innocentem laceffit, sed etiam 5) si quis vera se dixisse probare velit, *L. 5. C. h. r.* cui non obstat *L. 18. pr. ff. h. r.* immo & 6) gestibus ad alterius invidiam compositis, *L. 9. pr. L. 15. §. 27. ff. h. r.* & 7) factis, quæ vel ad infamiam alterius pertinent, *L. 1. §. 2. L. 15. §. 20. 22. ff. h. r.* vel ad contemptum; minuendamque dignitatem. *L. 1. §. 2. L. 15. §. 16. 21. ff. h. r.*

## §. CXVII.

Quibus?

Ex eodem axioma (§. CXIV, 1.) colligimus, 8) injuria adfici posse non modo invitum & scientem, verum etiam infantem, furiosum, multoque magis absentem; *L. 3. §. 1. 2. ff. h. r.* immo & 2) volentem si illa injuria vel bonis moribus repugnet, vel in alterius opprobrium vergat. *L. 1. §. 5. ff. h. r.*

## §. CXVIII.

An etiam injuria alteri alia ad nos pertineat.

Quumque & per alterius latus peti possimus injuria; (§. CXIV, 2.) sequitur, 1) ut semper superior habeat actionem injuriarum, si inferiori ab eo, qui scivit, eum e familia nostra esse, illata sit injuria, adeoque 2) ob  
inju-

injuriam, liberis vel uxori illatam, pater vel maritus: L. 18. § 5. ff. h. r. ob sponsam injuria affectam sponsus, L. 15. §. 24. ff. eod. 4) ob servos vel ancillas nostras, in domini contumeliam durius & contumeliosius habitos, dominus agere possit: L. 15. §. 35. & 48. ff. h. r. non autem 5) uxor ob injuriam marito intentatam, nisi ea simul in eam redundet. L. 2. L. 11. §. 8. ff. h. r.

§. CXIX.

Denique quum injuriarum omnium non eadem semper possit esse poena atque aestimatio; (§. CXIV, 3.) non mirum est, plura media reperta esse vindicandæ injuriæ. Et hinc I. PRÆTOR, insuper habita lege XII. Tab. (Gell. Noct. Att. XX, 1.) dedit actionem ÆSTIMATORIAM ad id, quanti quisque injuriam aestimaverit, §. 7. Inst. L. 21. ff. h. r. simulque competit CRIMINALIS ad poenam arbitrariam, (§. LXXIX. \*) L. ult. ff. §. 10. Inst. h. r. quæ ob sacra turbata & libellum famosum capitalis; L. 10. C. de Episc. & clery L. un. C. de famos. lib. ob injuriam studiosis illatam cum infamia & dignitatis privatione conjuncta esse potest. Auth. Habita C. ne fil. pro patre.

Actio injuriarum Prætoria.

§. CXX.

Deinde II. ex LEGE CORNELIA de injuriis & civiliter & criminaliter agi potest, si quis cum dolore verberatus, aut sine dolore pulsatus, aut domus ejus vilitroita fuerit. §. 8. 10. Inst. L. 5. pr. L. 37. §. 1. ff. h. r.

Civilis ex L. Cornelia de injuriis.

## §. CXXI.

Retorsio. Conceditur III. RETORSIO, quæ est medium extrajudiciale, quo quis injuriam verbalem incontinenti in alterum retorquendo amollitur. *L. 17. §. 6. ff. h. t.*

## §. CXXII.

Actio ad palinodiam. Quin & IV. *allionem ad* PALINODIAM concedunt mores, qua injuria verbali adfectus agit ad *recantationem*. Quæ actio cum famam fugillet, loco istius *παλινοδίας*, si injuria non sit atrocissima, *deprecatio Christiano digna*, (*eine Christliche Abbitte*) si verba dubiæ interpretationis sint, *declaratio honoris*, (*eine Ehren Erklarung*) decerni solet. *Carpz. Prax. Crim. Qu. XCVII. 82. Mev. Dec. III. 30. Hahn. ad Vvesemb. h. t. n. 18.*

## §. CXXIII.

Discrimen honorum remedium. Petmultum autem inter hæc remedia interesse, facile patet. 1) Actio civilis & criminalis cumulari non possunt. *L. 6. L. 7. §. 1. ff. h. t. L. un. C. quando civ. act. crim. prejud. potest autem cumulari cum æstimatoria actio ad palinodiam, quam vulgo rei, id est famæ, persecutoriam statuunt. Hahn. ibid. Bachov. ad Treutl. Vol. II. Disp. XXX. th. ult. lit. A.* 2) Civiliter actio institui & suscipi potest per procuratorem, *L. 11. §. 2. ff. h. t. non autem criminaliter. L. ult. ff. de furt.* nisi quod id privilegium ad evitandam infamiam (*P. I. §. CDXIII, 1.*) personis illustribus ac superillustribus concessum est. *§. 10. Inst. hoc tit. Nov. LXXI. cap. 1.* 3) Prætoriz actiones anno; civilis ex *L. Cor-*

nelia XXX. criminalis XX. annis expirat, (P. VI. §. CCCLXIX, 4.) L. 17. §. 6. ff. L. 5. C. h. t. L. 30. C. de prescr. trig. vel quadr. ann. L. 12. C. ad L. Corn. de fals.

§. CXXIV.

Denique quum, qui injuriarum agit, vindictam persequatur; (§. CXIV, 4.) consequens est, 1) ut hæ actiones nec heredibus nec contra heredes dentur; (P. VI. §. CCCXC. \* 3. 4.) §. 1. *Inst. de perp. & temp. act.* L. 10. §. 2. ff. *si quis caut. in jud.* adeoque 2) & morte utriusque, L. 13. pr. ff. h. t. nisi jam lis cum defuncto contestata sit, (P. II. §. XLIII, 5.) L. 13. pr. ff. h. t. & 3) remissione sive expressa, sive tacita, §. ult. *Inst.* L. 11. ff. §. 1. h. t. & 4) retorsione §. CXXI. tollatur.

Quando cesset injuriarum persequutio?

§. CXXV.

Multa hic mutant mores. Alicubi singulis injuriarum generibus certæ mulctæ & pœnæ constitutæ sunt, veluti in Frisia. Alibi actio injuriarum æstimatoria publicis legibus abrogata est, & hinc per modum inquisitionis summarie proceditur. Ob famosum libellum, quo alicui crimen objicitur, suppresso nomine, pœna talionis statuitur in Nemesi *Carol. art. CX.* quamvis in ipsa Germania pœna fere arbitraria relegationis vel fustigationis decerni, & libellus famosus manu carnificis feralibus flammis absumi soleat. *Brunn. ad L. ult. C. de requir. reis.*

Ufus hodiernus.

## T I T. XI.

*De extraordinariis criminibus.*

## §. CXXVI.

Delictorum  
extraordi-  
nariis  
pœna  
qualis?

**H**Actenus de delictis *privatis*. Sequuntur *publica*, eaque **EXTRAORDINARIA**, (§ LXXX.) quæ quum extraordinarium, licet nulla lex specialis eam in rem lata sit, vindicentur: (*ibid.*) consequens est, ut non certam semper ac lege definitam pœnam habeant, quamvis aliquando pœnæ capitis locus esse possit ob atrocitatem. *L. 1. §. ult. L. 9. ff. h. t.*

## §. CXXVII.

Quotuplicia?

Hæc delicta autem vel reipublicæ salutis adversantur, *L. 1. ff. de popul. act.* vel in privati alicujus tendunt injuriam. Unde est, quod ob quædam cuivis ex populo; ob alia illi, cujus interest, persecutio datur. Hinc illæ actiones, vel accusationes, **POPULARES**; hæc **PRIVATÆ** adpellantur. Vid. *L. 3. pr. ff. de sepulcr. viol. L. 3. ff. de term. mot. L. 1. §. ult. ff. de pœn. L. 2. ff. de concuss. L. 5. ff. de prævar. L. 1. ff. de stellion.*

## §. CXXVIII.

Crimina  
extraordi-  
naria  
ad publi-  
cam cau-  
sam per-  
tinentia.

Talia *extraordinaria* crimina hoc titulo plura recensentur. Et quidem *ad publicam* magis *causam* pertinere videntur I. Coetus illiciti, *L. 2. ff. h. t.* II. Abactio parvus, vel relegatione punita, *L. 4. ff. h. t.* vel, si foetus jam vixit, supplicio capitali. *L. 1. ff. ad L. Corn. de sicar. juncta L. 38. §. 5. ff. de pœn. Const. Crim. Act. CXXXIII.* III. Dardanariatus, seu vexatio annonæ, qualis & per stateras ac

men-

mensuras adulterinas fieri solet. *L. 6. pr. §. 1. ff. h. t. IV. Crimen eorum, qui Ægypto chomata, seu aggeres, Niloticam aquam continent, rumpunt, L. 10. ff. h. t. quod aliquando & vivicomburio expiatur. L. un. C. de Nil. agg. Joseph. Ant. Jud. 11, 5. V. Violatio arboris sycaminonis, cujus radicibus aggeres Nilotici continebantur. L. 10. ff. h. t. VI. Crimen mendicantium validorum. L. un. C. de mendic. valid.*

**S. CXXIX.**

Contra magis ad *privatorum lesionem* pertinere videntur. VII. Sollicitatio alienarum nuptiarum & matrimoniorum interpellatio. *L. 1. pr. ff. h. t. VIII. Stuprum, puero, abducto comite, aut mulieri puellæve persuasum, L. 1. §. 2. ff. ead. IX. Crimen ejus, qui alterum fimo corrupto, cœno velluto perfudit, vel aquas spurcavit. L. 1. §. 1. eod. X. Instigatio servi, ut ad infamandum dominum ad statuam confugiat. L. 5. ff. h. t. XI. Crimen facculariorum, qui, veritas in sacco artes exercentes, partem subducunt, partem subtrahunt. L. 7. ff. h. t. L. 1. ff. de effract. Cujac. *Obs. X, 27. Menag. Amœn. cap. XXXIX.* XII. Scopelismus apud Arabes frequens. L. 9. ff. h. t. *Job. V, 23. & ibi interpretes.* XIII. Crimen circulatorum, serpentes circumferentium, si quis eorum metu damnum passus sit. *L. ult. ff. h. t.* XIV. Crimen directariorum vel derectariorum, qui se in aliena coenacula furandi causa dirigunt. *L. 7. ff. h. t. L. 1. §. 2. ff. de effract.* XV. Proditio alienorum instrumentorum. *L. 8. ff. h. t.**

Ad privatorum lesionem pertinentia.

## T I T. XII.

*De Sepulcro violato.*

## §. CXXX.

Crimen  
sepulcri  
violati  
quadru-  
plex.

**I**Nter crimina *extraordinaria* est etiam XVI. VIOLATIO SEPULCRI. Quum enim sepulcra essent res religiosæ: (P. I. §. CLXXXIV.) illa violare videbantur, I. sepulcrum quodvis (non hostile) dolo malo diruentes, mortuum invito domino inferentes, cadavera vel reliquias contrectantes. L. 2. L. 3. §. 3. L. 7. ff. L. 4. L. 5. C. h. t. II. In sepulcro dolo malo habitantes, ædificiumve aliud, quam quod sepulcri causa factum sit, ibi habentes, L. 3. pr. §. 6. ff. h. t. III. Cadavera spoliantes, \* L. 3. §. 7. h. t. vel IV. ipsa corpora extrahentes. L. ult. ff. h. t.

\* Saxa, marmora, columnas de sepulcro auferentes, sive fabricandi, sive lucri causa id faciant, decem pondo auri fisco inferre coguntur. L. 4. C. h. t.

## §. CXXXI.

Actio ex  
primo  
casu.

*Primo casu* ei, ad quem pertinebat, L. 6. §. 9. L. 1. h. t. ejusve heredi, L. 10. *ead.* dabatur ACTIO SEPULCRI VIOLATI privata & famosa. L. 1. h. t. contra violentem, ad id, quanti æquum videbatur. L. 3. §. 8. h. t. Si non ageret is, cujus intererat: actio popularis dabatur cuivis ex populo, vel, si plures agere vellent, ei, cujus justissima causa videbatur, ad centum aureos. L. 6. ff. h. t.

## §. CXXXII.

§. CXXXII.

Secundo casu itidem comperebat actio popularis cuius ex populo ad ducentos aureos L. 3. §. 6. ult. ff. h. t. non tamen noxalis, si servus hujus criminis reus esset. L. 3. §. 11. eod. Tertio casu spoliatores armati capite plecebantur: qui sine armis spoliaverant, contra eos usque ad poenam metalli procedebatur. L. 3. §. 7. eod. Quartum denique delictum in humilioribus summo supplicio, in honestioribus deportatione vindicabatur. L. ult. ff. h. t.

Ex secundo, tertio & quarto.

§. CXXXIII.

Sed hæc hodie extra usum sunt. Qui coemiteria nostra violant, sepulcra diruunt, marmora vel saxa inde auferunt, cadavera spoliant, pro modo delicti extra ordinem puniuntur.

Ufus hodie.

T I T. X I I I.

De concussione.

§. CXXXIV.

AD eadem crimina pertinet XVII. CONCUSSIO, quæ est crimen, quo quis, simulato Præsidis jussu, pecuniam aliudve quid extorquet. L. 1. 2. ff. h. t. Datur inde actio ei, cui quid extortum, contra concussorem ad poenam extraordinariam, L. 1. ff. h. t. immo & aliquando publicam Legis Corneliæ, si qui in accusationem innocentum cojerint, vel ob accusandum denunciandumve testimonium pecuniam acceperint. L. 2. ff. h. t.

Crimen concussionis.

## T I T. XIV.

*De Abigeis.*

## §. CXXXV.

Abigea-  
tus qui

**P**roximum est XVIII. *crimen* ABIGEATUS. Sunt vero ABIGEI, partim, qui pecora ex pascuis vel ex armentis subtrahunt, & quasi deprædantur, L. 1. §. 1. ff. h. t. partim qui abigendi studium quasi artem exercent, equos de gregibus, vel boves de armentis, abducentes, L. 1. §. 1. L. 3. §. 2. ff. h. t. partim qui decem oves vel capras, porcos quinque vel quatuor, unum equum vel bovem (duas equas, totidemque boves Paull. Rec. Sent. V, 18. 1) abegerunt. L. 3. pr. ff. h. t. Unde 1) qui stabulo abegit domitum pecus, vel qui pauciora animalia abduxit, fur est, non abactor vel abigeus. L. 1. §. 2. L. 3. §. 1. ff. h. t. 2) Multoque minus id nomen meretur, qui pecora abegit, quæ sua esse contendit. L. 1. §. ult. h. t.

## §. CXXXVI.

Ejus pe-  
na.

Abigeorum admissum gravius punitur 1) gladio, metallo, opere publico, Paull. Rec. Sent. V, 18, 2. in iis regionibus, ubi id crimen frequentissimum, veluti in Hispania L. 1. pr. ff. h. t. Serv. ad Virgil. Georg. III, v. 406. quamvis honestiores relegentur, aut ordine moveantur. L. 1. §. 3. h. t. 2) Damnatione ad bestias, si qui cum gladio abegerint. d. L. 1. §. 3. h. t. 3) Plenius \* quoque puniuntur, qui pecora de stabulo abegerunt, quamvis proprie non sint abigei.

(§. CXXXIV.)

(§. CXXXIV.) L. 3. §. 1. *cod.* 4) Receptatores abigeorum decem annis extra Italiam relegantur. L. 3. §. 1. *ff. cod.*

\* Cujac. *Obs.* VI, 8. & Jan. Langl. *Or. Semestr.* VIII, 1. legendum putant *lenius*, quin & apud Græcos bis occurrere *σφαιότερον κολάζεται*, observat laudatus Cujacius. Ast nihil mutandum esse & connexio docet, & consensus Pauli *Rec. Sent.* V, 18, 2. & lectio Basilicorum: *σφαιρότερον κολάζεται*.

§. CXXXVII.

In Germania abigei fere, ut alii fures, in furcam eunt. Carpz. *Prax. Crim. Quæst.* LXXXVI, n. 39. In Frisia gladio percussos abigeos, docet Sand. *Decis.* V, 9, 9. aliquando fustigationem cum stigmate, vel relegationem ibi irrogatam, observat. Huber. *Prel. ad Pand. h. r.* Poena capitalis etiam obtinet in Britannia. Polyd. *Verg. Hist. Angl.* l. p. 13. & in Prussia. *Jus prov. Pruss.* III, 6. 21. Usus hodiernus.

T I T. XV.

De Prævaricatione.

§. CXXXVIII.

SEQUITUR XIX. PRÆVARICATIO. Dicitur autem *speciatim* PRÆVARICATOR, qui publico judicio accusans, prodita causa, cum reo colludit, ut absolvatur. L. 1. §. 1. *ff. h. r.* L. 1. §. 1. 6. *ff. ad SC. Turpill.* Generatim vero, quisquis diver-

Crimen prævaricationis.

sam

fam partem, prodita causa clientis sui, adjuvat. *L. 1. pr. ff. h. t.*

## §. CXXXIX.

Ejus pœ-  
na.

Prioris generis prævaricatorem persequuntur leges iudicio publico ad infamiam, *L. 4. ff. h. t. L. 4. §. pen. ff. de his, qui not. inf. quæ ad eandem sustinendam pœnam, quam sustinisset reus, si non fuisset absolutus. L. 6. ff. h. t. Posteriore casu pœna est arbitraria & extraordinaria. L. 1. §. 1. L. 2. ff. h. t.*

## T I T. X V I.

*De receptatoribus.*

## §. CXL.

Recepta-  
torum  
crimen  
& pœna.

**C**riminis extraordinarii rei etiam sunt **XX. RECEPTORES**, qui latrones, aliorumque criminum reos, dolo malo receperunt. Ii puniebantur perinde, ac ipsi latrones, vel facinorosi, quos receperant. *L. 1. ff. L. 1. C. h. t. nisi eos cognatio, vel adfinitas, a dolo malo excusaret, quo casu extra ordinem coercebantur. L. 2. ff. h. t. L. 1. C. de his, qui latr. vel al. crim. reos occult.*

## §. CXLI.

Usus ho-  
diernus.

Pœna hæc extraordinaria hodie semper obtinet, nisi societatem criminis cum facinorosis inierint; Schilter. *Ex. XLIX. §. 40. cujus rei grave indicium ipsa receptio supeditat. Const. Car. Crim. art. XL.*

T I T. XVII.

De furibus balneariis.

§. CXLII.

**E**Xtra ordinem quoque puniuntur XXI. **FURES BALNEarii**, qui vestimenta sarcinaeque eorum, qui in balneis publicis lavant, surripiunt. *L. 1. ff. h. t.* Vid Arist. *Probl. XXIX, 10.* Langl. *Or. Semest. VIII, 2.* Marqu. *Freh. Parerg. II, 12.* Ii plerumque in metallum aut in opus publicum damnabantur, si magna esset admissorum frequentia: *Paull. Rec. Sent. V, 3. 5.* eandemque poenam subibant fures nocturni, licet nec effracto- res, nec telo se defendentes. *L. 1. ff. h. t.* Miles hujus criminis reus cum ignominia mittebatur. *L. ult. ff. h. t.*

Crimen furum balneariorum

T I T. XVIII.

De effractoribus & expilatoribus.

§. CXLIII.

**N**ON minore severitate animadvertitur XXII. in **EFFRACTORES**, qui parietes vel fores carcerum, aliarumve ædium effringunt, *L. 1. pr. §. 2. ff. h. t.* & **EXPILATORES**, qui sunt fures atrociores, *L. 1. §. 1. ff. h. t.* qui a furibus reliquis qualitate distinguuntur; *L. 16. §. 6. ff. de pæn.* siquidem homines vi exuunt, iisque vix pilum relinquunt. *Cujac. Obs. XV, 31.*

Qui effracto- res & expilatores.

§. CXLIV.

## §. CXLIV.

Eorum  
pœna .

Effractores carcerum capitis damnabantur. *L. 1. pr. ff. h. r.* Effractores vel perfossores parietum, qui pecuniam alienam abstulerant, pœna metalli, operis publici, relegationis afficiebantur, prout vel noctu vel interdiu id fecissent. *L. 1. §. 2. ff. h. r.* Expilatores vilioris conditionis in opus publicum perpetuum vel temporarium dabantur, honestiores ordine ad tempus movebantur, vel fines patriæ excedere jubebantur. *L. 1. §. 1. ff. h. r.*

## §. CXLV.

Ufus hodie  
dicimus .

Effractio carceris, a reo innocente facta, hodie arbitraria est, uti & olim, *L. 13. ff. de cust. & exhib. reor.* leviorque, si culpa commentariensis reus aufugerit. Ipse commentariensis ob culpam arbitrarie, ob dolum eadem pœna coercetur, quam reus sustinisset, *Const. Crim. Alt. CLXXX.* quod tamen non ubique observatur, uti nec olim. *L. 8. L. 10. ff. eod.* Qui vi armata & coadunatis hominibus carcerem effregit, capitis damnatur. *Carpz. Prax. Crim. Qu. XXXV. num. 39. sequ.* Effractores & expilatores non mitius severiusque, quam reliqui fures vel raptores, plectuntur. (§. XCIII. §. CX.)

## T I T. XIX.

*Expilata hereditatis.*

## §. CXLVI.

Crimen  
expilatae  
hereditatis,

**Q**UUM XXIII. ob EXPILATAM HEREDITATEM jacentem furti agi non

non posset; (§. LXXXVI, 2.) L. 2. §. 1. *h. t.* accusatio extraordinaria expilatæ hereditatis dabatur heredibus contra expilantem, (non tamen contra uxorem, (P. IV. §. CLXXIV, 3. coheredem, L. 3. ff. L. 1. C. *h. t.* L. 51. ff. *pro soc.* L. 3. *fam. excisc.*) ad poenam extraordinariam, in jure nostro non expressam. L. 1. ff. *h. t.*

## T I T. XX.

*Stellionatus.*

## §. CXLVII.

**Q**uotiescumque aliquid dolo malo, & contra bonos mores fuerat factum, Stellionatus quid? cujus proprium vocabulum propriusque titulus deficiebat: id vocabatur XXV. crimen STELLIONATUS. \* L. 3. §. 1. ff. *h. t.* a stellionibus, astutissimo lacertæ genere, de quo Plin. *Hist. Nat.* XXX, 10.

\* Exempla varia in jure nostro occurrunt, veluti, 1.) si quis rem alii oppignoratam distraxerit, permutarit, in solutum dederit: L. 3. §. 1. *h. t.* quod delictum tamen furtum vocatur in L. 66. ff. *de furt.* 2) Si quis rem alienam pignori dederit: L. ult. ff. *h. t.* 3) si quis imposturam fecerit in necem alterius: L. 3. §. 1. ff. *h. t.* 4) si quis æs pro auro oppignorarit: L. 16. §. 1. L. 36. ff. *de pign. act.* 5) si quis merces supposuerit, vel obligatas averterit, vel corruerit: L. 3. §. 1. §. ult. ff. *h. t.* 6.) si quis creditor pecuniam a se non numeratam acceperit, vel numeratam iterum exegerit L. 29. §. 5. ff. *mand.*

## §. CXLVIII.

## §. CXLVIII.

Ejus pœ-  
na.

Hujus quoque criminis persecutio est extraordinaria, non semper famosa, L. 2. ff. h. t. junct. L. 13. §. ult. ff. de his, qui not. inf. ad pœnam arbitrariam, L. 3. §. 2. ff. L. 4. C. h. t. quam in vilioribus pœnam metalli, in honestioribus relegationem, vel remoti-  
nem ab ordine, excedere haud oportet. L. 3. §. 2. ff. h. t.

## T I T. XXI.

*De termino moto.*

## §. CXLIX.

Crimen  
termini  
moti.

**P**roximum est XXVI. crimen TERMINI MOTI. Terminum Deum esse, Romanis persuaserat Numa, cujus quum simulara viderentur lapides: eos qui terminum exarassent, cum bobus sacros ac detestabiles esse iusserat. Dionys. Halic. II, 76. Fest. voce termino. Sed mitiores leges novæ, tamen & criminaliter & civiliter hoc crimen persequuntur.

## §. CL.

Ejus pœ-  
na.

*Criminaliter* agitur ad pœnam extraordinariam, & arbitrariam, quæ in humilioribus est castigatio vel damnatio ad opus publicum: in honestioribus relegatio. L. 1. L. 2. L. 3. §. ult. ff. h. t. *Civiliter* ex lege agraria C. Cæsaris quisque ex populo agit adversus eos qui terminos dolo malo moverint, ad pœnam L. aureorum in lapides singulos. L. 3. pr. ff. h. t. Hodie quoque pœna pro qualitate delicti est arbitraria, & ad sus-  
stiga.

*De colleg. & corporib. Pars VII. 361*  
stigationem usque perveniri potest. *Const.*  
*Crim. Car. art. CXIV.*

T I T. XXII.

*De collegiis & corporibus.*

§. CLI.

**P**ostremo crimen extraordinarium est Crimen collegio-  
rum illi-  
citorum.  
XXVII. COLLEGII vel CORPORIS  
ILLITI. \* Collegia Romæ modo permit-  
tebantur, modo prohibebantur. Permissa  
seu licita gaudebant juribus reliquarum uni-  
versitatum. (P. I. §. CDXXXIX. *sequ.*) Illi-  
cita, seu publica auctoritate haud constitu-  
ta, vel ita dissolvebantur, ut sociis permit-  
teretur pecunias communes dividere : L. 3.  
*pr. ff. h. r.* vel, si ad factiones, seditio-  
nes, *et aujas* pertinerent, poena publica legis  
Juliae de vi, vel majestatis quoque, locum  
habebat. L. 1. *ff. ad L. Jul. maj.* L. 2. *ff. h. r.*

\* Quæ ad historiam collegiorum apud Roma-  
nos pertinent, fusius exsequuti sumus in  
dissertatione singulari *de collegiis & corpori-  
bus opificum.*

T I T. XXIII.

*De popularibus actionibus.*

§. CLII.

**H**actenus de extraordinariis crimini-  
bus *privatis*, id est, ex quibus actio  
dabatur iis, quorum intererat : sequuntur  
*Hein. Pand. Tom. II.* Q actio-  
Actiones  
popula-  
res quid?

actiones POPULARES, quæ tuendi juris  
publici causa cuius ex populo competunt.  
*L. 43. §. 2. ff. de procur. L. 1. ff. h. t.*

## §. CLIII.

Earum  
natura &  
indoles.

Itaque ea est harum actionum natura, 1) ut agere possit quilibet ex populo, modo ei per edictum postulare liceat. *L. 43. §. 2. ff. de procur. L. 4. L. 6. ff. h. t. 2)* Ut, si plures agere velint, is præferatur, cuius interest, vel qui magis videtur idoneus. *L. 3. §. 1. L. 2. ff. h. t. 3)* Ut per procuratorem institui nequeant, *L. 5. L. 42. ff. de procur. 4)* Ut nec contra heredes nec post annum dentur. (*P. VI. §. CCCLXIX, 4. §. CCCXC. \* 5.) L. ult. ff. h. t. 5)* Ut poena pecuniaria, nisi aliud nominatim constitutum sit, (*L. 3. ff. de term. mot. L. 25. §. ult. ff. ad SC. Silan.*) ipsi actori adplicetur. *L. 12. pr. ff. de verb. sign. & ibi Jo. Goedd. Comment. adh. l. num. 15. sequ. p. 211.*

## L I B E R XLVIII.

## T I T. I.

*De publicis iudiciis.*

## §. CLIV.

Judicium  
publici  
quid sit

**D**ivisimus supra delicta publica in extraordinaria & ORDINARIA, quæ & κατ' ἐξοχὴν PUBLICA adpellari, diximus. (§. LXXX.) De illis hætenus actum: de his toto hoc libro XLVIII. agitur. Sunt vero

vero judicia PUBLICA, quæ ex lege quadam publicorum judiciorum descendunt, & certam ex illa lege poenam habent propositam. *L. 1. ff. h. t.*

§. CLV.

Quum vero illa poena aut in morte naturali, vel civili, aut in alia corporis coercitione, vel infamia poenave pecuniaria consistit : hinc est, quod priore casu judicia publica CAPITALIA, posteriore NON CAPITALIA, adpellantur. *L. 2. ff. h. t.*

Quotplex ?

§. CLVI.

Utraque id habent commune, 1) quod morte rei perimuntur; ( P. VI. §. CCCXC. \* 6.) *L. 3. ff. h. t.* 2) quod infamia manet damnatos : *L. 7. ff. h. t.* 3) quod non admittunt operam procuratorum, nisi ad excusandam absentiam : *L. pen. §. 1. ff. h. t.* & 4) quod accusatio cuique ex populo plerumque datur. *§. 1. Inst. h. t.*

Ejus natura & insoles.

T I T. II.

*De accusationibus & inscriptionibus.*

§. CLVII.

Quum itaque in judiciis publicis cuivis ex populo plerumque accusatio detur ; (§. CLVI, 4.) statim jam sequitur tractatus de ACCUSATIONIBUS & INSCRIPTIONIBUS. ACCUSATIO est sollemnis criminis ad judicem competentem delatio, vindictæ publicæ causa facta. Libellus, quo fit illa delatio, quique crimen, personam, locum & tempus, nec

Quid accusatio & iulcri ptio ?

non subscriptionem accusatoris continere debet, dicitur **INSCRIPTIO**. *L. 3. pr. §. 2. ff. h. t. L. 16. C. de accus. & inscrip. C. de his, qui acc. poss. L. 2. §. 8. ff. ad L. Jul. de adult.*

## §. CLVIII.

De ea axiomata.

Quam reip. utilis æque ac periculosa sit accusandi licentia eleganter docuit Cicero *pro Sex. Rosc. cap. XX*. Unde a Romanis merito recepta axiomata : I. Accusare non possunt, quicumque rem vel non satis intelligere, vel reo terrori esse, vel pietatem accusando lædere, vel quocumque modo suspecti esse videntur. II. Omnes licet accusare, qui & delinquere, & pœnam sine publico dedecore sustinere possunt. III. Accusatori inulta esse non debet calumniosa accusatio. *L. 7. pr. C. h. t.*

## §. CLIX.

Qui accusare non possunt?

Ex primo axioma ( §. CLVIII, 1. ) reddimus rationem cur [ad accusationem non admittantur 1) impuberes & minores. *L. 8. ff. h. t. L. 4. C. de all. prest.* nisi mortem propinquorum, suamve injuriam, ex auctoritate tutorum vel curatorum exsequuturi: *L. 2. §. 1. L. 11. pr. ff. h. t. L. 2. C. de auct. prest.* 2) feminæ, *L. 1. L. 8. ff. h. t.* nisi propinquorum necem suamve injuriam vindicatorum, *L. 3. pr. L. 11. pr. ff. h. t.* vel delaturæ crimina majestatis, *L. 8. ff. ad L. Jul. majest. sacrilegii, L. 10. C. de episc. & cler. & annonæ: L. ult. §. 2. ff. ad L. Jul. de ann.* 3) milites, nisi suorum mortem, vel injuriam suam vindicent, vel crimen majestatis deferant. *L. 11. pr. ff. h. t. L. 7. §. 1. ad L. Jul. maj.*

## §. CLX.

De hisdem.

Nec minus inde patet, cur non liceat accusare

sare 4) magistratibus majoribus. L. 8. pr. ff. L. 8. C. h. r. 5) infamibus. L. 4. L. 8. ff. h. r. 6) accusationes pro quaestu habentibus, L. 8. ff. h. r. 7) liberis & libertis, L. 8. L. 11. §. 1. ff. h. r. L. pen. & ult. C. de his, qui accus. non poss. 8) falsi testimonii convictis, L. 9. ff. h. r. 9) minus, quam L. aureos possidentibus. L. 10. ff. h. r. 10) servis, \* nisi crimen læsæ majestatis, annonæ, falsæ monetæ, vel homicidii, in dominos admisi, deferre velint. L. pen. C. de his qui acc. non poss. L. 7. ff. ad L. Jul. maj. L. 53. ff. de jud. L. 1. C. de prec. imp. off.

\* Non eadem prohibendi causæ militanc contra filium familias. Quia tamen accusatio res magni momenti est: non patiuntur leges eum accusare, nisi jussu patris, ( *Inst. §. CXXXIX, 11.* ) præterquam si uxorem accusare velit adulterii. L. 6. §. pen. L. 37. ff. ad L. Jul. de adult.

### §. CLXI.

Denique inde consequi videbatur, 11) ut si plures existerent, qui accusare vellent, causa cognita, æstimatisque accusatorum personis, judex eligere deberet vel dignitate præcellentem, vel eum, cujus maxime interesse videretur, vel ætate, vel moribus vel alia justa præferendum. \* L. 16. ff. h. r.

Qui si plures accusare vellent?

\* Et ad hanc quaestionem definiendam comparata olim erat DIVINATIO, qualis est illa Ciceronis in *Q. Cæcilium*, ad quam Ascen. Pædian. p. m. 348. DIVINATIO dicitur hæc oratio, quia non de factis quaeritur,

*sed de futuro, quæ est divinatio & conjectura, user debeat aconfare. Alii ideo putant divinationem dici, quod injurati iudices in hac causa seceant, ut quod velint, præsentire de utroque possint. Alii, quod res agatur sine testibus, & sine tabulis, & his remotis argumenta sola sequantur iudices, & veluti divinent. Add. Quintilian. Inst. Orat. III, 10. VII, 4.*

## §. CLXII.

Qui accusari potuerint?

Quumque omnes accusare liceat, qui delinquere poenamve sine publico dedecore sustinere possunt, (§. CLVIII, 2.) consequens est, ut dies dici nequeat 1) furiosis & mente captis, *L. 12. ff. ad L. Corn. de sicar. L. 5. ff. de poen.* 2) infantibus & infantia propioribus, *L. 12. ff. ad L. Corn. de sicar.* immo nec pubertate proximis & minoribus, sine tutorum curatorumve consensu. *L. 4. C. de auct. prestand.* 3) magistratibus majoribus, *L. 12. pr. ff. h. t.* 4) mortuis, *L. 20. ff. h. t.* 5) reip. causa absentibus, *L. 12. pr. ff. h. t.* 6) jam ab alio accusatis ob idem crimen, *L. 11. §. 1. ff. h. t.* & 7) servis, si poena publicationis bonorum lege definita sit. *L. 12. §. 4. ff. h. t.*

## §. CLXIII.

Subscriptio in similitudinem poenæ.

Denique ex postremo axioma (§. CLVIII, 3.) ratio reddetur subscriptionis in crimen, qua accusator se ad similitudinem supplicii obstringere tenebatur, nisi probarit, simulque cavere, se perseveraturum in crimine usque ad sententiam. *L. 7. pr. L. ult. C. h. t.*  
\* Cujus tamen subscriptionis gratiam leges faciunt 1) personis publicis, crimina ex  
offi-

officio denunciantibus, L. 7. C. h. t. L. ult. §. 2. C. de cust. reor. 2) parentibus liberorum; & liberis parentum; 3) mulieribus quoque suorum injuriam persequentibus, L. 12. C. qui accus. non poss. & denique 4) marito uxorem accusanti adulterii. L. 30. C. ad L. Jul. de adult. Add. Symmach. Epist. 1, 49.

\* Formulam hujusmodi subscriptionis Oloranni Monachi schedis extulit Barn. Brisson. de form. Lib. V. p. 469.

### §. CLXIV.

Hodie accusatio non quidem abolita, sed dura illa conditione onerata est, ut accusator in carcere habitet, nisi cautionem præstitit. *Const. Carol. Crim. art. XII.* Multis locis resp. crimina publica persequitur per procuratorem fisci: alibi ipse iudex ex officio **INQUIRIT**, primum *generaliter* in corpus delicti, & an illud vere admissum sit? deinde *specialiter* in eum, qui in priore ista ac generali Inquisitione indicis oneratus videtur. Inde reus ad articulos respondet, testes audiuntur, reus negans cum iisdem committitur, (quod *confrontationem* vocant,) aliquando & diris quæstionibus subjicitur, ac demum ubi ejus defensio accessit, vel condemnatur, vel absolvitur.

U'us hodiernus

### T I T. III.

De custodia & exhibitione reorum.

### §. CLXV.

**Q**uandoquidem rei publicorum criminum semper de fuga suspecti sunt: Rei requirendi & custodiendi.

Q 4

Pro-

Procul vel magistratus primo operam dabit, ut eos e fuga retrahat, (quem in finem iure Romano cautum erat, ut a Præfide provinciæ, in qua degebant, ad locum delicti remitterentur: *L. 7. ff. h. t. L. 2. C. de exh. & transm. reis. Nov. CXXXIV. cap. ult.*) deinde ut ne, si eos fuga iterum aliquo abstulerit, iudicium publicum fiat elusorium.

## §. CLXVI.

Quomodo  
custodiendi?

Itaque ex criminis, quod obijcitur, qualitate, personarum dignitate, opibus, vel innocentia æstimandum est, sintne rei in carcerem recipiendi, an militi tradendi, an committendi fidejussoribus, vel suæ promissioni. *L. 1. ff. h. t.* Hinc axiomata: I. Ubi delictum gravius, vel reus multis præsumptionibus oneratus est: ille publico, sed tolerabili, carceri mancipandus est. II. Si persona honesta, & nec confessa, nec convictus est, militi committi solet. III. Si levius sit delictum, reus fidejussoribus; sin amplissimæ præterea ejus facultates sint, suæ promissioni committitur.

## §. CLXVII.

Quando  
& quomodo  
carceri  
incluendi?

Ex primo itaque axiome patet, 1) in carcerem recipiendum esse reum, quoties ejus delictum poenam capitis vel saltem corporalem meretur. *L. 3. ff. h. t. 2)* Non remere tamen id faciendum, nisi vel confessione sua damnatus, vel gravibus indiciis oneratus sit. *L. 3. L. 7. ff. h. t. L. 2. C. h. t. L. 2. C. de exh. & transm. reis. 3)* Non ferendum esse, qui carcerem privatum habet, *L. 1. C. de priv. carc.* quamvis 4) pater liberos; dominus ser-

servos domi includeret. *L. un. C. de emend. serv. & 5*) unusquisque reum, in flagranti deprehensum, tamdiu custodire possit, donec judici exhibeatur *L. 25. ff. ad L. Jul. de adult. 6*) Ipsum quoque carcerem publicum ita comparatum esse debere, ut eo non tam affligatur, quam custodiatur reus. *L. 1. C. de cust. reor.*

### §. CLXVIII.

Ex altero axioma ( § CLXVI, 2. ) ratio reddetur, 1 ) cur leges nec personas illustres, & in aliqua dignitate majore constitutas, *L. 17. C. de dign. L. 6. C. de episc. & cler.* nec 2 ) mulieres honestas in vincula publica duci patiantur. *Nov. CXXXIV. cap. 9. 3*) Cur qui militari custodiæ committuntur, nec tironi, nec uni soli \* credantur, proposito iis extremo supplicio, si dolo malo; castigationis vel missionis periculo, si negligentia sua amiserint custodias. *L. ult. pr. §. 1. 2. ff. h. r.*

Quando  
commit-  
tendi mi-  
libus?

\* Exemplum habes *A& XII, 6*. Aliquando reus uni committebatur militi, qui uti ei semper comes indivulsus adhereret, eadem catena cum reo alligabatur, ceu ex *Seneca de Tranqu. an. 1, 10. & Epist. V. Athen. Dispos. V. 11. Joseph. Ant. Jud. XVIII, 13. & Augustin. ad Psalm. CXXVIII.* jam demonstravit *Just. Lips. Excess. ad Tacit. Ann. Lib. III. lit. B.* Seniores aliique, in maxima dignitate constituti, plerumque domibus magistratuum custodiebantur *Vid. Tacit. Ann. VI, 13. & quæ ibi notat laudatus Lipsius.*

### §. CLXIX.

Denique ex postremo axioma ( §. CLXVI, Quando

fidei-  
foribus  
& suæ  
promis-  
sioni?

3.) colligunt prudentes, 1) si persona honesta levioris delicti arguatur, eam potius vadum vel fidejussorum, quam militum custodiae esse committendam. *L. 1. ff. h. t. Sueton. Vitell. cap. II. 2*) Fidejussores, reum non **EXHIBENTES**, poena pecuniaria plectendos, quin & extra ordinem esse damnandos, si dolo malo non exhibeant: & 3) quantitate neque in cautione neque in decreto judicis expressa, Præsidis esse, de modo pecuniæ inferendæ statuere. *L. 4. ff. h. t.*  
4) Reum levioris criminis satis locupletem merito suæ promissioni committi. *L. 1. ff. h. t.*

§. CLXX.

Ufus hodie  
dierr. us.

Pleraque hæc & hodie observantur. Non tamen hodie magistratus invitus cogitur reum in suo territorio deprehensum, ad locum delicti remittere (§. CLXV.) Cessat quoque privilegium mulierum, (§. CLXVIII, 2.) quamvis, quoad fieri potest, secreto a reliquis reis loco includi soleant, ne earum pudicitia periclitetur.

T I T. IV.

*Ad Legem Juliam majestatis.*

§: CLXXI.

Lex Julia  
majestatis a  
quo lata?

**J**AM de ipsis judiciis publicis, & quæ de iis latæ sunt, legibus quarum XIII. his sequentibus titulis recensentur. Prima est **LEX JULIA MAJESTATIS**, post varias alias lege lata a C. Julio Cæsare Dictatore. *Cic. Philipp. 1, 9.* Historiam legis de  
ma-

majestate ab urbe condita ad extrema reip.  
tempora accurate & cum apparatu exposuit  
amicus & olim collega conjunctissimus, Nic.  
Hier. Gundling. V. C. in singular. ad Leg.  
Majest. Cap. 1.

§. CLXXII.

Quemadmodum vero MAJESTAS est  
summa atque ἀνυπέδου in qualibet re-  
publica potestas, sive illa in uno, sive in  
pluribus, sive in toto populo conspicua sit:  
ita quisquis aliquid adversus illam supre-  
mam & sacrosanctam potestatem dolo ma-  
lo committit, is CRIMEN LÆSÆ MAJE-  
STATIS dicitur admisisse. L. 1. §. 1. ff. h. t.  
§. 3. Inst. de publ. jud.

Quid ma-  
jestas &  
crimen  
majesta-  
tis?

§. CLXXIII.

Quumque vel hostili animo aliquid fieri  
possit adversus securitatem summi imperan-  
tis & reipublicæ, immo & consiliariorum  
Principis, vel saltim in ejusdem contemptum  
& contumeliam: prius crimen PERDUEL-  
LIONIS; posterius MAJESTATIS, acce-  
pto in sensu strictiore nomine, venire solet.

Quoru-  
plex hoc  
crimen?

\* L. ult. ff. h. t. L. 5. pr. ff. h. t.

\* Perduellionis exempla varia habes in L. 1. §.  
1. L. 2. L. 3. L. 4. pr. L. 10. ff. L. 5. C. h. t.  
Criminis majestatis in L. 6. L. 7. §. ult. ff.  
h. t. un. §. 1. C. de carc. priv. L. 2. C. de fals.  
mon. Sub malis Principibus singulare & uni-  
cum fere hoc erat crimen eorum, qui cri-  
mine vacabant. Plin. Panegy. cap. XLII.  
Exempla suppeditant Tacit. Ann. III, 38.  
Suet. Neron. cap. XXII. & Domitian. cap.  
XII. Unde mitioris ingenii Principes nec

quælibet leviora facta, veluti in statutis suis admiffa, nec lubricum linguæ tam facile ad pœnam trahi paffi funt. *L. 4. §. 1. L. 5. pr. §. 1. 2. L. 7. §. 1. 2. ff. h. tit.* Adde digniffimam magno principe vocem *L. un. C. fi quis Imp. maledix.*

### §. CLXXIV.

**Pœna**  
perduel-  
lionis ex  
lege Iu-  
lia.

**Quamvis autem Cæfar PERDUELLIBUS** aqua & igni interdendum effe fanxiffet : *Paull. Rec. Sent. V, 29. 1.* poft varias tamen & fatis acerbaf fequentium Principum leges prodiit demum omnium acerbiffima *Arcadii & Honorii Augufforum, L. 5. C. h. r.* cujus in originem & cauffas fingulari differtatione accurate inquifivit *Jac. Gothofredus.*

### §. CLXXV.

**Ex L. 5.**  
*C. h. r.*

**Ea lege, non atramento, fed fanguine** fcripta, cautum, 1) ut perduellionis rei & confcii gladio feriantur, aliove ultimo fup-  
plicio afficiantur. *L. 5. pr. §. 6. C. h. r.* 2) Ut  
iis non concedantur advocati. *L. 5. §. 2. C. h. r.* 3) Ut non folum omnia eorum bona  
fifcus occupet, *L. 5. pr. C. L. ult. ff. h. r.* fed &  
4) filii eorum a materna & avita heredi-  
tate excludantur, nec ex teftamento extra-  
neorum quidquam capiant : filiabus tantum  
legitima ex bonis maternis concedatur ; &  
5) filii perpetuo fint infames, nec ad ullum  
honorem vel fagramenta perveniant. *L. 5. §. 1. 3. 6. C. h. r.* 6) Ut & nudum confilium,  
quamvis effectu caruerit, nec non filentium  
puniatur, *L. 5. pr. §. 6. C. h. r.* immo 7) &  
interceffio. *L. 5. §. 2. C. h. r.* Denique ex aliis  
legibus & hoc accedit, 8) quod reorum

memoria post mortem damnatur. §. 3. *Inst. de publ. jud. L. 6. seq. L. 24. ff. h. r.*

§. CLXXVI.

Crimen *majestatis* strictius dictæ pro modo delicti, & circumstantiarum ratione, modo capite, modo deportatione, modo relegatione expiatur, L. 24. *ff. de pœn. §. 3. Inst. de publ. jud.* neque hic ad liberos pœna ullo modo porrigenda videtur.

Pœna læse majestatis.

§. CLXXVII.

In priore crimine & hæc sunt singularia, 1) quod omnes, etiam alias accusare prohibiti, majestatis accusare possunt. L. 7. *pr. §. 1. 2. L. 8. ff. h. r.* 2) Quod admittuntur testes ceteroquin inhabiles. L. 7. §. 1. *C. h. r.* 3) Quod nulla dignitatis habetur ratio. L. 3. L. 4. *C. h. r.* Quod 4) damnatis appellationis beneficio uti non licet. L. 6. §. 9. *ff. de injust. rupt. irr. fact. test.* 5) Quod accusator, si crimen probare nequit, disis questionibus subjicitur. L. 3. *C. h. r.* 6) Quod & mortuus adhuc accusari potest. L. 6. *pr. L. 7. C. h. r.* 7) Quod reo statim non amplius vel vendere quidquam vel alienare vel solvere licet. L. 5. §. 4. L. 6. §. 1. *C. h. r.*

Singularia criminis majestatis.

§. CLXXVIII.

Probant hæc *Aurea Bulla Tit. XXIV. & Constitutio Carolina art. CXXIV.* nisi quod hæc reum vel vivum vel mortuum in quatuor partes disseccari jubet; illa idem crimen etiam in Electores Imp. Germ. admitti posse statuit. Eadem Carolina Nemesis blasphemiam gladio persequitur, eoque refert etiam

Ufus hodie.

verba parum reverenter de B. Maria Virgine facta. *Const. Crim. Art. CVI.* Sed hic cautos esse oportet iudices, ne quilibet verba, sive dolo malo prolata, vel male explicata, pro blasphemis habeant.

## T I T. V.

*Ad Legem Juliam de adulteriis coercendis.*

## §. CLXXIX.

Lex Julia  
de adul-  
teriis a  
quo latat

**A**ltera lex de judiciis publicis est II. **JULIA DE ADULTERIIS**, qua Augustus omnia probra coercuit, vel, uti eleganter Horat. *Carm. IV, 5. v. 22. maculosum edomuit nefas.* Capita hujus legis complura fuerunt, quæ collegit, at sine certo ordine disposuit Barn. Briffon. in *Comm. ad L. Jul. de adulteriis*. Præcipua crimina, quæ hæc lex persequitur, sunt **ADULTERIUM**, **VENUS NEFANDA**, **STUPRUM**, **INCESTUS**, **LENOCINIUM**.

## §. CLXXX.

Quid ad-  
duleriū,  
Venus  
nefanda,  
stuprum,  
incestus,  
lenocini-  
um?

**ADULTERIUM** jure civili est *alieni tori violatio; L. 6. §. 1. L. 34. §. 1. ff. h. t. jure canonico violatio fidei conjugalis. Can. 15. caus. 32. qu. 5.* **VENUS NEFANDA** est congressus tam naturæ adversus, ut de eo ne fari quidem liceat. **STUPRUM** est vitium vel virgini honestæ sine vi oblatum. *L. 6. §. 1. L. 34. pr. §. 1. ff. h. t.* **INCESTUS** coitus illicitus contra reverentiam, sanguini vel adfinitati debitam. *L. 6. L. ult. C. de*

*l. nupt.* LENOCINIUM denique crimen  
eorum earumve, qui quæve quæstus causa  
feminas aliis prostituunt. *L. 29. pr. ff. h. t.*

§. CLXXXI.

Quum itaque adulterium jure civili sit vio-  
latio tori alieni; (§. CLXXX.) consequens  
est, 1) ut mulier maritum adulterii accusa-  
re non possit. *L. 1. C. h. t.* 2) Ut nec spon-  
sus sponsam postulare potuerit adulterii,  
quamvis id postea permissum sit constitutione  
Severi & Antonini. *L. 13. §. 3. ff. h. t.*

Quinam  
adulte-  
rium ad-  
mittant?

§. CLXXXII.

Quinque ista violatio tori alieni magis cum  
domus quam reip. injuria conjuncta sit: factum  
inde est, 3) ut non promiscue omnes ad accu-  
sandum admitterentur, sed pater, frater,  
patruus, avunculus: ita tamen, ut his om-  
nibus præferretur maritus, dummodo adul-  
teram repudiaret, & intra LX, a divortio  
dies accusationem institueret. *L. 14. §. 2. L. 30.*  
*§. 1. ff. L. 11. L. 30. C. h. t.* quamvis jure  
novissimo id & ante repudium fieri possit.  
*Nov. CXVII. cap. 8.* 4) Ut extraneus constan-  
te matrimonio adulterum, non autem adul-  
teram accusare posset, nisi maritum convicis-  
set lenocinii. *L. 26. ff. h. t.*

Qui ac-  
cusare  
possint?

§. CLXXXIII.

Pœnam adulterii ex lege Julia fuisse rele-  
gationem in insulam, & publicationem par-  
tis dimidiæ bonorum adulteri; dimidiæ dotis  
& tertiz bonorum adulteræ, docet nos  
Paullus *Rec. Sent. II, 26, 12.* Constantinus  
M. primus pœnam gladii statuit, \* *L. 30.*  
*§. 1. C. h. t.* cujus Justinianus gratiam fecit

Pœna ad-  
ulterii  
ex L. Ju-  
lia.

adul-

adulteræ, verberandæ ac in monasterium de-  
trudendæ, ita, ut, si maritus eam intra bien-  
nium in totum recipere nolit, attendatur  
*Nov. CXXXIV. cap. 10.* Præterea cautum, ut  
adulter donationem propter nuptias, adulte-  
ra dotem amittat. *L. 11. §. 3. ff. h. t. L. 8. C.*  
*de repud. Nov. CXVII. cap. 8.*

\* Et hinc Triboniani emblemata in §. 4. *Inst.*  
*de publ. jud. L. 9. C. h. t. & L. 19. C. de con-*  
*tract. deprehendere sibi videntur viri docti*  
*Vid. Vviffenhach. Embl. Trib. pag. m. 160.*  
*& 103. Acriter Tribonianum defendit*  
*Marc. Lyklama Membran. II, 9. pag. 70.*  
*Sed vide tu Antiqu. nostr. Rom. IV, 184*  
*51.*

#### §. CLXXXIV.

An adul-  
terum  
deprehe-  
sum li-  
ceat oc-  
cidere?

Præterea quum nullus sit dolor justior,  
quam maritorum parentumve, quando μέγα  
δύσφοις κέντρον ὄσθηδ'εἰ ζήλων ἄνταρσίο. *Oppian.*  
*Ἄλιεῦ. III. v. 491.* eadem lex Julia patri  
& marito permisit adulteri interitu dolori  
suo parentare, sed ita ut 1) marito occi-  
dere liceret adulterum vilioris conditionis,  
domi suæ, vel alibi, si tridua denuntiatio  
intercesserit, non autem uxorem, quam ta-  
men statim dimittere tenetur: 2) patri au-  
tem & filiumfam. domi suæ vel generi depre-  
hensam una cum adultero cujuscumque con-  
ditionis. *L. 20. L. 21. L. 22. §. 2. 4. L. 23. pr.*  
*§. sequ. L. 24. pr. §. 1. ff. h. t. Nov. CXVIII.*  
*cap. 15.*

#### §. CLXXXV.

Adulteri-  
um ho-  
die vel  
emptor

Quandoquidem autem jure canonico adulte-  
rium est violatio fidei conjugalis; (§. CLXXX.)

con-

consequens est, ut hoc jure, quod fere ubique hac in re obtinet, maritus cum vidua vel virgine congressus æque ab uxore adulterii postulari possit, ac si alienas nuptias temerasset. Hinc Doctores adulterium dividunt in DUPLEX, quod ab iis, qui utrique in matrimonio vivunt, perpetratur, & SIMPLEX, quod solutus cum aliena uxore, vel soluta cum alieno marito admittit.

vel duplex.

### §. CLXXXVI.

Duplex alibi capitale est: \* *Const. Crim. art. CXX.* alibi pecuniario damno, alibi fustigatione expiatur. *Simplex* itidem capitale habetur multis locis in soluto, qui rem habuit cum aliena uxore, quum hæc tantum fustibus cædatur: in Saxonia autem uterque gladio percutitur. Aliis locis & hic obtinet mulcta. Ubi maritus cum soluta congressus est, in Saxonia & ei pereundum est: femina virgis cæsa in perpetuum relegatur. Alibi marito fustigatio, feminae relegatio temporalis vel carcer: alibi utrique mulcta imminet. Magna hic morum diversitas, ex singulorum locorum statutis addiscenda. Ex quibus etiam id proficiscitur, quod poenæ ordinariæ locus non est, nisi uterque reus fateatur factam commixtionem seminis. Vid. *Carpz. Prax. Crim. Quæst. L. seqq. Ludov. ad Const. Crim. art. CXX.*

Uterque que poena hodie varia.

\* Sed quia hæc poena sic satis gravis est: ea mitigatur non solum, 1) si quis cum femina meretrice & vulgari, quamvis alteri nupta, corpus miscuit, verum etiam 2) si quis

quis a conjuge desertus in eam turpitudinem inciderit. *Carpz. ib. Quæst. LVII. num. 20. sequ. Quæst. LVIII. n. 23. Quæst. LXI. n. 16. seq.* Immo 3.) si conjux innocens deprecatur alterius supplicium, eique se cohabitaturum pollicetur, nocens in Germania relegari solet, eique comitem se adjungere tenetur deprecator. *Vid. Brunnem. Proch. inquis. IX, 32.* Quod tamen in Saxonia locum non habet in adulterio duplici. *Carpz. P. IV. Const. XIX.*

## §. CLXXXVII.

**Criminæ  
polygamie  
pœna.**

Crimen polygamie simultaneæ in se nihil aliud est, quam adulterii species; (§. CLXXX.) Unde & locus jure civili est pœnæ adulterii. *Nov. CXVII. cap. 11. juncta L. 1. C. h. r. L. 7. C. de repud.* Secundum Constitutionem Carolinam pœna gladii obtinet. *Const. Crim. Art. CXXI.*

## §. CLXXXVIII.

**Nefanda  
venus,  
ejusque  
pœna.**

Pergimus ad NEFANDAM VENEREM, quam vulgo Sodomiam adpellitant, cujus pœna & jure civili capitalis est. *L. 31. C. b. r. §. 4. Inst. de publ. jud.* Jure criminali Carolino tum qui suo sexu abutuntur, tum qui cum bestiis se committunt, una cum bestia vivicomburio plectuntur. *Const. Crim. Car. art. CXVI.* Prius tamen probrum fere amissione capitis expiatur.

## §. CLXXXIX.

**Stuprum  
qui com-  
mittant.**

STUPRUM & ADULTERIUM in lege Julia fere promiscue accipiuntur. *L. 6. §. 1. L. 141. ff. de verb. sign.* Stricte sumtum quum sit vitium viduæ vel virgini sine vi oblatum; (§. CLXXX.)

§. CLXXX.) consequens est, 1) ut stuprum non committeretur in persona humili, & muliere quæstuaria *L. 3. pr. ff. de concub. Add. Comm. nostr. in L. Jul. & Pap. II, 4. p. 172, 2)* Ut congressus cum meretrice, ipsaque vita meretricia turpis quidem, sed extra legum civilium poenam essent *Comm. ad L. Jul. & Pap. II, 1. p. 131. 3)* Ut stuprum violentum, quod vocant Jcti, non ad hunc, sed sequentem titulum pertineat, *L. 3. §. 4. ff. de L. Jul. de vi publ.*

§. CXC.

Pœna stupratorum humilium erat corporis coercitio; honestiorum publicatio partis dimidiæ bonorum §. 4. *Inst. de publ. jud.* Jure hodierno stuprata agit civiliter primum ad alimenta infanti constituenda, deinde ut stuprator eam aut ducat aut dotet, \* quamvis prius simpliciter decerni soleat, si stuprator eam spe matrimonii ad stuprum pellexerit. Pœna utriusque est carceris aliquot dierum, vel multa pecuniaria. Immo & meretricia vita & illicita cum his mulierculis consuetudo pœna extraordinaria coercetur. *Carpz. Prax. Crim. Qu. LXX.*

Stupri  
pœna.

\* Quæ dos quum sit loco satisfactionis privatæ, quam stupratæ leges decernunt, merito etiam honestæ viduæ solvitur. *Stryk. ad Brunnem. Jus eccles. II, 13. §. 28.* Excidit contra ea dote 1) quæ nuptias stupratoris adspernatur: 2) quæ ipsa stupratorem pellexit, vel ei se sponte substravit: 3) quæ mercedem, quam sibi pacta est, abstulit.

## §. CXCI.

Incestus  
ejusque  
pœna.

**INCESTUS** quum in personis sanguine vel adfinitate junctis committatur; (§. CLXXX.) si inter se congressi erant adscendentes & descendentes, crimen illud incestus **JURIS GENTIUM**; sin alii, **JURIS CIVILIS** vocabatur. *L. 38. §. 2. ff. h. t. §. ult. ff. de rit. nupt.* Illius pœna erat deportatio; *L. 5. ff. de quast. Nov. XII. cap. 1.* hujus arbitraria. *L. ult. ff. de rit. nupt.* Hodie priore casu pœna gladii; posteriore, si fratres & sorores vel personæ, inter quas respectus parentelæ est, concubuerunt, fustigatio, alias relegatio, vel carceris pœna obtinet. *Carpz. Prax. Crim. Qu. LXXII. sequ.*

## §. CXCII.

Lenocinium,  
ejusque  
pœna.

Denique **LENOCINIUM** in se turpe, quum tamen in iis multo turpius sit, quifilias vel uxorem prostituere non dubitant: hoc casu pœna gladii; alias arbitraria obtinebat. *Nov. XIV. L. 29. §. 3. ff. h. t.* Quod & *Nemesis Carolina art. CXXII.* confirmat.

## T I T. VI.

*Ad Legem Juliam de vi publica.*

## §. CXCIII.

Quid vis  
publica.

**P**roxima est III. **LEX JULIA DE VI PUBLICA**, a Julio Cæsare, ut videtur, lata. *Cic. Philip. 1, 9.* Est autem **VIS PUBLICA** quælibet vis atrocior, sive a persona publica, sive personæ publicæ, sive armis illata sit. \* *L. 7. L. 10 pr. L. 3. §. 2. 6. ff. h. t.*

\* Exem-

\* *Exempla habes in L. 1. L. 2. L. 3. L. 4. L. 5. L. 7. sequ. L. 10. ff. h. t. Inprimis vim publicam facere dicuntur, 1) arma domi cogentes, 2) seditionem agitantes 3) villas expugnantes, 4) bona rapientes, 5) per vim stuprantes, (§. CLXXXIX, 3.) 6) domos obsidentes, 7) funus diripientes, 8) aliquem sibi per vim obligantes, 9) magistratus contra leges quid vi facientes; 10) legatos violantes, 11) judicia vel concionem turbantes, 12) convocatis hominibus aliquem verberantes, vel pulsantes 14) vestigalia nova exercentes, 14) virgines libidinis causa rapientes, &c.*

§. CXCIV.

Pœna erat aquæ & ignis interdictio. *L. 10. §. ult. ff. h. t. §. 8. Inst. de publ. jud. Servi vim publicam facientes, & liberi, in turba ædes alienas expugnantes, nec non raptores virginum, viduarum & sanctimonialium capitis damnabantur. L. 8. C. L. 1. pr. ff. h. t. L. un. §. 2. 3. C. de rapt. virg. Raptorum præterea bona vel raptæ vel monasterio cedunt. d. L. un. C. de rapt. virg. L. 54. C. de ep. & cler. Nov. CXXIII. cap. 43. Tantum quoque abest, ut raptorem excusent intermissum stuprum, sponsalia, & raptæ deprecatio, ut persecutio ne quidem adpellatione possit suspendi. d. L. un. pr. §. 1. 2. C. de rapt. virg. Nov. CXLIII, CL.*

*Ejus pœna præcipue in rapto feminarum.*

§. CXCV.

Deinde id quoque singulare est in crimine raptus & stupri violenti, quod & raptor, & ii, qui ipsi opem ferunt, a parentibus, cognatis, tutoribus & curatoribus, *L. un.*

*Raptor & stuprator.*

*pr. C. de rapt. virg.* Stuprator autem violenter a femina, vel ejus patre, impune occidi potest. *L. 1. §. 4. ff. ad L. Corn. de sicar.*

## §. CXCVI.

Ufus hodie  
diernus.

Hodie vis publica arbitrarie punitur. Capitale est in Germania crimen fractæ pacis, si quis coadunatis hominibus armisque adhibitis, id est, bello privato, aliquem invaserit. *Carpz. Prax. Crim. Qu. XXXV. seqq.* Stuprum violentum gladio vindicatur, modo pro puella vel ætas aliæve circumstantiæ militent, vel illa injuriam in se admissam statim ad judicem detulerit. *Const. Car. Crim. art. CXVI. Carpz. Prax. Crim. Quæst. LXXV.* Raptus quoque virginum capitalis est ex constitutione criminali *Art. CXVIII.* Supplicium tamen illud remitti solet, sive femina consentiat, & pro raptore deprecetur, sive hic ipse raptam sponte dimiserit, sive rapta antea cum eo fecerit sponsalia *c. fin. X. de rapt.*

## T I T. VII.

*Ad Legem Juliam de vi privata.*

## §. CXCVII.

Vis privatae  
vatae jus-  
que pœ-  
na,

**E** Idem Julio Cæsari Romani debuerunt **IV. LEGEM JULIAM DE VI PRIVATA.** Quemadmodum vero hæc est vis minus atrox & sine armis illata, §. 8. *Inst. de publ. jud. L. 1. L. 2. L. 3. L. 4. L. 5. L. ult. ff. h. t.* ita pœna erat mitior, publicatio tertie partis bonorum \* cum infamia: *L. 1. pr. L. ult. ff. L. 2. C. h. t.* hodie arbitraria. *Carpz. Prax. Crim. qu. XL. n. 7.*

\* Unde

\* Unde facile patet, cur adversus servum, si vim privatam intulisset, non potuerit ob hoc crimen institui accusatio. ( *S. CLXII, 7.* ) *L. 12. §. 4. ff. de accus. & inscr.*

T I T. VIII.

*Ad Legem Corneliam de sicariis & veneficis.*

§. CXCVIII.

**Q**uinta est LEX CORNELIA *de sicariis & veneficis* a L. Cornelio Sulla, Dictatore, lata, *L. 2. §. 32. ff. de orig. jur.* circa annum V. C. DCLXXI. Fuere ejus capita complura, siquidem etiam de parricidiis in ista lege actum esse, non obscure docet *L. 1. pr. ff. de parric.* ubi adde V. C. Ant. Schult. *Jurisp. vet. antejustin. p. 513.* Hodie tria potissimum supersunt ejus capita DE SICARIIS, VENEFICIS & INCENDIARIIS, quæ una lege comprehensa diversos tamen iudices diversasque quæstiones habuisse videntur. *Cic. pro Cluent. cap. LIII. d. L. 2. §. 32. ff. de orig. jur.*

Legis  
Cornelie  
de sicariis  
capita  
potiora.

§. CXCIX.

SICARII olim erant, qui sicca homines furtim interimebant. *Joseph. Ant. Jud. XX, 7. de Bell. Jud. II, 12. 17.* In hac lege autem ita vocantur, quicumque dolo malo hominem occidunt, ejusve neci causam præbent, vel ejus occidendi furtive faciendi causa cum telo ambulant. *§. 5. Inst. de jud. publ. L. 16. §. 8. ff. de pæn. L. 1. pr. ff. h. t. Cic. pro Milon. cap. IV. Paull. Rec. Sent. V, 23. 1.* Et his lex Cornelia,

Qui sicarii & quæ eorum pœna.



nelia, publicatis bonis, aqua & igni interdixit; leges recentiores supplicium capitale minantur, nisi sint honestioris conditionis. *L. 3. §. 5. L. pen. ff. L. 8. C. b. r. §. 5. Inst. de publ. jud.*

## §. CC.

De his axiomata.

Inde axiomata: I. Sicarius non intelligitur sine dolo malo. II. Quicumque homini mortem intentat, vel ejus morti causam præbet, criminis sicariorum reus est. III. Culpa extra ordinem punitur.

## §. CCI.

Quando animus occidendi præsumatur?

Quum ergo sicarius sine dolo malo non intelligatur; (§. CC, 1.) consequens est, 1) ut potissimum inquirendum sit in occidendi animum. *L. 1. §. 3. L. 14. ff. h. r. 2)* Ut tamen iste occidendi animus præsumatur ex telo vel instrumento, quo usus est homicida. *L. 1. §. 3. L. 15. ff. h. r. 3)* Ut nec infans, nec 4) furiosus, *L. 12. b. r. 5)* qui vim injustam, sibi suisque illatam, vi repulit, *L. 3. §. 4. ff. h. r. L. 3. ff. de justit. & jur. L. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. nec 6)* qui casu fortuito occidit, hac lege teneatur. *L. 1. C. h. r. L. 11. §. 2. ff. de pæn.*

## §. CCII.

Qui homicidæ.

Ex altero axioma (§. CC, 2.) sequitur, 1) ut hac lege teneantur non modo homicidæ, sed & 2) cædis furtive causa cum telo ambulantes, 3) magistratus testesque innocentem falsis judiciis, testimoniis, corruptionibus opprimentes, *L. 1. pr. L. 4. pr. ff. h. r. 4)* is, cujus familia sciente eo adipiscendæ recuperandæve possessionis causa arma sum-

fit,

fit, 5) auctor seditionis, 6) qui naufragium suppressit, 7) qui hominem libidinis vel promercii causa castravit. L. 3. §. 4. ff. h. r. vel thlibias fecit aut thlasias, L. 5. ff. h. r. L. 128. ff. de verb. signif. immo & 8) qui quæve poculum amatorium alteri præbuit, unde mors sequuta. \* L. 38. §. 5. ff. de poen.

\* Est enim philtro datio in se actio illicita. Unde inepte Areopagite absolverunt mulierem, quæ dato philtro amatorem necaverat. Arist. Magn. Moral. 1, 17. Vid. Pufendorf. I. N. G. 1, 5, 10.

§. CCIII.

Ex eodem axioma (§ CC, 2.) patet, 9) facto dolose homicidio nihil interesse, siue liber homo occisus, siue servus, L. 3. §. 2. ff. h. r. itemque 10) siue proprius siue alienus, (P. I. §. CXXXIV, 2.) L. 11. §. 1. 2. ff. h. r. 11) siue ipse quis occiderit, siue per alium. \* L. 15. pr. ff. h. r.

In quibus & per quo a. l. imitatur.

\* Hic si pecunia emtus, assassinus vocatur in cap. 1. de homicid. in 6. quod vocabulum Turcicum esse ex Nicet. Chron. Lib. II. inii. Matth. Paris. ad. ann. MCL. & MCCLVII. Guil. Tyr. XX, 31. docent Voss. de Vis. Sermo II, pag. 178.

§. CCIV.

Porro inde patet, 12) si in rixa homo percussus est, ictus ipsos contra unumquemque considerari oportere: L. ult. ff. h. r. junct. Paull. Rec. Sent. V, 23. 4. & 13) si de occidente

Quid si quis in rixa occisus?

Hein. Pand. T. II.

R non



non constet, omnes extraordinaria pœna esse adficiendos. *L. 5. L. pen. ff. de pœn.*

## §. CCV.

Qui si  
culpa?

Denique ex postremo axiomate (§. CC, 3.) sequitur. 1) ut ad ordinariam legis Corneliæ pœnam infligendam non sufficiat culpa qualiscumque, etiam lata, *L. 7. ff. h. t.* adeoque 2) ei locus non sit, si quis telo alterum ceciderit, ex quo mors sequi non solet, *L. 1. §. 3. ff. h. t.* vel 3) si quis poculum ad conceptionem dederit, & mulier inde mortua sit, *L. 3. §. 2. ff. h. t.* vel 4.) si quis incaute aliquid projecerit, vel jaculis luserit in eo loco, ubi vulgo iter fit. §. 4. 5. *Inst. ad L. Aquil. 5)* Ut tamen his similibusque casibus locus sit pœnæ extraordinariæ pro culpæ magnitudine. *L. 4. §. 1. ff. h. t.*

## §. CCVI.

Ufus hodie  
circa homicidium  
dolosum.

Et hæc pleraque hodie observantur. Pœna homicidarum vel sicariorum ordinaria est gladii. *Const. Crim. art. CXXXVII.* modo de dolo malo vel animo occidendi vulnerisque lethalitate constet. Eadem afficiuntur plures, qui per conspirationem hominem occiderunt. Si rixa cædes facta, & de auctore vulneris lethalis constat, is solus capitis damnatur, reliqui extra ordinem puniuntur, si singuli vulnera lethalia inflixerunt, singuli plectuntur: si denique de auctore vulneris plane non constat, omnes extra ordinem coercentur. *Const. Crim. art. XLVIII.*

## §. CCVII.

Circa culpam.

Eadem extraordinaria pœna locum habet  
in

in eade, non dolo sed culpa facta. *Const. Casuale homicidium poena omni vacat. Ibid. art. CXLVI. eoque etiam pertinet moderamen inculpatæ tutelæ. Ibid. art. CXL. seq.* Admisso assassinio mandatarius rota contunditur, mandans ordinarii homicidii poena adficitur, & cadaver rotæ illigatur. *Carpz. Prax. Crim. Part. I. Quest. XIX.* Qui eo animo exposuerunt infantes hieme, vel in loco solitario, ut pereant, sequuta morte gladio feriuntur: qui tempore minus frigido locove, ubi frequenter homines comitant, sine animo occidendi, fustigantur vel relegantur. Si vivus repertus infans, relegationi duntaxat vel carceris poenæ locus est. *Const. Car. Crim. art. CXXXII.*

casulæ,  
assassinii  
exposi-  
tionem  
infantis.

§. CCVIII.

Fuit etiam in hac lege caput de VENE-  
FICIS. Ita autem vocantur primum, qui ve-  
nenum malum, (est enim hoc vocabulum ex  
*ἄσθ μείων*, L. 3. §. 2. ff. h. r. L. 136. pr. ff. de  
verb. signif.) necandi hominis causa tece-  
runt, vendiderunt, dederunt; L. 1. §. 1. L. 3.  
pr. §. 1. 3. ff. h. r. deinde qui susurris magicis  
& incantationibus hominibus mortem vel in-  
ferunt, vel intentant. L. 13. ff. h. r. §. 5. *Inst.*  
*de publ. jud. L. 4. C. de malef. & math.*

Quid ve-  
nifici?

§. CCIX.

Horum quoque poena ex lege Julia erat  
aquæ & ignis interdictio. *Pauli. Recept. Sent. V, 22. 1.* postea mors L. 1. L. 4. 5. *C. d. malef.*  
*& math.* Hodie, qui venena præbet, facit,

Erunt  
poenæ.



vendit, ad hunc finem, ut homo intereat, si masculus sit, rota contunditur: si femina, in aqua suffocatur. *Const. Crim. art. CXXX.* Qui negligenter in vendendo veneno versatus est arbitrariè punitur. *Const. Crim. art. XXXVII.* Malefici, si pactum expressum cum cacodæmone fecerint, vivi comburi; si magis artibus hominibus nocuerint, \* gladio percuti jubentur. *Const. Crim. art. CIX.* Sed hic quidem non modo oculatum esse decet iudicem, sed & minime omnium credulum.

\* Quid si ejusmodi artibus non nocetur, sed confulitur hominibus. e. g. si adhibentur remedia humanis quaesita corporibus, vel in aggressibus locis innocenter adhibentur suffragia, ne maturis vindemiis metuantur imbres, aut ne ventis grandinisque lapidatione quatiantur? Hujusmodi artes nullis criminationibus implicandas esse ait Constantinus *L. 4. C. de malef. & mathem.* non quasi probeat hanc soliditatem, sed quod eam Romæ, (ubi adhuc pagana supersticio altissimas radices egerat,) impunem esse vellet. Hoc apparet, si quis jungat *L. 1. 2. 3. C. Theod. Lib. IX. Tit. XVI,* & quæ ibi notat Jac. Gothofredus.

### §. CCX.

De incendiariis & poenâ eorum.

Denique Jus Romanum etiam INCENDIARIOS igni necari jubet, *L. 9. C. de incend. ruin. naufr.* qui dolo malo incendia fecerunt in civitate. *L. 10. ff. h. t. L. 9. L. 13. §. 1. ff. de incend. ruin. naufr.* Quam poenam etiam comminatur *Const. Crim. art. CXXV.*  
modo

modo ignis in flammam proruperit. Incendium, incuria vicinorum factum, poena extraordinaria vindicatur. (P. I. §. CCXVII.)

L. 3. §. 1. ff. de off. praef. vig. L. 9. L. 11. ff. de incend. ruin. naufr.

T I T. IX.

De Lege Pompeja de parricidiis.

§. CCXI.

**L**EX sexta de publicis judiciis, puta POMPEJA, PARRICIDIUM persequitur, quod jam ante Legem Pompejam Cornelia vindicaverat. (§ CXCVIII.) Cic. pro Cluent. cap. LIII. pro Sex. Rosc. Amer. cap. XXV. Committebatur autem parricidium in patrem, matrem, avum, aviam (non in filium, filiam, nepotem, neptem ex filio, (P. I. §. CXLVI, 1.) fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patrum, avunculum, amitam, consobrinum, consobrinam, uxorem, virum, generum, socerum, vitricum, privignum, privignam, patronum, patronam. L. 1. pr. ff. h. r.

Parricidium quid?

§. CCXII.

At sublato jure vitæ & necis, quod olim competierat patri, (P. I. §. CXLVII, 1.) pater etiam filium filiamve occidens parricidii reus est, L. un. C. de his, qui par. vel. lib. occid. multoque magis mater, quæ liberos interemit, L. 1. fin. ff. h. r. immo & privignus, qui novercæ, & sponsus, qui sponsam manus violentas intulerat. L. 4. ff. h. r.

Filius ex-  
vultu.



## §. CCXIII.

**Pœna.**

Pœna antiquitus constituta parricidis erat, ut virgis sanguineis cæsi, culleoque infuti cum cane, gallo gallinaceo, vipera & simia, vel in vicinum mare, vel in amnem, projicerentur, omniumque elementorum usu vivi carerent: sin mare vel flumen non esset proximum, vivi comburerentur, bestiisve objicerentur. *L. 9. pr. ff. h. t.* Add. *Cic. pro Sex. Ros. cap. XXV.* Val. Max. I, 1, 13. *Cic. Epist. ad Att. III, 24.* Eam pœnam in personis propioribus etiam constituit *Const. Crim. Car. art. CXXXI.* nisi quod ante supplicium non quidem virgidemia, at forcipi candenti aliquando locus est, si magnæ insidiæ præcesserint. *Abid. art. CXXXVII.*

## T I T. X.

*De Lege Cornelia de falsis, & de SC. Liboniano.*

## §. CCXIV.

**Quid falsum?**

**S**eptima lex criminibus publicis opposita est CORNELIA DE FALSIS. FALSUM vocatur qualibet imitatio vel suppressio veritatis dolo malo in alterius fraudem facta. *Nov. LXXIII. pr.*

## §. CCXV.

**Ejus variz species.**

Itaque hujus criminis rei fiunt I. qui dolo malo circa testamentum falsi quid fecerunt, \* *L. 2. L. 30. pr. ff. h. t.* II. Qui aliud instrumentum falsum fecerunt, signarunt, verumve celarunt, surripuerunt, subjecerunt, resignarunt. *L. 9. §. 3. L. 16. §. 1. 2. ff. h. t.* III. Qui falsum testimonium perhibuerunt, pecuniarumve eo nomine acceperunt pactive sunt.

L. 1. pr. §. seq. L. 27. pr. §. 1. 2. ff. h. r. IV. Qui falso nomine, cognomine, diplomate usi sunt. L. 13. pr. L. 27. §. 3. ff. h. r. L. un. C. de mut. nom. V. Qui falsum partum supposuerunt. L. 19. §. 1. L. 30. §. 1. L. 10. C. h. r. VI. Qui mensuras vel pondera corruperunt, vel falsarunt. L. 32. §. 1. ff. h. r. VII. Qui adulterinam monetam flaverunt, cuderunt, veram raserunt, tinxerunt, finxerunt dolo malo. L. 8. L. 9. pr. L. 19. pr. ff. h. r. L. 1. 2. C. de fals. mon.

\* Nec tamen hæc capita omnia ex lege Cornelia esse videntur. Sane caput II. & III. sunt ex SC. Liboniano, T. Scatilio Tauro & L. Scribonio Libone Coss. anno V. C. DCCLXVIII. condito, & alio, quod Licinio & Tauro Coss. tribuit Ulpianus apud Pariat. LL. Mos. & Rom. VIII, 7. Add. Antiq. Rom. nostr. IV, 18, 64.

### §. CCXVI.

Sex priorum criminum poena in servis est ultimum supplicium, in liberis (honestioribus) deportatio cum publicatione bonorum, (in humilioribus metallum.) Paull. Rec. Senec. V, 25. 1. L. 1. §. ult. L. 27. §. ult. L. 32. ff. h. r. §. 7. Inst. de publ. jud. Quintus casus id habet singulare, quod non possint accusare, nisi quorum interest. L. 30. §. 1. ff. h. r. Postremum delictum capitale est, & vivicomburio expiandum. L. 8. ff. h. r. L. 2. C. de fals. mon.

### §. CCXVII.

Accesserunt huic Legi varia SCA, qualia

R +

piæ

SC. Libo  
ria. mu.



præter ea, quæ paullo ante memoravimus, Libonianum & Licinianum, (§. CCXV. \*) etiam sunt illa, quæ anno V. C. DCCLXXII. M. Aurelio Cotta & M. Valerio Messalla, & anno V. C. DCCLXXX. duobus Geminis Coss. facta sunt, apud *Aur. Collat. Leg. Mos. & Rom. VIII, 7.* Aliud memorat Paull. *Rec. Sent. V, 25. 6.* in primis ex Liboniano notandum falsi reos esse, qui sibi, iisve, quos in potestate habent, in testamento legatum vel fideicommissum adscribunt, nisi testator se id jussisse subscriptione sua testatus sit. \* *L. 1. §. 7. 8. L. 14. pr. §. 2. L. 15. pr. §. 1. ff. h. t. L. 2. C. de his, qui sibi adscrips.*

\* Et quidem, si extraneus aliquid sibi adscripserit testator expresse addere debet: Quod illi dictavi, & recognovi; siquidem tunc & pœna cessat, & capere potest, quum alioquin sola subscriptio eum a pœna dumtaxat liberet: si filius vel servus: sufficit nuda subscriptio tum ad capiendum, tum ad pœnam *L. Corneliz evitandam, L. 1. §. 8. L. 15. §. 1. 2. ff. h. tit. L. 2. C. de his, qui sibi adscr.*

### §. CCXVIII.

**U**sus hodiernus. Hodie falsi pœna est arbitraria: aliquando capitalis, si quis falso testimonio opprefsit reum, ut capitis damnaretur. *L. 1. §. 1. ff. ad L. Corn. de sicar.* Vivicomburio etiamnum plectuntur, qui falsam monetam Principis vel reip. suæ cudunt, (qui enim alterius principis monetam effingunt, gladio percuti solent, *Carpz. Prax. Crim. qu. XLII. n. 71.*) vel ab alio casam expendunt. *Const. Crim.*

*Car. art. CXI.* Qui probam monetam immutant, minuunt, radunt, & majorem in fornace conflant, ut inde minorem faciant, arbitrarie puniuntur. *Const. Crim. art. eod. Carpz. ibid. v. XLV.*

T I T. XI.

De Lege Julia repetundarum.

§. CCXIX.

**Q**uotidiana quoque in foro Romano erat Lex Julia repetundarum. VIII. quaestio ex LEGE JULIA REPETUNDARUM. REPETUNDÆ vocabantur pecuniæ, quascunque is, qui in magistratu officioque publico erat, ob militem legendum, mittendumve sententiam in senatu dicendam, accusationem, judicis dationem, vincula alicui injicienda, demendave, sententiam ferendam, aliudve simile a quocunque acceperat. \* L. 1. pr. L. 6. §. 2. L. 7. pr. §. 2. ff. h. r. Quod crimen C. Jul. Cæsar in primo consulatu lata hac lege æstimatione litis & infamia expiari jussit. L. 6. §. 1. ff. h. r. Cic. *Vatin. cap. XII.* & *pro Rabir. cap. XIV.* Postea vel exsilium irrogari cœptum, vel ipsa capitis pœna, si quis pecuniam ad necandum hominem acceperat. L. 7. §. ult. ff. h. r. Paull. *Res. Sent. V, 28. 1.* & *ibi Cl. Schultingius.*

\* Munera ergo plane accipere non poterant, qui fungebantur officio publico, præterquam a cognatis usque ad consobrinos, uxore, nec non in ingressu provinciæ et culenta



394 *Pand. Lib. XLVIII. Tit. XII. XIII.*  
& potulenta, quæ proximis diebus prodigerentur. L. 1. §. 1. *h. tit. L. 18. ff. de off. Precos.*

T I T. XII.

*De Leg. Julia de annonâ.*

§. CCXX.

*Lex Julia de annonâ.*

**P**roxima est IX. LEX JULIA DE ANNONA, qua cautum, ut qui quid contra annonam fecerit, societatemve inierit, quo annonâ carior fieret, quive navem retinuerit, aut dolo malo fecerit, quo magis detineretur, is a quocumque etiam ad accusandum inhabili, (§. CLX, 10.) deferri possit, poenamque inferat XX. aureorum.  
\* L. 2. *pr. §. 1. 2. L. 1. L. 3. §. ult. ff. h. t. L. 13. ff. h. t.*

\* Datur tamen adversus illos etiam persecutio extraordinaria. (§. CXXVIII. 3) L. 6. *pr. §. 1. ff. de extr. crim.* Immo hodie nullum est dubium, quin aliquando ad poenam capitalem pervenire possit. *arg. Const. Crim. Carol. CXIII.*

T I T. XIII.

*Ad Legem Juliam peculatus, & de sacrilegis, & de residuis.*

§. CCXXI.

*Quid peculatus, facile-gium, crimen de residuis.*

**X.** LEX JULIA DE PECULATU  
**L**tria potissimum crimina coercentur. PECULATUS, qui est furtum pecuniæ publicæ ab eo, cujus fidei commissa erat, factum,

factum, L. 9. § 2 ff. h. t. SACRILEGIUM, quod est furtum pecuniæ vel rei sacræ e loco sacro vel religioso, l. 1. L. 4. pr. §. 1. L. 5. L. 9. § 1. 2. L. 11. §. 1. ff. h. t. & de RESIDUIS, quales sunt pecuniæ publicæ, ab eo, cujus fidei commissæ erant, interceptæ, aut in usus ejus conversæ. L. 2. L. 4. § 3. 4. ff. h. t.

§. CCXXII.

Pœna PECULATORUM olim erat aquæ & ignis interdictio, & postea aliquando quadrupli: L. 3. L. 6. §. ult. L. pen. ff. h. t. que persecutio quinquennio extinguitur. (P. VI. §. CCCLXX.) L. 7. ff. h. t. SACRILEGI extra ordinem, & plerumque capitis damnabantur. L. 4. §. 2. L. 6. pr. L. 9. pr. ff. h. t. RESIDUARUM nomine quis amplius tertia parte, quam debebat puniebatur, L. 4. §. 5. ff. h. t. Sed jure novo pœna erat capitalis. L. un. C. de crim. pec. §. 9. Inst. de publ. jud.

Pœna juris civilis.

§. CCXXIII.

Hodie quum pœna furti satis grandis sit, PECULATORES, nisi quid singulare statutum, uti alii fures plectuntur: idemque inter Protestantes fere observatur in SACRILEGIS, nisi quod in Saxonia pœna rotæ irrogatur. Carpz. *Quæst. LXXXIX. n. 18. seq.* Durius supplicium vivicomburii *Nemesis Carolina Art. CLXXII* minatur his, qui hircanicam surripuerunt. Denique & crimen de RESIDUIS fere arbitrarie punitur, nisi pœnam furti ordinariam irrogent leges provinciales. Exempla sunt apud Stryk. *U. Maderm. ff. h. t. §. II.*

Uti hodie dicitur.

## T I T. XIV.

*De Lege Julia ambitus.*

## §. CCXXIV.

*Crimen  
ambitus.*

**T** Ulit porro Augustus XII. LEGEM JULIAM AMBITUS. Suet. *Aug. cap. XXXIV.* quod crimen admittebant, quicumque conductis corruptive suffragiis, magistratum aliumve honorem invaserant. \* *L. un. C. b. t.* Ex quo patet, extincta libertate reip. imperioque ad principes translato, cessasse crimen ambitus. *L. un. pr. §. 1. ff. h. t.* Nec ambitus tenetur, qui ministro principis quid promittit, ut suffragio suo se adjuvet apud principem. *L. un. C. de suffrag.* Poena erat deportatio, *L. un. C. b. t. Nov. VIII. cap. 1. 7. 8.* in municipiis C. aureorum & infamiz. *L. un. §. 1. ff. h. t.* Sed pridem hic oblauguat publicæ disciplinæ vigor.

\* Proinde etiam, qui sacerdotium sibi pecunia comparant, ambitus rei sunt. *L. un. §. 1. ff. h. tit. L. 31. C. de Episc. & cler.* Sed Canonistæ hoc delictum vocant *Simoniam* ex *Act. VIII, 18. 19.* quasi qui parochiam sibi comparant, spiritus *καρσίματα* emere sibi conentur. Inde hæresis illa nata, cujus fere perpetuo reos agebant Imperatores & principes qui juris circa sacra paullo erant tenaciores. Vid. *tit. X. de Simon. & Ant. Matth. Manud. ad. Jus. Can. III, 4.*

T I T. XV.

De Lege Fabia de Plagiariis.

§. CCXXV.

Crimen  
plagii.

**D**enique XIII. qui hominem ingenuum  
vel libertinum invitum celant, habent,  
scientes dolo malo emunt, servumve alie-  
num celant, ad fugam pelliciunt, scien-  
tes emunt, PLAGIARII dicuntur, L. 6. §. 2.  
ff. h. r. Quibus LEX FABIA poenam irro-  
gavit pecuniariam. L. ult. ff. h. r. recentio-  
res leges graviolem, immo & capitalem  
aliquando. d. L. ult. L. 1. ff. L. 7. L. ult. C. h. s.  
§. 10. Inst. de publ. jud.

T I T. XVI.

Ad SC. Turpillianum, & de abolitione  
criminum.

§. CCXXVI.

**E**xpensis legibus de judiciis publicis pro-  
gredimur ad quosdam omnibus hisce  
judiciis communia, qualia sunt omnia, que  
in titulis insequentibus usque ad libri hujus  
terribilis finem tractantur.

Conse-  
rio.

§. CCXXVII.

Ex primo quidem, quum accusatorum  
tria sint peccata, poenis gravissimis coer-  
cenda, CALUMNIA, PRÆVARI-  
CATIO & TERGIVERSATIO: de his  
agitur hoc titulo. CALUMNIA hic est, quan-  
do quis innocenti dolo malo falsa crimina in-  
tendit. L. 1. §. 1. ff. h. r. PRÆVARICATIO,  
qua-

Quid ca-  
lumnia,  
prævaric-  
atio,  
tergiver-  
satio.



quando quis cum reo colludit, & in ejus gratiam vera crimina abscondit, probationes dissimulat, falsasque rei excusationes admittit. (§. CXXXVIII.) *L. 1. §. 6. ff. h. r. TERGIVERSATIO*, quando quis ad accusandum habilis, non impetrata venia aut abolitione, ab accusatione vere publica in universum desistit. *L. 1. §. 1. ff. h. r.*

## §. CCXXVIII.

Calumnia-  
torum  
pena.

**CALUMNIATORES** olim Lege Remmia, (quæ V. A. Henrici Brankmanni faciem expectat, stigmatate urebantur, adeoque in fronte præferre cogebantur litteram K. Cic. *pro Sex. Rosc. Cap. XX. L. 13. ff. de test. L. 1. §. 2. ff. h. r.* Sed poena hac a Constantino M. in *L. 17. C. de pæn.* abolita, invaluit poena talionis, *L. ult. C. de accus. L. ult. C. de calumn.* hodie arbitraria.

## §. CCXXIX.

Nec non  
prævari-  
cantium &  
tergiver-  
santium.

De **PRÆVARICATORUM** poenam, quantum satis est, diximus (§. CXXXIX.) De **TERGIVERSANTIBUS** SC. Turpillianum conditum anno V. C. DCCCXIV. C. Petronio Turpilliano & C. Cæsonio Paeto Coss. eoque cautum est, ut tergiversantibus poena V. librarum auri irrogetur, & in posterum accusare prohiberentur. *L. 2. ff. L. 2. C. h. r. L. 3. §. ult. ff. de prævaric.*

## §. CCXXX.

Quando  
hoc SC.  
cesset?

Sed ex *tergiversationis* definitione (§. CCXXVII.) satis adparet, non incidere in hoc SC. 1) qui desistunt ab accusatione tutoris suspecti, *L. 1. §. 1. ff. h. r.* 2) nec mulieres & majores, qui accusationem coeptam

non

non prosequuntur, L. 1. §. 10. ff. h. t. nec 3 )  
qui permissu Imperatoris, aut impetrata  
ABOLITIONE, destiterunt. L. 13. §. 1. L.  
1. §. 6. ff. h. t.

§. CCXXXI.

Nam ABOLITIO est beneficium, quo Princeps aliquem e numero reorum eximit, & accusatori necessitatem accusationem prosequendi remittit. L. 12. ff. h. t. Unde eam accusationem, non crimen, tollere, satis patet. L. 7. L. 12. ff. h. t. L. 2. C. de gen. abolit. Ceterum, quum abolitio fieret vel ex ultroanea Principis voluntate, vel ex necessitate, e. g. accusatore impedito, vel reo mortuo: illaque aut ob laetitiam publicam, \* aut rogatu accusatoris & rei concederetur: quæ ex necessitate fit, LEGITIMA; L. 10. pr. L. 15. §. 3. ff. h. t. quæ ob laetitiam publicam conceditur, PUBLICA; L. 8. L. 9. L. 12. ff. h. t. C. de gen. abol. quæ partium precibus datur, PRIVATA adpellatur. L. 10. pr. ff. h. t. L. 2. L. ult. C. de abolit.

Abolitio  
quid &  
quom-  
plex?

\* Id jam olim factitabant Romani per senatus consulta ob insignem diem, publicam gratulationem, vel rem prospere gestam, vel in honorem domus divinæ, id est Augustæ. L. 8. L. 9. 10. L. 11. ff. h. t. Id imitati etiam Principes Christiani, qui frequenter solvi jubebant reos, veluti ob natales filiorum, L. 1. C. Theod. de jud. crim. Lib. IX. tit. XXVIII. Chrysost. in Matth. III. hom. III. Aimon Hist. Franc. III, 54. ob victorias insignes, L. 2. C. Th. eod. Julian. Orat. I. & ibi

*Ez. Spanh. ob Pascha, L. 3. C. de episc. aud. L. 3. seqq. C. Th. de jud. crim. Greg. Nyssen. de resurrect. Christi Orat. III. Chrysoft. Homil. VI. ad pop. Antioch. quem morem a Judæis ad Christianos traductum esse, verosimile est. Vid. Matth. XXVII, 15. & quæ ibi notavit Grotius & Jac. Gothofred. ad L. 3. seq. C. Th. de indulg. crim.*

**T I T. XVII.**

*De requirendis vel absentibus damnandis.*

**§. CCXXXII.**

Absentes quando damnari non possunt?

**C**ommunis quoque omnibus iudiciis publicis est **REQUISITIO REORUM**, quos aliquo fuga abstulit. Quum enim omnes, etiam innocentissimi, a carcere & vinculis abhorreant: non sane humanum esset, criminis gravioris & capitalis suspectos absentes, indicta causa, damnare. Et hinc id nunquam fecerunt Romani, nec id jura nostra patiuntur. *L. 1. pr. §. 1. ff. h. t. L. 5. ff. de pœn. L. 6. C. de accus.*

**§. CCXXXIII.**

Quando possunt?

**Ex quo recte colligebant Jcti, 1) aliter se rem habere in delictis levioribus, quibus ultra relegationem nihil imminet, L. 5. ff. de pœn. L. 21. C. eod. nec non 2) in reis, quibuscumque lis contestata est, L. 10. ff. de publ. jud. L. 13. C. ad L. Jul. de adult. quos absentes etiam in contumaciam damnari posse existimabant.**

**§. CCXXXIV.**

Quomodo

**Deinde ex eodem colligebant, 3) requi-**  
ren-

rendos esse reos, & quidem tribus edictis per trinundinum vocandos, *L. 1. §. 1. 2. ff. do requi-  
rendi?*

1. 1. & 4) interim eorum bona annotanda, ea, quæ mora interire possent, distrahenda, & debitoribus, ne absentibus solvant, eoque fugam eorum instruant, prohibendum esse. *L. 2. pr. L. 5. pr. §. 1. 2. 3. ff. L. 1.*

*C. h. r. 5*) Si tunc intra annum se sistant rei, admittendam adhuc esse eorum defensionem, & se purgantibus vel satisfaciuntibus bona restituenda, *L. 1. §. 3. 4. L. 4. pr. L. 5. pr. ff. h. r.*

quin 6) & heredibus restituenda bona, si reus intra annum decesserit. *L. 1. fin. ff. h. r.*

7) Anno elapso adhuc audiendum esse reum sed tunc illum bonorum exsortem fore, *L. 4. §. 2. L. 5. pr. ff. h. r.* modo fisco non obstat

lapsus XX. annorum a tempore, quo annotatio bonorum publice innotuit. *L. 1. §. 1.*

*L. 3. ff. h. r.*

### §. CCXXXV.

Annotationi bonorum adhuc locus est per *Const. Crim. Art. CCVI*. Rei fugitivi requiri solent litteris patentibus, in proximas jurisdictiones dimissis, (*Stellc-Briefe*,) aliquando etiam præmium indici publice promittitur, si crimen vel sit gravissimum, vel ad remp. pertineat. Absentes nec hodie damnantur, si capitale sit eorum crimen. In Saxonia tamen adversus absentes locus est proscriptioni vel banno, (*Dem Achts-Process*,) de quo pluribus agunt Carpzovius & reliqui Saxonum prudentes.

*Ufus hujus  
diernus.*

## L I T. XVIII.

*De questionibus.*

## §. CCXXXVI.

Cui d  
quæstio  
nes?

**N**ec minus inter ea, quæ omnibus judi-  
ciis publicis communia sunt, referri  
possunt **QUÆSTIONES**, quæ sunt inter-  
rogationes, sub tormentis ad eruendam faci-  
noris, non obscuris judiciis confirmati, co n-  
fessionem factæ. *L. 15. §. 41. ff. de injur. L. 12. C.  
h. r.* Quod, quamvis sit fragile ac periculo-  
sum medium, *L. 1. §. 20. ff. h. r.* plerisque  
tamen gentibus olim placuit, tanquam ma-  
lum necessarium. De Atheniensibus saltim &  
Rhodiis testis est Cicero *Partit. Orat. Cap.  
XXXIV.* de Germanicæ originis populis id  
constat ex *Lege Vvifgoth. IV, 1. Lege Bajuvar.  
tit. VIII. fin. Lege Salica tit. XLII. Capicular.  
Reg. Franc. VI, 144.*

## §. CCXXXVII.

De his axi-  
omata

Unde axiomata fluunt: I. Quæstiones diræ  
proprie ad servos pertinebant *L. 1 §. 1. §. 19.  
ff. L. 15. C. h. r.* II. Eæ adhibendæ ad eruend-  
dam veritatem, III. concurrentibus indiciis  
delicti gravioris urgentissimis.

## §. CCXXXVIII.

Qui tor-  
queri pos-  
sunt.

Quum itaque quæstiones diræ proprie ad  
servos pertinerent: (§. CCXXXVII, 1.) faci-  
le jam intelligitur ratio, 1) cur torqueri illi  
possent, sive rei essent, sive testes: *L. 1. §.  
19. ff. h. r.* nec tamen 2) contra dominos,  
nisi in criminibus majestatis, adulterii & qui-  
busdam aliis atrocioribus. *L. 1. §. 5. seq. ff.*

*L. 1.*

L. 1. C. h. t. L. 1. ff. ad L. Jul. ann. L. 53. ff. de jud. 3) Cur ejusdem conditionis olim viderentur homines viliores, si vel rei postularentur criminum, vel tanquam testes producerentur. L. 22. §. 2. ff. de testib.

§. CCXXXIX.

Ex eodem axiomate patet, cur ab istis quæstionibus jure nostro immunes censeantur 4) illustres & clarissimi, L. 17. C. h. t. L. 10. C. de dignit. 5) Episcopi & presbyteri, L. 8. C. de Ep. & cler. 6) artium professores, L. 6. C. de Prof. & med. 7) Decuriones, eorumque liberi ad tertium gradum, L. 11. L. 17. C. h. t. L. 12. C. decurion. 8) milites eorumque liberi primi gradus. \* L. 8. pr. C. h. t. L. 3. §. 1. ff. h. t.

Quique non possunt?

\* Omne tamen dignitatis privilegium cessat in delictis majoribus, veluti perduellionis & majestatis, L. 3. L. 4. C. ad L. Jul. mai. L. 10. §. 1. ff. h. t. L. 3. §. 10. ff. de re milit. falsi, L. 21. C. ad L. Corneliam de fals. veneficii, L. 7. C. de malef. & mathem. quibus & hæreseos crimen accenseri videmus ex principiis hæreticomastigum arg. L. 4. §. 4. C. de hæret.

§. CCXL.

Quumque tormenta tantum ad eruendam veritatem adhibenda sint; (§. CCXXXVII, 2.) consequens est 1) ut tormentis non sit servendum in eos, a quibus veritatis eruendæ nulla spes adfulget, quales sunt furiosi; L. 1. §. 10. ff. ad SC. Silan. & impuberes: L. 10. pr. ff. h. t. 2) nec in illos illasve, quibus ipsius, quarumve foetui inde mors immineat, L. 7. ff. h. t.

An & furiosi, impuberes, fetes, pragnantes?

*h. r. pręgnantes.* ( P. I. §. CXXV, 4. ) *L. 3. ff. de pęn. 3* ) **Ut judex, si reum dolo malo ad mortem usque torqueri jusserit, ex lege Cornelia de sicariis; sin culpa & imperitia, extraordinem puniendus sit.** *L. 1. §. 4. L. 4. §. 1. ff. ad L. Corn. de sicar.*

## §. CCXLI.

Quo ordine & quoties torquēdi sit rei?

Ex eodem axioma colligebant veteres, 4 ) ordinem observandum esse in torquendis pluribus reis, ut initium fieret vel a suspectissimo, vel a debiliore, qui facilius doloribus superari posse videatur. *L. 1. §. 2. L. 18. pr. ff. h. r. 5* ) Reum convictum, non autem confessum, torqueri posse in aliorum capita. *L. 16. §. 1. L. 1. §. 26. ff. h. r. L. 29. ff. de pęn. L. 17. C. de SC. Silan. L. ult. C. de malefic. & mathem. 6* ) Quęstiones repeti posse, si ex supervenientibus indiciis novis adpareat, reum in tormentis animum corpusque durasse. *L. 16. pr. L. 18. §. 1. ff. h. tit.*

## §. CCXLII.

Quomodo?

Nec minus inde inferimus, 7 ) tormenta adhibenda esse, non qualia postulet accusator, sed legitima, \* *L. 10. §. 3. ff. h. r. 8* ) eaque attemperanda a judice esse indiciis, quę contra reum militant, & atrocitati delicti, ne medium eruendi veritatem ipsa pęna imminente sit gravius. *L. 7. ff. h. r.*

\* Inter tormenta Romanorum erant ustulatio, verbera, stimuli, nervi, laminę, boję, vulgulę, fideiculę, plumbatę seu Martiobarbuli, & pręcipue equuleus, de qui-

quibus erudite suo more Guido Pancirol.  
*Theſaur. Var. lect. l. 41. p. 67. ſequ.*

## §. CCXLIII.

Denique quum dictis quaſtionibus tantum locus ſit, ſi urgentiſſima adverſus reos indicia militent: (§. CCXXXVII, 3. conſequens eſt, 1) ut a tormentis non ſit incipiendum. *L. 1. pr. L. 20. ff. h. t. 2*) Ut illa adhibenda tantum, ubi reus ſuſpectus criminis capitalis, *L. 8. ff. h. t. & 3*) ita quidem, ut ſola confeſſio deſſe videatur. *L. 1. §. 1. ff. L. 8. C. h. t. 4*) Ut reus conſtanter negans, vel confeſſionem revocans, & in eo perſeverans, purgaſſe ſe cenſeatur, adeoque abſolvendus ſit. *L. 4. C. de edend. L. ult. ff. de calumn.*

Quando  
 his qua-  
 ſtionibus  
 locus ſit?

## §. CCXLIV.

Eadem fere obſervat *Nemeſis Carolina* tantum notandum, 1) moribus hodiernis dignitatis non adeo haberi rationem. 2) Indicia criminum pleraque, quae ad quaſtiones ſufficere videantur, recenſita eſſe in conſtitutione illa Carolina, tum *generalia*, *art. XXV. XXVI. XXX. ſeq.* tum *ſpecialia* homicidii, *art. XXXIII. ſeqq.* infanticidii, *art. XXXV. veneficii art. XXXVII. furti & rapi-  
 nae, art. XXXVIII. XXXIX. XL. XLIII. in-  
 cendii, art. XLI. magiae & ſortilegii. art. XLIV.* 3) Gradus torturae plerumque hodie eſſe tres, quamvis alia alibi instrumenta adhibeantur. 4) Aliquando, ſi vel delictum ſit mediocre, vel indicia non admodum urgeant, loco torturae *territionem*, quem vocant, eamque vel *verbalem* vel *realem* decerni. 5) Reum, tormentis vel *territione* ad confeſſionem

Uſus ho-  
 dieus.

ada-

adactum, illam confessionem, interjectis aliquot diebus, ratam habere teneri extra locum questionis. *Const. Crim. Carol. art. LVI.*

## T I T. X I X.

*De pœnis.*

## §. CCXLV.

Quid  
pœna?

**P**Ræterea communes omnibus criminibus sunt POENÆ. His enim ideo opus est in republica, ut 1) vel meliores reddantur homines, *L. 1. §. 1. ff. de just. & jur. L. 20. ff. h. t. vel 2) horum exemplo alii in officio contineantur. L. 31. ff. depos. L. 1. C. ad L. Jul. repet.* Quare pœna est malum passionis ob malum actionis inflictum a superiore. Vid. *Pufendorff. Jur. Nat. & gent. VIII, 3, 4.*

## §. CCXLVI.

Capitalis  
non capitalis.

Prout ergo malum illud passionis vel tollit caput, id est vitam statumve libertatis & civitatis, (P. I. §. DV.) vel non tollit: pœna vel CAPITALIS vel NON CAPITALIS dicitur. \* *L. 2. pr. L. 6. §. ult. L. 28. pr. §. 1. ff. h. t. §. 2. Inst. de publ. Jul.*

\* Pœnæ CAPITALIS Romæ erant *vivicomburium*, sub principatu demum repertum, *furca*, *damnatio ad bestias*, *gladius*, *metalla*, *aqua & ignis interdictio*, *deportatio*. *L. 28. pr. §. 11. L. 8. §. 1. 4. 6. ff. h. tit. NON CAPITALIS* *fustium admonitio* *flagellorum castigatio*, *damnatio in opus temporarium*, *relegatio*, *infamia*, *dignitatis privatio*, *litis aestimatio vel multa*. *L. 6. §. ult. L. 7. seqq. L. 28.*

L. 28. §. 1. 2. 6. ff. h. tit. L. 103. ff. de verb. sign. De his pœnis egregie differit Guido Pancirol. *Thesaur. Var. Lect.* I, 41. Reliqua suppliciorum ac pœnarum genera illicita erant, qualia habes L. 8. §. 9. L. 8. §. 1. 3. L. 25. §. 1. L. 35. ff. h. tit.

## §. CCLVII.

Quumque pœna illa vel legibus definita, vel judicantium religioni & arbitrio relicta sit; hinc illa ORDINARIA; hæc EXTRAORDINARIA, vel ARBITRARIA, adpellatur. L. 11. pr. L. 13. ff. h. t. Unde facile patet, 1) ordinariam neque intendi neque mitigari a judice posse, nisi concedentibus legibus (P. I. §. CXVII, 1.) \* L. 41. ff. h. t. L. 1. §. 4. ff. ad SC. Turpill. 2) In statuenda pœna arbitraria circumstantias omnes cum cura expendendas esse. L. 11. pr. L. pen. ff. h. t. L. 155. §. ult. ff. de reg. jur.

Ordinaria & extraordinaria.

\* Exacerbantur autem pœnæ ordinariæ, si dolus ingens, vel alia atrocior circumstantia accedat. Mitigantur 1) propter sexum L. 6. ff. ad L. Jul. pec. 2) ætatem, L. 16. §. 3. ff. h. t. 3) ebrietatem, L. 6. §. 7. ff. de remil. 4) affectus veluti doloris vehementiam, L. 6. §. 6. ff. ad L. Jul. de adult. & 5) dignitatem. L. 16. §. 3. L. 22. §. ult. ff. h. tit. An etiam 6) ob diuturnitatem captivitatis? Ita est in L. 25. pr. ff. h. tit. sed id recte limitant, si pœna sit arbitraria, & reus non ipse tergiversando, negando, & judicem fatigando, id est, suo adjumento, id malum sibi adsciverit.

## §. CCXLVIII.

Qui punire, & poenam remittere possint?

Ceterum ex definitione poenae satis patet, 1) eam decernendam esse a magistratu competente, *L. 11. pr. L. 13. L. 39. ff. h. r.* adeoque 2) non ferendam esse vindictam privatam, nisi in casibus a legibus speciatim concessis, veluti *L. 20. seq. ff. ad L. Jul. de adult. L. 35. ff. de religios. Nov. CXVII. cap. 5.* 3) Non magistratum, sed Principem gratiam facere posse poenarum. *L. 31. pr. ff. h. r. tit. ff. C. de sent. pass. & restit.*

## §. CCXLIX.

Qui puniendi & ubi?

Deinde ex eadem inferimus, 4) cogitationis poenam neminem sentire. *L. 18. ff. h. r.* 5) Eam esse infligendam delinquentibus confessis vel convictis, *L. 16. C. h. r.* non 6) propinquis & heredibus. *L. 22. L. 20. 26. ff. h. r.* 7) Semel decretam esse executioni mandandam quantocumque, *L. 18. C. h. r.* nec 8) supplicationibus rei vel promissis de re magna detegenda indulgendum esse. *d. L. 18. L. 6. pr. ff. h. r.* 9) Merito tamen aliquid temporis indulgeri, si socii criminis convincendi, *L. 29. ff. h. r.* vel damnatus rationes nondum reddiderit gestae administrationis, *L. 5. C. de bon. praeser.* vel rea sit praegnans, (*P. I. §. CXXV, 4.*) *L. 3. ff. h. r.* vel denique Princeps aliquid atrocius per modum privilegii statuerit, quo casu per XXX. dies differendum supplicium. \* *L. 20. C. h. r.*

\* Historiam hujus legis Theodosianae accurate exponit Jac. Gothofred. ad *L. 13. C. Theod. h. tit. Lib. IX. tit. XL. pag. 305. Tom. III.*

§. CCL.

Jure nostro etiam id cautum fuerat, ut poena ejus infligeretur in loco, ubi peccaverant: *L. 28. §. pen. ff. h. t.* nec non, ne infligeretur feriis. *L. ult. C. de fer.* Sed prius non semper hodie observatur: quemadmodum & alia poenae passim receptae sunt, quas jus Romanum plane ignorat.

Ubi?

T I T. XX.

De bonis damnatorum.

§. CCLI.

Quum capitis damnati olim vel servi poenae fierent, vel ad peregrinitatem redigerentur: (*P. I. §. DVI. Inst. §. CCXXVI.*) fieri non poterat, quin & bona eorum fisco cederent. *L. 1. L. 2. ff. L. 2. C. h. t. L. 3. ff. de interd. & releg.* solis exceptis panniculariis, id est, spoliis, quae secum in carcerem attulerunt, quibusque ad supplicium ducti induti fuerunt, quae nec fisco cedebant, nec spiculatoribus, sed jure Praesidis erogabantur, *L. 6. ff. h. t.*

Bona damnatorum publicata.

§. CCLII.

Postea 1) unciam eorum bonorum Hadrianus liberis reliquit, aliquando & plus indulxit. *L. 7. pr. ff. h. t.* 2) Theodosius semissem concessit. *L. 10. C. h. t.* Exstabat etiam 3) lex, ut damnatae mulieris dos penes maritum maneret, praeterquam si majestatis, vis publicae, parricidii, veneficii, vel caedis damnata esset. *L. 3. ff. h. t.* Denique 4) bonorum publicationem, excepto majestatis

Illegibus novis mutatum.

crimine, (§. CLXXV, 3.) eatenus sustulit Justinianus, ut liberi & parentes usque ad tertium gradum fisco præferantur. *Nov. CXXXIV. cap. ult.* & uxori dos & donatio propter nuptias, nec non, si egena sit, pars quarta bonorum mariti. (P. VI, §. XC.) salva relinquatur *Nov. CXV, 3. CXXXIV. cap. ult. Auth. præterea C. unde vir. & ux.*

## T I T. XXI.

*De bonis eorum, qui ante sententiam mortem sibi consciverunt, vel accusatorem corruperunt.*

## §. CCLIII.

Publica-  
tio bono-  
rum ob  
autem  
plur &  
corru-  
ptior em  
accusato-  
ris.

**Q**UAMVIS vero bona tantum eorum, qui capitis fuerant damnati, publicari iussissent leges; (§. CCLI.) id tamen etiam porrectum est ad eos I. qui non tædio vitæ, \* vel impatientia doloris, vel insania aut furore, sed conscientia criminis capitalis mortem sibi consciverant. *L. 3. pr. §. 1. seqq. L. 1. C. h. t. L. 54. §. 2. ff. de iur. fisco. II. Qui ante sententiam accusatorem corruperant, & sic diem supremum objerant. L. 1. L. 2. ff. h. t.*

\* Stoica & hæc sunt. Huic enim sectæ sollemne erat tædio vitæ sibi mortem consciscere. *Sen. Epist. LVIII. & LXXVII. Lactant. de falsa sap. III, 18. q. quem Stoicorum impetum & jactationem, uti vocat, perstringere videtur Ulpianus L. 6. §. 7. ff. de injust. rupt. irrit. Add. Emund. Merrill. Obs. 1, 23.*

TIT. XXII.

De interd. & relegatis & deportatis.

§. CCLIV.

**I**Nter pœnas non capitales erat etiam RE-  
 LEGATIO, & INTERDICTIO. RE-  
 LEGATI sunt, qui salva civitate in insulam  
 aliumve locum vel ad tempus vel in perpe-  
 tuum mittuntur. L. 4. L. 7. §. 3. ff. h. t. IN-  
 TERDICTI, quibus sine relegatione vel  
 deportatione certo aliquo loco vel ordine  
 interdicebatur. \* L. 7. §. 16. 19. 20. ff. h. t.  
 Nemo tamen ultra territorium relegare pot-  
 est. L. 7. §. 6. ff. h. t.

Qui rele-  
gati & in-  
terdicti ?

\* Quo etiam pertinet interdicto publici lo-  
ci, ne reus domo sua procedat. L. 9. ff.  
h. tit. Quod hodie vocant *confinationem*.

§. CCLV.

Quum itaque hæc pœna non esset capita-  
 lis (§. CCLIV.) adeoque nec vitam nec li-  
 bertatem civitatemque tolleret: (§. CCXLVI.)  
 consequens est, 1) ut nec bona relegato-  
 rum ac interdictorum publicarentur, L. 1.  
 ff. h. t. nec 2) testamenti factionem amitte-  
 rent. L. 4. L. 7. §. 3. ff. h. t. secus ac in de-  
 portatione, vel exilio, quo civitas, & bo-  
 na amittebantur. L. 6. pr. ff. h. t. L. 2. ff. de  
 publ. jud. L. 17. §. 1. ff. de pœn. L. 3. ff. de  
 sent. pass. & rest.

Eorum  
conditio  
& diffe-  
rentia  
a depor-  
tatis.

## T I T. XXIII.

*De sententiam passis & restitutis.*

## §. CCLVI.

Restitutio sententiam passorum quid & quotuplex?

**C**OMMUNIS omnibus delictis erat etiam RESTITUTIO eorum, qui passi fuerant sententiam, in pristinum statum, a Principe impetrata. *L. 2. L. 4. §. 1. ff. h. t.* Quemadmodum autem Princeps sententiam passum vel ob innocentiam sibi probatam, vel ex mera indulgentia restituit, ita illa restitutio JUSTITIÆ, hæc GRATIÆ adpellatur. *L. 1. §. ult. ff. de quæst. L. 2. ff. L. 1. C. h. t.* Hæc, si poena tantum remittitur, GENERALIS; *L. 2. ff. L. 2. L. 4. seq. C. h. t.* sin simul bona, honores, aliaque jura restituuntur, SPECIALIS adpellari solet. *L. 1. L. ult. §. ult. C. h. t. §. ult. Inst. quib. mod. jus patr. pot. solv.*

## T I T. XXIV.

*De cadaveribus punitorum.*

## §. CCLVII.

Cadavera damnatorum an sepulcræ?

**C**ADAVERA punitorum non sepeliebantur, nisi id fuisset impetratum. Impetrari autem poterat, modo peteretur. *L. 1. L. 3. ff. h. t. sive a Principe, sive a Præfide. L. 2. L. 1. ff. h. t. L. 11. C. de religiof. Math. XXVII, 58. & ibi Vysssemb. in Not. nomicophilol ad Pass. Christ. p. 567.*

## §. CCLVIII.

Quid hodie?

Excepta tamen erant cadavera eorum, qui ma-

majestatis vel latrocinii fuerant damnati. *L. 1. ff. b. t. L. 28. §. ult. ff. de poen.* Hodie etiam fere omnes ad corporis diffectionem; rotam & patibulum damnati sepultura carent. Corporum crematorum cineres in flumen projici vidi. Reliquorum damnatorum cadavera clam sepeliuntur in loco separato: aliquando etiam a Principe conceduntur Medicis Academicis ad anatomen publice instituendam.

**L I B E R X L I X.**

**T I T. I.**

*De adpellationibus & relationibus.*

**§. CCLIX.**

**E**Xpositis tot actionibus, ad ea, quæ in secunda instantia fieri solent, progredimur. Ne enim vel iniquitate vel imperitia judicantium damnum aliquod patiamur: inventæ erant **ADPELLATIONES & RELATIONES.**

Conne-  
xio.

**§. CCLX.**

**ADPELLATIO** est legitima ad judicem superiorem ab inferiore provocatio, illati gravaminis causa justo tempore facta. *L. 1. pr. L. 30. L. 32. C. h. t.* **RELATIO** est quando judex, re ad Principem delata, ex ejus consilio judicat. *L. 1. §. 1. ff. b. t. L. 2. C. de relat.* Quæ tamen hodie ob abusum sublata est. *Nov. CXXV. cap. 1.*

Quid ad-  
pellatio  
& rela-  
tio?

**§. CCLXI.**

Causa itaque & fundamentum adpellationis est **GRAVAMEN**, quod quum vel *in iusticio* nobis inferatur, vel *extra iudicium*: adpell.

Quatu-  
plex?

quoque in JUDICIALEM & EXTRAJUDICIALEM dividi solet. L. 1. pr. L. 21. §. 2. ff. h. t. L. 1. §. 1. seqn. ff. quando adpell.

### §. CCLXII.

De ejus  
natura a-  
xiomata.

Ceterum ex hac adpellationis indole fluunt axiomata: I. Quibus gravamen illatum, ii possunt adpellare. II. Adpellandum est a judice inferiore ad superiorem. Ea adpellatio & rite interponenda, & apud superiorem judicem introducenda, & ordine prosequenda est.

### §. CCLXIII.

Quis ad-  
pellare  
possit.

Ex primo axiomate inferimus, 1) adpellare posse omnes, quibus sententia damnum illarum. L. 1. pr. L. 30. C. h. t. 2) Unius adpellationem omnibus reliquis litis consortibus, eadem sententia damnatis, & eodem damno adfectis prodesse. L. 1. 2. C. si un. ex plur. adpell. L. 10. pr. §. ult. L. 17. ff. h. t. 3) Immo & eos, quorum interest, adpellare posse, quamvis directe condemnati non sint. L. 4. §. 2. seq. L. 5. pr. §. 1. ff. h. t.

### §. CCLXIV.

In quibus  
causis ad-  
pellat. o-  
ni locus  
sit?

Ex eodem axiomate (§. CCLXII, 1.) colligimus, 1) provocationi huic locum esse in causis omnibus, civilibus & criminalibus; L. 6. ff. L. 4. L. 29. seq. C. h. t. quin 2) criminalium tantum esse favorem, ut modo reo istud refugium pateat, verum & alius ejus tum mandantis tum inviti nomine provocare possit: L. 6. ff. h. t. 3) Non tamen adpellandum esse ab interlocutione, nisi definitivæ vim habeat, damnumve inferat irreparabile, L. 36. C. h. t. multoque minus 4) ab exsequutione; L. 4. pr.

L. 21. C. h. t. nisi forte exsequutor modum judicati excedat, aut perperlo ordine procedat. L. 5. C. quor. adpell. non. recip.

§. CCLXV.

Quumque adpellatio sit rite interponenda (§. CCLXII, 3.) consequens est, 1) ut id fieri oporteat justo tempore, antequam sententia transeat in rem judicatam. Nov. XXIII. Cap. 1. 2) Ut nihil intersit, siue viva voce appelletur, L. 2. L. 5. §. 5. ff. L. 14. C. h. t. siue per scripturam, vel libellum adpellatorium. L. 6. §. ult. C. h. t. 3) Ut simul petendi sint apostoli, vel libelli dimissorii, intra 30. dies a lata sententia. L. 24. C. h. t. 4) Ut ea omnia fieri oporteat sine conviciis, & adpellans, si secus fecerit merito extraordinem puniatur. L. 8. ff. h. t.

Quomodo interponenda?

§. CCLXVI.

Multa hic hodie secus se habent. Sane RELATIONIBUS, jure novissimo prohibitis, nihil est in foris Germanicis frequentius. Ubi ipsa respublica crimina per modum inquisitionis persequitur: reis raro conceditur jus adpellandi, sed tantum nova defensio. Contra non desunt leges provinciales, quæ & ab interloquutionibus adpellationem indulgent. Denique præter adpellationem passim recepta sunt remedia, quæ tantum a viribus rei judicatæ suspendunt, sententiam, non autem causam ad superiorem devolvunt, qualia sunt in Saxonia LEUTERATIO & OBERLEUTERATIO; in terris Brunsvicensibus SUPPLICATIO; in Pomerania RESTITUTIO IN INTEGRUM; in aliis foris REVISIO.

Ufus hodie: nus.

## T I T. II.

*A quibus appellari non licet.*

## §. CCLXVII.

A quibus  
adpellari  
non li-  
cet iure  
Roma-  
no?

**Q**UUM adpellatio fiat a iudice inferiore ad superiorem; (§. CCLXII, 2.) consequens est, ut ab omni magistratu provocari possit, quippe qui saltim Principem vel populum habet superiorem. Attamen iure nostro privilegium de non adpellando concessum erat 1) Senatui Romano, *L. 1. §. 2. ff. h. t. & 2) Præfecto Prætorio, L. un. §. 1. ff. de off. Præf. Præf.* contra cuius sententiam tantum SUPPLICATIO, vel ipsi Præfecto intra decennium, vel Imperatori intra biennium erat offerenda. *L. un. C. de sent. Præf. Præf. Nov. CXIX. cap. 5.*

## §. CCLXVIII.

Moribus  
hodiernis.  
BIS.

Moribus quoque hodiernis quibusdam iudiciis simile privilegium indulgetur. Maxime in Germania hoc insigni iure gaudent Electores, & familiarum quædam Principes. Aliis id privilegium datum usque ad certam summam adpellabilem, salva tamen semper querela denegatæ justitiæ. *Gail. Obs. 1, 28.*

## T I T. III.

*Quis a quo adpellatur.*

## §. CCLXIX.

A quo ad  
quem  
provo-  
candum  
iur?

**E**X eodem axiomate; (§. CCLXII, 2.) porro colligunt prudentes, adpellandum esse non per saltum, sed gradatim ad  
judi-

*Quando adpell. fit, & intr. Pars VII. 417*  
judicem proxime superiorem. L. 1. §. 3. L. 2 l.  
pr. §. 1. ff. de adpell. Nisi judex ita ab Imp. da-  
tus sit, ne ab eo adpellare liceat. L. 1. §. 4.  
ff. a quib. adpell. non lic.

#### T I T. IV.

*Quando adpellandum sit, & intra qua tempora.*

##### §. CCLXX.

**D**iximus supra, adpellationem rite interponendam, & apud judicem superiorem introducendam prosequendamque esse. Fatalia adpellationis.  
(§. CCLXXII, 3.) Unde tempora adpellatoria vel fatalia. L. 1. §. ult. ff. h. t. L. 2. L. ult. §. 1. C. de temp. adpell.

##### §. CCLXXI.

Et interponenda quidem adpellationis tempus esse decendum, jam supra (§. CCLXV, 1) monuimus. Nov. XXIII. cap. 1. Id vero fatale currit a momento publicationis, vel a tempore, quo absens scire potuit & debuit, quid fuerit pronunciatum. d. Nov. XXIII. cap. 1. L. 1. §. ult. ff. h. t. Interponenda.

##### §. CCLXXII.

*Introducenda* adpellationis terminus in eadem provincia trium mensium; si ad auditorium Principis provocatum, sex mensium, vel anni est. L. 2. L. ult. pr. §. 2. C. de temp. adpell. Hodie fere judex, a quo adpellatum, certum tempus præfigit. Cap. 4. de adpell. Introducenda.

##### §. CCLXXIII.

Denique fatale prosequenda adpellationis est annus, vel ex justa causa biennium. L. ul. §. 4. C. de temp. adpell. Quod hodie raro observatur. Prosequenda.

## T I T. V.

*De adpellationibus recipiendis, vel non.*

## §. CCLXXIV.

Adpella  
tio ordi-  
narie re-  
cipienda.**A**dpellatio a iudice inferiore ordinarie recipienda est, sub poena damni litis & decem librarum auri. *Nov. CXXVI. cap. 3.*

## §. CCLXXV.

Quando  
non reci-  
piatur?Exceptæ tamen sunt adpellationes 1) reo-  
rum graviorum criminum, vel convictorum,  
vel sine tormentis confessorum: *L. 2. C. quor. adpell. non recip. l. 15. ff. de adpell. 2)* eorum, qui adpellationi renunciarunt. *L. 1. §. 3. ff. a quib. adp. non lic. 3)* In causis alimenterum, aliisque, quæ moram non ferunt, *l. ult. pr. ff. h. t. itemque 4)* debitorum fiscalium & tributorum. *L. 4. C. quor. adpell. non recip. 5)* In causis possessionum. *L. un. C. si de mom. poss. furt. adpell. 6)* Eorum, qui vel ob contumaciam, *L. 23. §. ult. ff. de adp. vel 7)* tribus sententiis conformibus condemnati sunt. *L. un. C. ne lic. in un. ead. caus. tert. adp.*

## T I T. VI.

*De libellis dimissoriis, qui Apostoli dicuntur.*

## §. CCLXXVI.

Quid  
apostoli?**A**B adpellante simul petendos esse aposto-  
los, seu libellos dimissorios, jam su-  
pra monuimus. (§. CCLXV, 3.) Sunt vero  
**APOSTOLI** litteræ, quibus index inferior  
adpel-

adpellationem apud se interpositam testatur, caussamque ad superiorem judicem remittit.

*L. un. pr. §. 1. ff. h. t.*

§. CCLXXVII.

Petuntur instanter & sæpius intra XXX. dies, *L. un. §. 2. ff. h. t. L. 24. C. de adpell.* Impetrati una cum libello adpellationis exhibentur judici superiori, isque tunc, recepta adpellatione, decernit processus adpeltorios, id est, *citationem* ad partem adversam, *litteras inhibitoriales* ad judicem inferiorem, ut a judicando exsequendoque desistat, & *compulsoriales* ad eundem, ad acta prioris instantiæ edenda.

Quomodo petenti & exhibendi?

T I T. VII.

*Nihil innovari adpellatione interposita.*

§. CCLXXVIII.

**N**imirum inhibitione ideo opus est, quia **ADPELLATIO** non solum *devolutivo*, sed & *suspensivo* effectugaudet, *L. 32. §. 3. C. de adpell.* adeoque, ea pendente, a iudice inferiore nihil innovandum est. *L. un. pr. ff. h. t.* Innovatio omnis **ATTENTATUM** vocatur, *cap. 56. X. de adpell.* & iudex attentans spolii reus est, unde ad *restitutionem* mandato sine clausula compellitur. *Mev. Decis. III. cap. 66.*

Pendente adpellatione nihil innovandum.

## T I T. VIII.

*Qua sententia sine adpellatione rescindantur.*

## §. CCLXXIX.

Sententia  
nulla nõ  
rescindi-  
tur

**A**dpellatione interposita sententia prio-  
ris instantiæ vel confirmatur, vel re-  
scinditur. Aliquando autem ne opus qui-  
dem est adpellatione, & rescissione sen-  
tentia, si illa ipso jure nulla est. *L. 19.*  
*L. 23. §. 1. ff. de adpell.*

## §. CCLXXX.

Quæ sen-  
tentia sit  
nulla?

Nulla autem habetur sententia, 1) le-  
gibus & juri aperte contraria, *L. 1. §. 2.*  
*ff. h. t.* 2) lata contra rem judicatam. *L.*  
*3. pr. ff. h. t.* 3) vel contra absentem non  
citarum, *L. 1. §. 3. ff. h. t.* vel 4) contra  
mortuum, *L. 2. pr. §. 1. ff. h. t.* vel 5) ab  
incompetente iudice, *L. 5. L. 6. C. quando*  
*prov. non est nec* 6) continens vel errorem  
in calculo, *L. 1. §. 1. ff. h. t.* vel 7) aliquid  
quod fieri nequeat. *L. ult. pr. §. 1. ff. h. t.*

## §. CCLXXXI.

Querela  
nullita-  
tis.

His omnibus casibus locus est querelæ &  
exceptioni *nullitatis*, quas perpetuas esse,  
facile patet, quamvis *Rec. Imper. anni CIO.*  
*100CLIV. §. 122. sequ.* cautum sit, ut, si sana-  
bilis sit nullitas, querelæ intra decennium;  
si insanabilis, intra triginta annos locus sit.

## T I T. IX.

*An per aliam causam adpellationum reddi possent.*

## §. CCLXXXII.

Quando  
in instan-  
tia ad-

**I**N quacumque causâ procuratoribus locus  
est in prima instantia: in eadem illi & in se-  
cunda

cunda admittuntur. *L. 1. fin. ff. h. t.* Ex quo facile patet, procuratoribus in caussis quidem civilibus, non autem in criminalibus, locum esse. (P. CDXXXII.) *L. 1. pr. ff. h. t.*

pellatio- nis ad- mittatur procura- tor.

**T I T. X.**

*Si tutor, vel curator, vel magistratus creatus adpellaverit.*

**§. CCLXXXIII.**

**E**X quo porro inferimus, etiam tutorem, curatoremve loco pupilli vel minoris, & magistratum nomine municipii, vel municipem ratione munerum publicorum, adpellare posse. Quod tamen, si hi frivole faciant, omne periculum ad eos, immo & eorum heredes pertinebit. *L. 1. L. 2. ff. h. t.*

Adpella- tio a tu- tore, cu- ratore, magistra- tu facta.

**T I T. XI.**

*Eum, qui adpellaverit, in provincia defendi.*

**§. CCLXXXIV.**

**Q**uæstio hic incidit, an qui adpellationis causa alicubi peregrinatur, domi conventus, ibidem defendendus sit? Idque affirmatur, *L. 1. ff. h. t.* quia id privilegium tantum reip. causa absentibus concessum est, ut se domi defendere non cogantur. *L. 2. ff. eod.*

An ad- pella- tio- nis causa absens domi possit con- veniri.

## T I T. XII.

*Apud eum a quo appellatur, aliam causam agere compellendum.*

## §. CCLXXXV.

An pendente adpellatione quis coram iudice a quo conveniri possit?

**Q**Uum iudicis inferioris officium, pendente adpellatione, interquiescat: quaritur, an in aliis quoque causis adpellans ejus jurisdictioni se subtrahere possit? Sed id merito negatur, quia in una tantum causa provocatum est, & si denuo gravis sit iudex, adhuc remedium adpellationis in promptu est. *L. un. ff. h. t.*

## T I T. XIII.

*Si pendente adpellatione mors intervenerit.*

## §. CCLXXXVI.

An mortuo adpellante adpellatio evanescat?

**D**Enique quaestio superest, an mortuo adpellatore adpellatio evanescat; Adfirmatur, si sine herede decesserit. Si ei heres exstiterit, distinguitur, utrum alicujus intersit, adpellationem peragi, an non. Priore enim casu cogitur heres causas adpellationis reddere, eoque casu ipsi ultra tempus residuum quatuor menses ad prosequendam adpellationem conceduntur: *L. ult. C. h. t.* posteriore casu adpellationem peragere non cogitur. *L. un. pr. ff. h. t.*

## T I T. XIV.

## De jure fisci.

## §. CCLXXXVII.

Ultimam Digestorum partem juri publico destravit Justinianus. Et hinc <sup>Contra</sup> <sup>alio?</sup> primum de juribus FISCI, deinde de jure MILITARI, ac postremo de juribus MUNICIPALIBUS agitur.

## §. CCLXXXVIII.

FISCUS jure novissimo nihil aliud est, quam pecunia Reip. seu Principis. \* Quamvis vero in se odiosum ac incivile videatur, fiscum privatorum opibus & facultatibus locupletari, & hinc in dubio magis contra fiscum respondendum sit: L. 10. ff. h. t. quae tamen & reip. interest, fiscum esse quam locupletissimum: multa ei privilegia, ad ADQUISITIONEM CONSERVATIONEMQUE rerumque pertinentia, concessa sunt.

Quid fiscus? estque privilegia.

\* Olim enim aliud erat AERARIUM, cujus dominium penes populum; sola administratio penes principem erat: alius FISCUS, cujus proprietas itidem populi; ususfructus erat Principis: aliud denique PATRIMONIUM PRINCIPIS, quod ad solam Principem, tanquam privatum, pertinebat. Unde Dio Cass. Hist. Lib. LIII. pag. 511. distinguit τὸ βασιλικὸν καὶ τὸ κοινόν. Sed omnia confundit posteriorum Principum dominatus, adeo ut temporibus Antonini & Caracallae promiscue accipiantur.

cipiantur fiscus & ærarium. *L. 13. pr. L. 15. §. pen. ff. h. r. L. 1. §. 9. ff. ad L. Corn. de fals. L. ult. C. de quadr. præjor.* Hinc vetus Glossa: ταμίον *fiscus, ærarium.*

## §. CCLXXXIX.

Ad ad-  
quæstum  
pertinen-  
tia.

Ad ADQUÆSTUM rerum pertinent pri-  
vilegia, quod in fiscum influant I. bona va-  
cantia, intra quadriennium nunciata; (P. VI.  
§. XC.) *L. 1. §. 2. ff. h. r.* II. Pleraque, quæ  
ut indignis eripiuntur; (P. V. §. CXCVII.)  
*L. 1. pr. ff. h. r.* III. Bona damnatorum, de-  
ficientibus descenditibus & adscendentibus  
ad tertium usque gradum; (§. CCLII, 4.)  
*L. 1. pr. ff. h. r. Nov. CXXXIV. cap. ult.* IV.  
Fideicommissum tacitum clam relictum. *L. 1.  
L. 3. pr. L. 13. §. 1. seq. L. 40. ff. h. r. Add. Comm.  
ad L. Jul. & Pap. II, 14. p. 272. seq. III, 9. p.  
439. sequ.*

## §. CCXC.

Ad re-  
rum con-  
servatio-  
nem cõ-  
parata.

Ad CONSERVATIONEM rerum com-  
parata sunt jura singularia, I. quod in bo-  
nis debitoris, præterquam, si ex delicto  
multa debeatur, gaudeat jure pignoris  
(P. IV. §. XXI, 3.) *L. 46. §. 3. L. 17. L. 37. ff.  
h. r.* II. Quod in bonis, post contractum  
cum fisco initum quæsitis, habeat jus præla-  
tionis. *L. 28. ff. h. r. L. 8. ff. qui pot. in pign.*  
III. Quod ei non semper opponi potest ex-  
ceptio compensationis. *L. 46. §. 4. 5. ff. h. r.  
L. 1. L. 3. C. de compens.* IV. Quod in frau-  
dem fisci alienata, vel non acquisita, cum  
altero tantum revocantur. *L. 45. pr. L. 46. §. 1.  
ff. h. r.* V. Quod ipsi ex omni contractu usuræ de-  
ben-

bentur . L. 17. §. 5. 6. ff. de usur. tit. C. de fisco  
usur. VI. Quod nunquam satisfacet, L. 1. §. 18.  
ff. ut leg. nom. nec VII. duplum vel triplum  
evictionis nomine præstet, quantumvis tan-  
tum promiserit Procurator Cæsaris . L. 5.  
pr. ff. h. t.

§. CCXCI.

Ejusdem generis sunt privilegia : VIII. Quod in causa civili fisco semper edenda sunt instrumenta. ( P. I. §. CCCXL, 2. 8 ) L. 1. §. 1. 2. ff. h. t. IX. Quod debitorum suorum debitores convenire possit . L. 3. §. 8. ff. h. t. L. 4. C. quand. fisc. vel priv. deb. X. Quod emtores rei fiscalis locationi stare teneantur . L. ult. ff. h. t. XI. Quod conductores vectigalium contractum inviti continuare cogantur . L. 11. §. ult. ff. de public. L. 3. §. 6. ff. h. t. XII. Quod, hereditate a fisco vendita, non nisi emtor possit conveniri a creditoribus . L. 4. ff. h. t.

Alia ejusdem generis.

§. CCXCII.

Quum itaque jura singularia sint strictioris interpretationis: facile patet, in reliquis fisco cum uti jure communi. L. 10. ff. h. t. L. 25. ff. de pign. L. 12. C. de compens.

In reliquis fisco jure communi utitur.

T I T. XV.

De captivis & de postliminio & redemptis ab hostibus.

§. CCXCIII.

Proximum est jus MILITARE, quo primo refertur tractatus de CAPTIVIS & POSTLIMINIO. Sunt autem CAPTIVI, qui

Quis captivus?

qui vel ab hoste \* bello capti, vel, dum bellum subito exardescit, apud hostes deprehenduntur. *L. 5. §. 1. L. 12. pr. ff. h. t.* Quos moribus gentium fore omnium olim in servitutem redactos esse, alibi monuimus. (P. I. §. CXXXVI.) §. 4. *inst. de cur. pers.*

\* Hostes sunt, quibus bellum publice a populo libero decretum est. *L. 34. ff. h. t. L. 118. ff. de verb. signif.* Unde nec a latronibus, nec bello civili captos in servitutem redigi, facile patet. *L. 19. §. 2. L. 21. §. 1. L. 24. ff. h. t.*

## §. CCXCIV.

Eorum  
conditio  
& bene-  
ficia.

Quum itaque captivi in servitutem redigerentur (§. CCXCIII.) consequens erat, ut omnia jura amitterent, ac veluti mortui intelligerentur. *L. 12. §. 1. seqq. ff. L. 209. ff. de reg. jur.* Quod quum satis triste videretur, inventum est duplex remedium, alterum LEGIS CORNELIÆ, alterum JURIS POSTLIMINII, quorum I. illud fingit, eum in civitate decessisse, qui captivus apud hostes decessit; *L. 18. ff. h. t. L. 12. ff. qui test. fac. poss.* hoc contra, II. eum, qui captus fuerat, postquam ad limites nostros revertit, nunquam in captivitate, sed semper in civitate, fuisse. *L. 16. ff. h. t.*

## §. CCXCV.

Fictio L.  
Cornelie  
qualis?

Ex primo itaque axiomate sequitur, 1) ut testamentum, quod in civitate fecerat captivus, valeat, si postea apud hostes decedat. *L. 12. ff. qui test. fac. poss. §. ult. Inst. quibus non est perm. fac. test.* 2) Ut eadem fictio L.

Cor-

Cornelie in omnibus reliquis juris partibus obtineat. L. 18. ff. h. r.

§. CCXCVI.

Ex altero axioma ( §. CCXCV, 2. ) infirmus, 3 ) perinde, sive captivus dimissus sit, sive vi ac fallacia hostium potestatem evaserit, sive 4 ) victis hostibus recuperatis libertatem receperit, L. 26. ff. h. r. sive 5 ) lytro perfoluto redemptus sit, modo pretium pro se solutum restituerit. L. 12. §. 7. sequ. L. 15. L. 20. §. 2. ff. h. r. 6 ) Requiritur tamen verum reditum ad præsidia nostra, vel amicorum, L. 5. §. 1. L. 19. §. 3. ff. h. r. & quidem 7 ) eo animo factum, ut ad hostes non revertatur. L. 5. §. ult. L. 12. §. 9. L. 26. ff. h. r.

Fictio postliminii quibus proficit?

§. CCXCVII.

Ex eodem collegerunt, 8 ) reverso omnia jura, quæ amiserat restitui, L. 5. §. 1. L. 22. §. 1. ff. h. r. non autem 9 ) ea, quæ facti sunt, quæque ulla constitutione infecta fieri nequeunt. L. 12. §. 2. ff. h. r. 10 ) Jus postliminii etiam ad res tam mobiles, quam immobiles, ab hostibus captas, & in potestatem nostram reversas, pertinere : L. 2. pr. L. 19. pr. L. 20. §. 1. ff. h. r. non tamen 11 ) ad arma & vestes, quæ non nisi cum ignominia amittuntur. L. 2. §. 1. L. 3. ff. h. r.

hujus eff. ca.

T I T. XVI.

De re militari.

§. CCXCVIII.

JAM generatim quædam de RE MILITARI commentantur Digestores. MILITES Roma-

Militis definitio.

Romanis erant personæ, ad militiam idoneæ & honestæ, publica auctoritate lectæ, præfinitoque sacramento militari in numeros relatæ. *L. 1. L. 11. pr. L. 42. ff. de testam. mil.*

## §. CCXCIX.

Qui milites conscribant militare possunt.

Ex qua definitione patet, 1) solum Imperantem milites cogere, adeoque 2) privatim, milites conscribentem, perduellionis reum esse. *L. 3. ff. ad L. Jul. mai.* 3) Militare non posse cæcos, mutos, surdos, fimiles; *L. 13. §. 3. ff. h. t. nec* 4) servos, *L. 11. ff. h. t. nec* 5) infames aut publico judicio damnatos. *L. 4. §. 1. 4. ff. h. t.*

## §. CCC.

Jura militum singularia.

Jura eorum singularia quam plurima esse, jam supra vidimus. Sane 1) a tutelis immunes sunt. (*P. IV. §. CCCLX, 19.*) §. 14. *Inst. de excus.* 2) Soluti sunt omnibus legibus testamentariis. (*P. V. §. LXXVII.*) *vic. ff. de test. mil.* 3) Non subjiciuntur diris quæstionibus. (*§. CCXXXIX, 8.*) *L. 8 pr. C. de quæst.* 4) Licet ipsis jus ignorare. (*P. IV. §. CLXVII, 4.*) *L. 9. §. 1. ff. de jur. & facti. ign.* 5) Gaudent beneficio competentix, (*P. VI. §. CCXLIV. \*\**) *L. 18. ff. de re jud. &* 6) præcipue subsunt singulari jurisdictioni & disciplinæ.

## §. CCCI.

In eos jurisdictionis.

Nimirum delicta vel COMMUNIA sunt militibus cum paganis, vel PROPRIA seu MILITARIA, qualia sunt, segnities, desertio, fuga &c. Illa extra castra commissa a judice ordinario; *L. 2. L. 3. pr. ff. h. t. L. ult. ff. de accus.* hæc a magistro militum vindican-

*tur. L. 2. L. 9. ff. de custod. & exhibit. recor. L. pen. C. de jurisd.*

§. CCCII.

Sed multa hic hodie secus se habent: neque jura militum nostrorum tam ex Pandectis, quam ex singulorum Principum ac Rerump. legibus militaribus, ac moribus intergentes Europeas receptis, addiscenda sunt.

Ufus hodiernus.

T I T. XVII.

*De castrensi peculio.*

§. CCCIII.

Inter privilegia militum, (§. CCC.) est etiam 7) castrense peculium, quod pleno jure tanquam paterfam. sibi acquirit filius familias, qui militiæ nomen dedit. L. 4. pr. §. 1. ff. h. t. L. 2. ff. ad SC. Maced. Sed de eo quum supra, (P. III. §. CLXXXI.) quantum satis, actum sit: hic quidem actum non agemus.

Peculium castrense.

T I T. XVIII.

*De veteranis.*

§. CCCIV.

Denique inter privilegia militum, (§. CCC.) etiam sunt 8) ea, quæ veteranis concessa sunt. VETERANI sunt, qui sine ignominia missionem impetrarunt, sacramentoque soluti sunt.

Qui veterani?

§. CCCV.

Nimirum MISSIO aut dabatur exactis XX. annorum stipendiis, L. ult. C. de his, qui non

Missio quomplex?

430 *Pand. Lib. XLIX. Tit. XVIII.*  
*non implet. stipend. aut ob vitium animi vel*  
*corporis, aut ob delictum turpe ac famo-*  
*sum. Prima HONESTA; altera CAUSSA-*  
*RIA; tertia IGNOMINIOSA adpellatur.*  
*L. 13. §. 3. ff. de re mil. L. 2. §. 2. ff. de his,*  
*qui noc. inf.*

§. CCCVI.

Vetera-  
 norum  
 privile-  
 gia.

Itaque *honeste* vel ob *justam causam* mis-  
 si, VETERANI erant, iique variis privile-  
 giis erant ornati, veluti 1) quod immunes  
 essent a muneribus personalibus; *L. 2. L.*  
*ult. pr. §. 1. ff. h. t. L. 7. ff. de vocat. & excus.*  
*mun. 2) Quod decurionibus honore æqui-*  
*pararentur. L. 3. ff. L. 1. L. 3. C. h. t. 3) Quod*  
*nec in metallum dari, nec ad opus publicum,*  
*vel bestias damnari, nec fustibus cædi pos-*  
*sent. L. 1. L. 3. ff. h. t.*

§. CCCVII.

Mores  
 hodierni.

Sed hodie ad tantas sordes ruit sæculum,  
 ut fere nullo alio beneficio gaudeant vete-  
 rani, quam privilegio mendicandi, ubicum-  
 que velint. Sunt tamen Principes, & Resp.  
 quibus æquum visum, milites, ob vulnera  
 accepta missos, in valetudinariis alere.  
 Quorum institutum ex merito laudat illu-  
 stris Academiz Halesis Cancellarius, Jo.  
 Petrus a Ludewig. in *Diss. de jure valetu-*  
*dinar.*

L I B E R L.

T I T. I.

Ad municipalem, & de incolis.

§. CCCVIII.

Ultimus liber, si a duobus postremis titulis disceseris, totus ad jura municipalia pertinet. Et quidem primus statim titulus inscribitur ad MUNICIPALEM, ubi subaudiendum videtur: legem. \* Rarard. Varior. III, 15.

Conne- xio.

\* Sane hujus legis municipalis mentio fit in L. 25. ff. h. t. L. 1. ff. de albo scrib. L. 11. §. 1. ff. de mun. & hon. L. 3. ff. de decret. ab ord. fact. Existisse ergo videtur lex quaedam municipalis generalis, cujus partes fuerint tituli sequentes. Saltem eodem fere ordine illos pertractatos animadvertimus apud Paullum Recept. Sent. Lib. 1.

§. CCCIX.

Erant autem MUNICIPIA civitates, a populo Romano in societatem munerum & honorum recepta, sed suo jure, ( nisi populi fundi facti essent, ) utentes. Gell. Noct. Att. XVI, 13. Add. Antiq. Rom. Apend. Lib. 1. §. 114. sequ. Horum ergo oppidorum cives vocabantur MUNICIPALIS. L. 1. §. 1. ff. h. t. L. 228. ff. de verb. signif.

Quid municipium & municipes?

§. CCCX.

MUNICIPES aut NASCUNTUR ex parte municipes, \* L. 1. pr. §. 2. ff. L. 3. C. h. t. aut FIUNT

Quomodo quis municeps fiat?

FIUNT vel per ADOPTIONEM, L. 1. pr. L. 15. §. ult. L. 17. §. 9. ff. h. t. vel per MANUMISSIONEM, L. 1. pr. L. 22. pr. ff. L. 2. C. h. t. vel per ADLECTIONEM in numerum civium. L. 1. §. 1. ff. h. t.

\* Erant tamen quædam civitates, in quibus materna origo censebatur. Hujusmodi privilegio gaudebant Pontici, Ilienses, Delphi, Antiochenses: L. 1. §. 2. L. 9. ff. h. t. cujus rei rationes acute, ut solet, investigat vir eximius Jac. Gothofred. ad L. 51. C. Theod. de decurion. Lib. XII. tit. 1. p. 392. Tomo IV.

### §. CCCXI.

Quinam incolæ?

A municipibus ergo differunt INCOLÆ, qui sunt, qui in municipio domicilium quidem constituerunt, nec tamen honorum ac suffragiorum sunt participes. L. 239. §. 2. ff. de verb. sign. L. 7. C. de incol. An autem quis aliquo loco incola sit, ex animi contestatione factoque habitationis simul judicandum est, L. 17. §. 23. L. 20. L. 27. §. 2. ff. h. t. neque incolatui, nisi perfecto munere, quicquam renunciare potest. L. 34. ff. h. t.

## T I T. II.

*De decurionibus & filiis eorum.*

### §. CCCXII.

Quid Decuriones?

Quemadmodum Romæ consilium publicum penes Senatam erat; (P. I. §. CXCVIII.) ita in municipiis erat ordo DECURIONUM, e quibus Duumviri.

De-

Decemprimi, Ædiles, aliique magistratus eligebantur. Quare DECURIONES sunt municipalis curiæ senatores. L. 33. C. h. r. L. 239. §. 5. ff. de verb. signif.

§. CCCXIII.

Quamvis autem in dignitate viverent decuriones; L. 6. L. 7. §. 2. 3. L. 12. §. ult. ff. L. 3. C. h. r. tam parum tamen lucrosus erat eorum honor, totque cum oneribus conjunctus, ut sæpe curiæ inanes essent, & municipes non modo privilegiis quam plurimis invitandi, (Inst. §. CLXX. \*) verum etiam aliquando cogendi essent, ut nomina curiæ darent. L. 38. C. h. r. Eorum conditio.

§. CCCXIV.

Ex quo facile reddideris rationem, 1) cur ad decurionatum, aliis deficientibus, etiam admissi spurii, & ex incestu nati, L. 3. §. 2. ff. L. 6. pr. h. r. itemque 2) filii reorum criminum, L. 2. §. 7. ff. h. r. nec non 3) litterarum imperiti, L. 6. C. h. r. modo 4) nec minorenes essent, L. 11. ff. h. r. nec 5) infames. L. 8. C. L. 6. §. 3. ff. h. r. Qui decuriones esse poterint?

§. CCCXV.

Nec magis jam obscurum est, cur tot privilegia decurionibus concessa sint, veluti Eorum privilegia. 1) quod curiæ oblatis, vel curiali nubentes, legitimarentur. (P. I. §. CLVII.) 2) Quod nec diris quaestionibus subjici. L. 33. L. 11. C. h. r. nec 3) ad metalla vel ignem damnari possent. L. 9. §. 11. L. 15. ff. de pæn. 4) Quod bonis lapsis decernenda essent alimenta. L. 8. ff. h. r. 5) Quod privilegia illa etiam ad liberos, Hein. Pand. T. II. T quam-

quamvis ante dignitatem hanc susceptos ,  
transmitterent. *L. 2. §. 2. ff. h. t.*

T I T. III.

*De albo scribendo .*

§. CCCXVI.

Quid al-  
bum ?

**A**LBUM hic est index, in quem nomina decurionum secundum legem municipalem certo ordine referuntur, *L. 1. pr. ff. h. t.* ut secundum istum ordinem etiam sententiam in curia dicerent. *L. 1. §. 1. ff. h. t.*

§. CCCXVII.

Quis in  
eo ordo  
observa-  
tus ?

Quamvis itaque albo inscriberentur Decuriones secundum legem municipalem : tamen non exstante aliqua lege speciali primi scribebantur, qui maximo in municipio honore functi essent, secundum annos, quibus quisque illo functus fuerat : deinde nullo honore functi, prout quisque eorum in ordinem venisset. *L. 1. L. 2. ff. h. t.*

T I T. IV.

*De muneribus & honoribus .*

§. CCCXVIII.

Quid ho-  
nor &  
munus ?

**M**unicipium erat MUNERA obire, & HONORES gerere. Et HONOR quidem est administratio Reipublicæ cum dignitate conjuncta, sive quis cum sumtu, sive sine erogatione eam gerat. *L. 14. pr. §. 1. ff. h. t.* Contra MUNUS est, quod ne-  
cessa-

*De muneribus & honoribus . Pars VII. 435*  
cessario obimus lege, more, imperiove ejus,  
qui jubendi habet potestatem. *L. 214. ff. de*  
*verb. signif.*

§. CCCXIX.

Quum vero munera vel animi provisione  
& corporis labore sine aliqua patrimonii de-  
minutione; *L. 18. §. 1. seq. ff. h. t.* vel sum-  
tibus patrimonii & damni administrantis;  
*L. 18. §. 18. seq.* vel corporis labore & sum-  
tibus simul administrantur: *L. 16. §. 26. 27 ff.*  
*h. t.* Ista PERSONALIA; illa PATRIMO-  
NIALIA, hæc MIXTA solent appellari.  
Exempla in hoc titulo quam plurima ex-  
stant, quæ vix quadrant sæculi nostri mo-  
ribus.

Quotup-  
plicia  
munera?

§. CCCXX.

Ceterum inter honorem & munera id  
quoque interest, 1) quod ad honores non  
admittuntur minores, nisi annus ultimus  
jam coeptus sit. *L. 8. ff. h. t.* 2) Quod hono-  
res gradatim conferuntur, *L. 11. pr. L. 14.*  
*§. 1. ff. h. t.* 3) Quod honore fungenti munus  
imponi non potest; munus sustinenti honor  
deferri potest. *L. 10. ff. h. t.* 4) Quod mune-  
ra, non ordinarie honores, & inviti suscipere  
tenentur. *L. 9. ff. h. t.*

Mune-  
rum &  
honorū  
differen-  
tia.

T I T. V.

*De vacatione & excusatione munerum.*

§. CCCXXI.

Quamvis autem munera obire etiam in-  
viti teneantur; (§. CCCXX, 4.) qui-  
dam tamen VACATIONEM habent, dum  
excusantur: quidam plane IMMUNES

Vacatio  
& excu-  
satio mu-  
nerum.

T 2 sunt.

sunt. VACATIONEM certæ causæ præstant a muneribus personalibus: non a PATRIMONIALIBUS, L. 2. §. 4. L. 10. L. 11. ff. h. t. L. 5. C. de muner. patr. nisi quod professio artium liberalium, L. 6. C. de Prof. & Medic. & numerus XVI. liberorum\* ab omnibus muneribus excusare dicuntur. L. 5. §. 2. ff. de jur. immun.

\* Sed verius est d. L. 5. §. 2. ff. de jur. immun. merum privilegium compecti, quod ad exemplum non trahendum videtur.

### §. CCCXXII.

Excusa-  
tionis  
causæ.

Ceterum eadem ferre hic occurrunt excusandi causæ, quas supra in titulo de excusationibus tutorum & curatorum vidimus, veluti I. Numerus liberorum, L. 2. §. 1. L. 8. ff. h. t. L. ult. C. de his qui num. lib. II. Senectus LXX. annorum, L. 2. §. 7. ff. h. t. III. Professio artium liberalium, L. 8. §. 4. L. 9. pr. ff. h. t. IV. Minorennitas, L. 2. pr. ff. h. t. V. Dignitas vel honor, L. 10. ff. de muner. VI. Militia, L. 5. §. 1. ff. h. t. VII. Privilegium veteranorum, L. 7. ff. h. t. & similes.

## T I T. VI.

De jure immunitatis.

### §. CCCXXIII.

Quid &  
quomodo  
p. ex im-  
munitas?

**Q**UIDAM IMMUNITATIS gaudent privilegio. ( §. CCCXXI. ) IMMUNITAS est privilegium a Principe concessum, ut ne quis munera obire cogatur. Quemadmodum ergo privilegium genera-  
tim

tim vel PERSONÆ vel REI datur; (P.I. §.CXV.) ita & immunitas vel personæ vel rei tribuitur. L. 1. §. 1. ff. h. t.

§. CCCXXIV.

Et quemadmodum privilegia rei data ad heredes transeunt, non autem personalia; (P.I. §.CXVIII, 4.) ita & immunitas rei data ad quoscunque possessores transmittitur. L. 3. §. 1. ff. de cens. personæ concessa non item, L. 1. §. 1. ff. h. t. nisi vel posteris simul, L. 1. §. 2. L. 4. ff. h. t. vel collegiis & corporibus tributa sit. L. pen. §. pen. ff. h. t.

Quando ad successores transeat.

T I T. VII.

De legationibus.

§. CCCXXV.

**I**Nter munera publica etiam est LEGATIO, quæ hic significat munus, quo quis ad negotia municipii explicanda ad Principem mittitur. L. 1. L. 8. §. 1. ff. L. 3. L. 5. C. h. t.

Legatio quid?

§. CCCXXVI.

De legatis huiusmodi observandum, 1) Decuriones eas legationes obire eo ordine, quo in senatum lecti sunt. L. 4. §. 5. h. t. 2) Ad illas non admitti debitorum reipublicæ, nec qui postulare non possunt. L. 4. pr. §. 1. ff. h. t. 3) Legatos non posse alios, quam filios suos, substituere. L. 4. §. 4. ff. h. t. 4) Et sumtus, seu *legativum*, & omnia damna, illis esse restituenda. L. 2. §. 3. L. 9. ff. h. t.

Jura legationum.

## §. CCCXXVIII.

Privilegia legatorum.

Præterea ut eo lubentius Reip. causa abessent, ipsis hæc privilegia data fuerant, 1) ut tempore legationis & biennio post a muneribus personalibus immunes essent. L. 7. L. 8. §. 1. ff. h. t. 2) Ut tempore legationis conveniri non possent, sed privilegio revocandi domum gauderent. L. 2. ff. h. t. L. 3. §. 2. ff. de judic. 3) Ut, si in legatione decesserint, heredes eorum sumtus, quos acceperant defuncti, restituere non cogantur. L. 10. §. 1. ff. h. t.

## T I T. VIII.

*De administratione rerum ad civitates pertinentium.*

## §. CCCXXVIII.

Curator civitatis.

**P**orro inter munera publica est officium **CURATORIS CIVITATIS**, qui res pecuniasve municipii administrat. L. 3. pr. L. 9. pr. §. 1. 2. ff. h. t. Ejus idem fere officium ac periculum est, ac tutoris.

## §. CCCXXIX.

Ejus officium & periculum.

Unde consequitur, 1) ut dolum & culpam latam & levem præstet. L. 6. ff. h. t. 2) Ut damnum dolo datum in duplum restituat. L. ult. §. 4. ff. h. t. 3) Ut plures teneantur in solidum, prior tamen conveniendus sit, qui gessit. L. 3. pr. L. ult. §. 8. ff. h. t. 4) Ut pecunias summa fide administrare, & operum exactionem sine cautione committere non debeat. L. 1. L. 2. §. 2. L. 4. L. 5. §. 1. L. ult. §. 3. ff. h. t.

## §. CCCXXX.

§. CCCXXX.

In eo quoque conditio ejus satis dura est, 5) quod non quidem extraneo finito officio tenetur, L. 3. §. 2. ff. h. t. 6) rationes tamen ab eo redditæ, quamvis expunctæ & subscriptæ ob errorem calculi semper, ob aliam causam vivente eo intra XX. annos, eoque mortuo intra X. annos retractari distrahique possint. L. 8. pr. §. 1. ff. h. t. L. 13. §. 1. ff. de divers. C. temp. præscr.

Quam  
diu pos-  
sint con-  
veniri.

T I T. IX.

De decretis ab ordine faciendis.

§. CCCXXXI.

Quemadmodum Senatus Romanus Scta: (P. I. §. XLIX.) ita ordo Decurionum DECRETA faciebat de rebus ad salutem & utilitatem civitatis pertinentibus. L. 1. L. 4. §. 2. ff. h. t. Eaque in municipio auctoritatem habebant, L. ult. ff. h. t. modo 1) ordo legitimæ coactus; L. 2. ff. h. t. 2) Partes Decurionum duæ saltim præsentibus, L. 3. ff. h. t. & 3) secundum plurium sententiæ decretum factum fuerit. L. 45. C. de cur. prætereaque 4) nec ambigua sint, L. 4. pr. §. 1. ff. h. t. nec 5) utilitati publicæ adversentur. L. 5. ff. h. t.

Decreta  
Decurio-  
num.

T I T. X.

De operibus publicis.

§. CCCXXXII.

Porro in municipiis operum publicorum cura demandata erat CURATORI

Operum  
publico-

nunstru-  
tura.

**OPERUM.** *L. 1. pr. L. 2. §. 1. ff. h. r.* Opera enim ad decus civitatum aut publicis sumtibus fiebant, aut privati cujusdam liberalitate. Illa  
1) fieri non poterant, nisi auctoritate Principis. *L. 3. §. 1. L. 6. ff. L. 5. C. h. r.* hæc & sine ejus auctoritate moliri quisque poterat, modo non ad æmulationem alterius civitatis, vel circa theatrum fierent, aut seditionis præberent materiam. *L. 3. pr. ff. h. r.* 2) In illis non alterius, quam Principis nomen; *L. 3. §. 2. ff. L. 10. C. h. r.* in his privati, sumtus suppeditantis, inscribi poterat. *L. 2. pr. d. L. 3. §. 2. ff. h. r.*

## T I T. XI.

### *De nundinis.*

#### §. CCCXXXIII.

Nundinae carū-  
que iura.

**I**N municipiis etiam sunt NUNDINÆ, quæ sunt celebritates publicæ, mercatus causa publica auctoritate constitutæ. *L. 1. L. 2. ff. L. un. C. h. r.* Quarum id privilegium est, quod negotiatores, aliive eo influentes in loco ac tempore nundinarum sub prætextu privati debiti conveniri nequeant. *d. L. un. C. h. r.* Ceterum uti hoc jus etiam longa consuetudine acquiritur: ita & non usu X. annorum, uti alia jura amittitur. *L. 1. ff. h. r.*

T I T. XII.

De pollicitationibus.

§. CCCXXXIV.

**S**ingulare id etiam habent municipia, quod sola POLLICITATIONE aliquis ei obligatur. Est autem POLLICITATIO promissio, Reip. facta, quæ & sine acceptatione producit obligationem. \* L. 3. pr. ff. h. t. Qui pollicitator

\* Quamvis enim alioquin promissio semper alterius consensum & acceptationem requirat: hic tamen ipsa lex promissum acceptat pro Republica.

§. CCCXXXV.

Producit autem pollicitatio obligationem, modo fiat 1) ab eo, qui se obligare potest. L. 6. §. 2. ff. h. t. 2) a præsentate, L. 3. L. 5. ff. h. t. 3) ex iusta causa, veluti ad honorem consequendum; L. 1. §. 1. L. 4. ff. h. t. nisi qui sine causa promissit, facere jam coeperit. L. 1. §. 2. 3. ff. h. t. 4) Reip. vel Deo, quo casu speciatim VOTUM dicitur, quod non rem, sed personam, & quidem puberem, & sui juris obstringit. L. 2. pr. §. 1. ff. h. t. Ejus requisita.

§. CCCXXXVI.

Quibus observaris, ex pollicitatione nascitur actio, quæ municipio competit, adversus pollicitatorem, ejusque heredem, L. 2. §. 2. L. 14. ff. h. t. ad promissum præstandum cum usuris ob moram. L. 1. pr. ff. h. t. Quod si tamen facultatibus lapsus sit pollicitator, oblata quinta parte patrimonii liberatur. L. 9. fin. ff. h. t. Actio inde nata.

## T I T. XIII.

*De extraordinariis cognitionibus, & si  
iudex litem suam fecisse diceretur.*

## §. CCCXXXVII.

Extraor-  
dinarie  
cogniti-  
ones &  
persequu-  
tiones.

**Q**UAMVIS Duumviri in municipiis juris-  
dictione aliqua gauderent: Præses ta-  
men sibi seposuerat causas quasdam majoris  
momenti, de quibus ipse cognoscebat: un-  
de **COGNITIONES EXTRAORDINARIÆ**  
dicuntur, quemadmodum actiones, quæ co-  
ram iis eo nomine instituuntur, **EXTRAOR-  
DINARIÆ PERSEQUUTIONES** audiunt.  
L. 10. L. 34. L. 178. §. 2. ff. de verb. signif.

## § CCCXXXVIII.

Quando  
iis locus  
est?

Tales sunt 1) quæstiones de muneribus &  
honoribus, L. 1. pr. ff. h. t. 2) de existima-  
tione hominum, & 3) capitalibus crimini-  
bus, d. L. 5. pr. 4) de mercedibus & salariis  
præceptorum, Professorum, aliorumque,  
quibus actio locati non competit; L. 1. pr. §. 1.  
seqq. ff. h. t. 5) de honorariis advocatorum,  
L. 1. §. 11. 12. ff. h. t. itemque 6) comitum  
legatorum, 7) adfessorum, L. 1. ff. h. t. &  
8) proxenetarum. L. 1. ff. de proxenet.

## T I T. XIV.

*De proxeneticis.*

## §. CCCXXXIX.

**Q**UUM ergo & de proxeneticis ex-  
tra ordinem cognoscat Præses; §.  
**CCCXXXVIII.**

CCCXXXVIII. § ) hic agitur de PROXENETICIS. Quemadmodum vero PROXENETA est persona, quæ contractibus quilibuscumque conciliandis operam suam commodat: L. 3. *fin. h. t.* ita PROXENETICUM, seu *φιλανθρωπίον* vel *ἐρμηνευτικόν*, est honorarium pro hac opera præstari solitum. L. 1. L. 2. L. 3. *ff. h. t.* Idque extraordinaria persecutione, quamvis non promissum, recte petitur. L. 3. *ff. h. t.*

ta & proxenetica?

T I T. XV.

De censibus.

§. CCCXL.

**D**ENIQUE ad municipiorum jura etiam CENSUS pertinet, qui hic est descriptio municipum eorumque facultatum, secundum quam tributa exigebantur. L. 3. *pr.* L. 4. *pr.* §. 1. *seq. ff. h. t.*

Census quid?

§. CCCXLI.

Tributa imposita prædiis & facultatibus ita adficiunt possessiones, ut 1) fisco eo nomine tacita hypotheca in iis competat, (P. IV. §. XXI, 3) L. 5. §. 2. *ff. h. t.* & 2) ipsi census ab omni possessore peti atque extorqueri possint, quamvis forte aliud convenerit. L. 1. L. 3. *C. fin. cens. vel rel. fund. comp. non poss.*

Tributorum jura.

§. CCCXLII.

Sed hæc omnia, quæ hoc libro dicta sunt, hodie in plerisque aliter se habent. Quæ enim jura singulorum municipiorum sint,

Usus hujus libri exigens.

444 *Pand. Lib. I. Tit. XVI. De verb. P. VII.*  
Principis & Reip. est statuere: neque id ex  
Pandectis addiscitur, sed ex singulorum op-  
pidorum privilegiis.

T I T. XVI.

*De verborum significatione.*

E T

T I T. XVII.

*De diversis regulis juris antiqui.*

§. CCCXLIII.

Tituli de  
V. S. &  
R. I. cur  
in epito-  
men re-  
digi ne-  
queant?

**S**ubjunct Tribonianus titulos hos gene-  
rales, & universum jus nostrum præcla-  
re illustrantes. Sed quum miscellanea com-  
plectantur: in compendium redigi nequeunt.  
Legant eos studiosi juris, ac relegant, me-  
que sponse credant, nunquam fore, ut eos  
impensæ operæ poeniteat.

F I N I S.

## INDEX RERUM

ET VERBORUM LOCUPLETISSIMUS.

Numerus Romanus partem ; Arabicus  
paragaphum designat.

## A

**A** Bigeus quis dicatur  
VII, 135. quomodo  
puniendus? VII, 136.  
Ablossliche Réten, qua-  
les reditus? III, 337.  
Abolitio crimin. quid?  
VII, 231. a quo fieri  
possit hodie? *ib.*  
b sentes reip. causa  
qui? I, 517. excusan-  
tur a tutela. IV, 365.  
ab aliis munerib. pu-  
blicis VII, 327.  
Absentees qui restituan-  
tur contra præsentes?  
I, 516. *seq.* contra eos  
quâdo præsêtes resti-  
tuantur? I, 520. *seq.* an  
& quando damn. pos-  
sint? VII, 232-233.  
Absentis, de cujus vita  
dubitatur, hereditas  
quamdiu jaceat, &  
cui interim commit-  
tenda? II, 64.\*  
Abstinendi beneficium.  
V, 95.

Abstinere qui dicantur  
ab hereditate? V, 92.\*  
Acceptilatio quid? VII,  
64. quomodo differat  
a pacto de non peten-  
do? VII, 63. ejus fun-  
damentum. *ib.* 62. a  
quo fieri possit? VII,  
65. quas obligationes  
solvat? VII, 66. ejus  
usus. VII, 68.  
Acceptilatio Aquiliana.  
VII, 67.  
Accessio quid sit in titu-  
lo de usuris? IV, 86.  
quid in titulo de ad-  
quirendo rerum do-  
minio. VI, 176. Natu-  
ralis, ejusque variaz  
species. VI, 177. In-  
dustrialis, ejusque va-  
riaz species. VI, 182.  
*seq.* Mixta, ejusque  
variaz species. VI,  
189. *seq.*  
Accusatio quid? VII,  
157. privata hodie  
rarior? VII, 164: olim  
erat

- erat conjuncta cum inscriptione. VII, 157.
- Accusator quis esse possit, vel non possit? VII, 159. ad quid teneatur? VII, 164.
- Actio quid? variae ejus division. VI, 282. *seq.* an mixta de tur. II, 63. directa & contraria ex quo contractu oriatur? I, 364. \*
- Actio Aedilitia adversus eum, qui canem, verrem, aprum eo loco habet, ubi vulgo iter fit. IV, 6.
- Aestimatoria. III, 342.
- Albi corrupti. I, 259.
- Aquae pluviae arcendae. VI, 110. *seq.*
- Arborum furtim caes. VII, 102.
- Calvisiana. VI, 55.
- Commodati directa. III, 120. *seq.* contraria. III, 120. 122.
- Comm. dividundo. II, 227. 231.
- de Concussione. VII, 134.
- Conducti. III, 327.
- Confessoria ex servitute. II, 163. *seq.*
- Confessoria contra confossum. VI, 247.
- Confessoria ex interrogatione in judicio facta. II, 244.
- Constitutoria, vel de constituta pecunia. III, 102. *seq.*
- Damni infecti. VI, 103.
- Depositi directa. III, 225. contraria. III, 226.
- de Distrahendis rationibus. IV, 375. *seq.*
- Doli. I, 489.
- de Effusis & deici. II, 197. *seqn.*
- Emphyteuticaria. III, 336.
- Emti. III, 311, 316.
- de Eo, quod certo loco. III, 91.
- Exercitoriae origo. III, 135. *seq.* natura. III, 137. *seqn.* usus. III, 142.
- ad Exhibendum. II, 232. 237.
- Expilatae hereditatis. VII, 146.
- Expletoria ad suppleendam legitimam qualis actio? II, 56. in factum de alienatione

judicii mutandi causa facta, I, 530. de calumniatoribus. I, 475. de edendo. I, 347. de incendio, ruina, naufragio. VII, 3. de iurejurando. III, 20. de mortuo inferendo. II, 282. de posito & suspensio. II, 200. *seq.* de recepto adversus nautas, caupones, stabularios. I, 552. de religiosis. II, 273. de turba. VII, 109. contra eum, qui missum in possessionem non admittit. VI, 106. contra eum, cujus dolo possessio ventris nomine data in alium translata est. IV, 275. contra menforem, qui falsum modum dixit. II, 267. *seq.* contra mulierem, quae calumniae causa in possessione est. IV, 278. contra eum, qui jus dicenti non obtemperavit. I, 272. contra eum, qui iniquum jus statuit, vel impetravit. I, 266. *seq.* contra

eum, qui personas, quibus debetur reverentia, in jus vocavit. I, 280. contra eum, cujus dolo malo factum, quo minus quis in iudicio sistat, I, 209. *seq.* adversus nautas, caupones, stabularios ex quasi delicto. I, 554. si quid falso tutore auctore gestum. IV, 383.

Fam. exercitanda. II, 219-226.

Faviana. VI, 55.

Finium regundor. II, 113-216.

Funeraria. II, 274-279.

Furti quotuplex? VII, 88. *sequ.* manifesti ob rapinam. VII, 108. noxalis, si familia furtum fecerit. VII, 101. adversus nautas, caupones, stabularios. VII, 100.

Hereditatis petitio civilis. II, 63-72. fideicommissaria. II, 75-77. possessoria. II, 74. si pars hereditatis petit. II, 73.

Hypothecaria, *vid.* quasi Ser-

- Serviana .
- Injuriarum æstimatoria. VII, 119. Criminalis. VII, *ib.* ex lege Cornelia. VII, 120. ad palinodiam. VII, 122. quando cesset? VII, 124.
- de Inofficioso testamento. II, 45-59.
- Institoria. III, 152. *seq.*
- Interrogat. qualis olim? II, 244.
- Judicati. VI, 243.
- ex Lege Aquilia quotuplex? II, 186. ejus natura. II, 187-193. usus III, 194.
- Locati. III, 326.
- Mandati directa. III, 236. cõtraria. III, 237.
- quod Metus causa. I, 477.
- Mutui. III, 11.
- Negatoria, ejus fundamentum. II, 99. datur etiam possessori. II, 166. quis in ea probet? II, 167. ejus descriptio. II, 168.
- Negotiorum gestorum directa. I, 451. cõtraria. I, 452. *seq.*
- Noxalis. II, 202. *seqq.*
- Paulliana. VI, 283.
- de Pauperie. II, 175-179. ejus usus hodiernus. II, 180.
- de Peculio. III, 187. quando annalis sit? III, 188.
- Personalis ex testam. V, 135.
- Pignoratitia directa. III, 131. cõtraria. III, 132.
- Præscriptis verbis ex contractibus innominatis. II, 349. æstimatoria. III, 342. de permutato. III, 344.
- Protutelæ. IV, 381.
- Publiciana in rem. II, 91-96.
- Publiciana rescissor. I, 523. *seqq.*
- Quantum minoris. IV, 64. *sequ.*
- Quasi Serviana. IV, 13.
- Quod jussu. III, 193.
- Receptitia, qualis olim? III, 95. & 102.
- Redhibitoria. IV, 62. *seq.*
- Rei vindicatio. II, 82, 90.
- Rei uxoriæ actio qualis olim? IV, 245.
- de in re verso. III, 189.

Rerum amotar. IV, 254-259.  
 Rescissoria. I, 523. *sequ.*  
 Sepulcri violati. VII, 131. *seq.*  
 Sequestraria. III, 229.  
 Servi corrupti. III, 251-253.  
 Serviana. IV, 12.  
 pro Socio. III, 249. *seq.*  
 de Stellionatu. VII, 148.  
 ex Stipulatu. VII, 17. de Dote. IV, 245.  
 Subsidiaria adversus magistratum. IV, 388.  
 damni infecti, VI, 103.  
 de Suspectis tutor. IV, 350. *seq.*  
 de Termino moto. VII, 149.  
 Tigni juncti. VII, 96. an semper sit poenalis? VII, 97. *sequ.*  
 Tributoria. III, 159-163.  
 Tutela directa. IV, 371-374. contr. IV, 378. utilis. 377.  
 Venditi. III, 316.  
 Vi bonor. raptoru. VII, 108. actiones quid? VI, 384. in rem &

personam. VI, 385. an dentur mixtae? II, 63. Rei persecutoria, poenales, mixtae. VI, 387. in simplum, duplum, triplum, quadruplum. VI, 387. bonae fidei & stricti juris. VI, 388. quibus solidum vel minus solidum consequimur. VI, 389. an plures possint cumulari I, 335. populares quanam? VII, 153. quanam vendi possint? III 283. iis venditis quid praestandum? III, 284. directae & contrariae ex quibus contractibus oriantur? I, 364.\*  
 Actiones in factum quoruplices? III, 346.  
 Actiones praescriptis verbis unde dictae? II, 347. earum natura. III, 348.  
 Actiones legis, earumque natura. I, 34. *sequ.*  
 Actor & syndicus quomodo differant? I, 419-441.  
 Actor (qui actionem in-

- instituit.) quid? II, 13.  
 quis esse possit? II, 14.  
*Seq. an quis esse cogatur?* II, 17.  
**Actus legit. eorumq.**  
 nat. I, 35.  
**Actus servit. præd. rust.**  
 II, 149.  
**Addictio in diem quid?**  
 III, 267. *sequ.*  
**Addictio obæratæ veteri**  
 jure Rom. VI, 248. ju-  
 re Lub. VI, 254.  
**Ademptio libertatis. VI,**  
 145. legatorum & fi-  
 deicommissorum. V,  
 183. *sequ.*  
**Adferruminatio, mo-**  
 dus acquirendi, VI,  
 183.  
**Adfirmatores quinam?**  
 IV, 385.  
**Adire hereditatem qui**  
 dicantur? V, 92.  
**Aditio hereditatis quid**  
 V, 92. a quo fiat? V,  
 93. quomodo? V, 94.  
*seq. ejus effecta.* V, 98.  
**Administratio tutorum**  
 & curatorum qualis?  
 IV, 328. rer. ad civi-  
 tatem pertinent. VII,  
 328.  
**Adnotatio Principis**
- quid? I, 109. bonorum  
 fugitivi. VII, 234.  
**Adoptare qui non pos-**  
 sint? I, 164.  
**Adoptio quotuplex? I,**  
 167. ejus natura & fi-  
 nis. I, 162. *sequ.*  
**Adoptio stricte dicta**  
 quid? I, 167. quomo-  
 do fiat? I, 173. a quo?  
 I, 174. ejus effecta. I,  
 175. plena seu perfe-  
 cta, & minus plena  
 seu imperfecta, quo-  
 modo differant? I,  
 175.  
**Adoptivi quomodo suc-**  
 ced. VI, 81.  
**Adpellatio. vid. appel-**  
*latio.*  
**Adplicatio juris quoad**  
 factum in quo consi-  
 stat? I, 24.  
**Adpromissor pro fide-**  
 juss. VII, 30.  
**Adquirendæ omitten-**  
 dæque hereditatis  
 modi. V, 87. *sequ.*  
**Adscendentes jure Au-**  
